



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.


Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>











THEOLOGIAE  
UTRIUSQUE  
COMPENDIUM  
CUM  
NATURALIS  
TUM  
REVELATAE,

Unà cum appendice de origine controversiarum nostri temporis, & necessariis indicibus.

QUAE

*In usum collegiorum privatorum typis excudi concessit & curavit*

SALOMON VAN TIL

SS. Theol. D. ejusdemque facultatis in Academiâ Lugduno-Batavâ  
Professor. ac p. t. Universitatis Rector Magnificus.

*Editio tertia a multis mendis purgata.*

*J. L. De Traytorrens.*



LUGDUNI BATAVORUM,  
Apud SAMUELEM LUCHTMANS, 1719.



THEOLOGIÆ  
UTRIUSQUE  
COMPENDIUM  
CUM  
NATURALIS  
TUM  
REVELATÆ,

Unà cum appendice de origine controversiarum nostri temporis, & necessariis indicibus.

QUÆ

*In usum collegiorum privatorum typis excudi concessit & curavit*

SALOMON VANTIL

SS. Theol. D. ejusdemque facultatis in Academiâ Lugduno-Batavâ  
Professor. ac p. t. Universitatis Rector Magnificus.

*Editio tertiâ a multis mendis purgata.*

*J. L. De Traytorrens.*



LUGDUNI BATAVORUM,  
Apud SAMUELEM LUCHTMANS, 1719.



*VIRIS NOBILISSIMIS*  
CELEBERRIMÆ ACADEMIÆ  
LUGDUNO-BATAVÆ  
CURATORIBUS

D. JACOBO BARONI WASSENARIÆ,  
Toparchæ de Opdam, Hensbroek, Wochmeer,  
Spierdijk, Zuydwijk, Kernchem, Twickelo, Lage  
&c. Ordinis Equestris Nobilium Hollandiæ Asses-  
sori Primo, Ordinis Elephantini Equiti. Equitum  
Fœd. Belgii Magistro. Munitissimæ civitatis Sylvæ  
Ducis Gubernatori. Ad potentissimos Poloniæ & Bo-  
russiæ Reges, Serenissimum Hanoveriensem Electro-  
rem aliosque plures Germaniæ Principes Legato ex-  
traordinario. &c. &c.

D. HUBERTO ROOSENBOOM, JC.  
Toparchæ in s'Grevelsregt, supremæ Hollandiæ Cu-  
riæ PRÆSIDI, & Synodi Zuydhollandiæ antehac  
Moderatori Politico Gravissimo. &c. &c.

D. HERMANNO van den HONERT, JC.  
Viro Reipublicæ Dordracenæ Consulari. Delegatis  
Præp. Ordinum Hollandiæ adscripto. Aggerum in  
Alblasserwaard Comiti. &c. &c.



# EORUMQUE COLLEGIS

VIRIS

AMPLISSIMIS & CONSULTISSIMIS,

*Post varias dignitates Hagæ vel Amstelædami Consulari nomine administratas, nunc denuo*

URBIS LUGDUNO-BATAVÆ

## CONSULIBUS

D. CONRADO RUYSCH, Jcto.

Consulum Præsidi.

D. JACOBO VROMANS.

D. CORNELIO WITTENS, Jcto.

D. JOHANNI ELEMAN, Jcto.

*ET GRAVISSIMO VIRO*

D. JOHANNI VAN DEN BERG, Jcto.

*Viro Consulari, ad Consilium Status Fœderati Belgii Rebus Militaribus procurandis Delegato, Illustribus Curatoribus à Secretis.*



BIENNIUM est, V. Nob. Ampl. Consultissimique, à quo ad cathedram Lugdunensem evectus, spartam, quam nactus sum vestro arbitrio, quantum in me est, adornare sustinui:

## DEDICATIO.

nui : lectionibus publicis, quas Jesaias, Prophetarum V. T. princeps, tradidit visiones, sibi divinitus oblatas, enucleavi sine intermissione. In collegiis privatis præter analytica sacra, & alia, Tyrones ad cathedram ecclesiasticam manucentia, etiam Theologiæ cum naturalis tum revelatæ dogmata, & præcepta inculcavi quotidie. Nunc autem ultimi exercitii cynosuram, in gratiam Studioforum, typis excusam, omnium oculis subjicio, Doctorum examen nil veritus. Cumque hæ chartæ laborum nostrorum Academicorum contineant primitias, nostræque orthodoxiæ sint testes atque indices, ex quibus constare possit, quibus teneri juvenum animi à nobis imbuantur dogmatibus; res ipsa postulabat, ut vestrum adeant tribunal V. N. A. sustineantque judicium, quorum est res Academicas curare, & ut quisque in nobilissimo hoc Bataavorum Athenæo convenienter muneri demando agat inspicere. Theologus *Theologiam*

## DEDICATIO

trado, *revelatam* ex sacris literis, ita ut nulli à doctrinâ, in orthodoxiæ formulis definita, discedam, verum ecclesiæ reformatæ dogmata contra quoscunque heterodoxos tuear fideliter; prout omnis pagina indicabit. *Theologiam Naturalem* adjicio, ut sparsis inter vulgus rumoribus occurrâ, ac si illa disciplina inter nos neglecta jaceret: imo ut exteri ex hisce nostris lucubrationibus intelligant, quousque extensa perducatur, quibusque etiam cancellis apud nos includatur. *Separatim* autem à *Theologiâ revelatâ* eam tradidi; quia separatim eam pertractandam existimo, ab utriusque mixturâ alienior. Sanè displicuit mixtura utriusque, utpotè confusio- nem pariens, prudentioribus animadvertentibus utramque propriis niti principiis, iisque sufficientibus, atque scientiam, quam naturalis docet, tantùm differre à fide, quam scriptura auscultantibus ingenerat; ut non eadem sede morentur. Displicuit ista mixtura Ill. & Præp. Or-

## DEDICATIO

Ordinibus Hollandiæ, qui eam singulari Decreto proſcripſerunt. Ita enim A. 1656. rem definiunt. *Quoniam omnes facultates & ſcientiæ, ac proinde etiam Theologia & Philoſophia ſuos ſibi proprios & definitos habeant terminos atque limites, intra quos iſtæ ſingulæ ad confuſionem evitandam contineri debent, ne una in aliam tranſiliat: propterea mandamus, ut materiæ & quæſtionibus, quæ Theologiæ propriæ ſunt & per ſolam revelationem ex ſancto Dei verbo innotescunt, tanquam planè diverſæ à quæſtionibus, quæ ex naturâ, mediante ratione, poſſunt & debent inquireri, atque cognosci, ſolis Theologis relinquuntur.* A mixturâ utriuſque incepit Theologia Scholaſtica, & abiit in *Ματαιολογίαν*: ex hoc principio natum ferè eſt, quod quidam, nimium ratiociniis ſuis indulgentes, philoſophiam ſuam fecerint Scripturæ interpretem; aut ſaltem Theologiæ incumbentes ac philoſophandi amore abrepti, argumenta ex ſacris deſumpta fere neglexerint: quorum acumen tandem

## DEDICATIO.

dem in fugillationem S. literarum exiit, & contemptum. Venit sanè Theologia naturalis cum revelata conferenda, ut constet veritatem hanc veritati rationis non esse contrariam, nec tamen propterea scientia naturalis in revelatam fuit introducenda; ne Tyrones principium rationis eodem cum principio fidei habeant loco: solùm enim verbi divini testimonium, fidem faciens, ratiocinium humanum fluctuans in homine Christiano comprimit, & adversus fidem insurgens captivum ducit sub obedientia fidei. Fateor veritatem simplicem esse, nec recipere magis & minus, atque in natura à Deo manifestatam cum revelata eundem habere Deum auctorem, fallere nescium: non tamen ritè ex eo confeceris, utriusque doctrinam habere parem evidentiam: quia inter disceptantes philosophos oraculum Dei ad causæ definitionem intercedere putandum est, & in myste-  
riosis ea adjecit, ad quæ ratio non attingit. Fide enim perpendimus, ad quæ natura minus  
at-

## DEDICATIO.

attendit. Utile est erudiri, quousque ratio nos ducat, & ubi nos destituat, ad corrupti ratiocinii refrænationem; quod conatur ostendere nostrum opusculum: utque notiones infitas corrumpere laborent Athei, Spinofistæ, ac Libertini nostri temporis, quibus os obstruendum est, ne eorum fallaciis innodentur simplices, quo Theologi nostri ad eorum fraudes eludendas instructi prodeant. Quid autem in utriusque Theologiæ distinctâ pertractatione præstiterim, Vestro & omnium à præjudiciis liberatorum committo iudicio. Hoc saltem obtendo, placidam esse nostram Theologiam, non aculeis, sed argumentis instructam, errorum fontes candidè aperientem, neminique sententiam præter mentem adscribentem. Revelata jam ante à Bernensibus excepta, *ut in brevitate suâ copiosa, in exili mole nervosa, in stylo contractiore perspicua, & in methodo novâ ut nullius curæ secunda*, commendata fuit. Quod si vester accedat calculus, N. A. C. Viri, est, cur,  
\* \* \* \* \* ad



# DEDICATIO.

ad majora excitatus, alacri, quo cœpi, pede pergam, contentus principibus placuisse viris. Deum interim rogo, ut vos Patriæ & Academiæ commodis diu conservet sospites & incolumes: qui totus vester sum

SALOMON VAN TIL.

CON-

CONTINENTUR HOC LIBRO  
DUO  
C O M P E N D I A ,

*Unum*  
THEOLOGIÆ NATURALIS,

*Alterum*  
THEOLOGIÆ REVELATÆ.

COMPENDIUM  
THEOLOGIÆ NATURALIS

Constat Præliminaribus quibusdam &  
TRIBUS LIBRIS,

*Quorum*  
PRIMUS agit DE DEO COGNOSCENDO.  
SECUNDUS DE DEO COLENDO.  
TERTIUS DE PRÆPARATIONE EUANGELICA.

LIBER PRIMUS

*habet duas Partes,*

PRIOR agit DE COGNITIONE DEI IN SE.  
POSTERIOR DE COGNITIONE DEI PER O-  
PERA SUA.

PRÆLIMINARIA.

THEOLOGIÆ NATURALIS continentur  
V. Capitibus.

CAP. I. agit de Theologiâ Naturali in genere. Pag. 1  
II. de Religione Naturali. 2  
III. de Veritatibus ex prima scientiâ transfusatis. 4  
IV. de \*\* 2

SUMMA CAPITUM.

IV. de Principio Religionis Naturalis.

8

V. de Opusculi bujus distributione.

13

PARS PRIOR LIBRI PRIMI

Abolvitur 3. Capitibus, 8. Sectionibus & 13. Sub-  
sectionibus.

|   |       |
|---|-------|
| <b>C</b> AP. I. <i>agit de Deo ejus attributis.</i>                             | 14    |
| <b>S</b> ECTIO I. <i>de Natura Dei.</i>   | ibid. |
| II. <i>de Attributis essentiae divinae.</i>                                     | 15    |
| <b>S</b> UBSECTIO A. <i>de Supremi entis independentia.</i>                     | ibid. |
| B. <i>de Ejus infinitate.</i>   | 17    |
| C. <i>de Ejus immutabilitate.</i>   | 19    |
| D. <i>de Ejus simplicitate.</i>   | 21    |
| <b>S</b> ECTIO III. <i>de Attributis existentiae.</i>                           | 25    |
| <b>S</b> UBSECTIO A. <i>de Necessaria Dei existentia &amp; primi-<br/>tate.</i> | ibid. |
| B. <i>de Aeternitate Dei.</i>   | 26    |
| C. <i>de Omnipraesentia.</i>  | 29    |
| D. <i>de Incomprehensibilitate.</i>   | 31    |
| <b>S</b> ECTIO IV. <i>de Attributis Vitae Dei.</i>                              | 32    |
| <b>S</b> UBSECTIO A. <i>de Vita Dei intellectualli.</i>                         | ibid. |
| B. <i>de Deo incorporeo ejusque sequelis.</i>                                   | 34    |
| C. <i>de Intellectu Dei.</i>  | 38    |
| D. <i>de Voluntate Dei.</i>   | 44    |
| E. <i>de Potentia &amp; potestate Dei.</i>                                      | 50    |
| <b>C</b> AP. II. <i>de Virtutibus Dei.</i>                                      | 57    |
| <b>S</b> ECTIO I. <i>de Veritate Dei.</i>                                       | 58    |
| II. <i>de Bonitate Dei.</i>   | 60    |
| III. <i>de Sanctitate Dei.</i>  | 62    |
| IV. <i>de Justitia Dei.</i>   | 65    |
| <b>C</b> AP. III. <i>de Unitate Dei.</i>  | 68    |

PARS

SUMMA CAPITUM.

PARS POSTERIOR LIBRI PRIMI

Absolvitur 3. Capitibus.

|                                     |    |
|-------------------------------------|----|
| CAP. I. <i>agit de Decreto Dei.</i> | 76 |
| II. <i>de Creatione.</i>            | 82 |
| III. <i>de Providentia Dei.</i>     | 88 |

LIBER SECUNDUS

Absolvitur 5. Capitibus, 2. Sectionibus &  
3. Subsectionibus.

|  |     |
|--|-----|
| CAP. I. <i>agit de Homine relatè ad Deum considerato.</i>                        | 96  |
| II. <i>de lege Naturali.</i>   | 99  |
| SECTIO I. <i>de Legibus primis. universalibus, ut principii juris naturæ.</i>    | 99  |
| II. <i>de Legibus particularibus.</i>  | 102 |
| SUBSECTIO A. <i>de Officiis nostris erga Deum, ex istis principii derivatis.</i> | 102 |
| B. <i>de Officiis erga nosmet præstandis.</i>                                    | 105 |
| C. <i>De Officiis erga vitæ Socios observandis.</i>                              | 113 |

EXCURSUS PRIMUS.

*De Justitiâ ejusque præceptis.* 116

EXCURSUS SECUNDUS

*De Charitate proximo debitâ ejusque præceptis.* 120

|  |     |
|--|-----|
| CAP. III. <i>de Spe vitæ melioris &amp; ejus opposito.</i>                 | 124 |
| IV. <i>de Peccato in mundum ingresso &amp; inter homines prædominante.</i> | 132 |
| V. <i>de Peccati sequelis.</i>   | 136 |

\*\*\* 3.

LIBER

# SUMMA CAPITUM.

## LIBER TERTIUS

Absolvitur 3. Capitibus, 2. Sectionibus & tribus Subsectionibus.

|  |       |
|--|-------|
| <b>C</b> AP. I. <i>de Verisimili quorundam restitutione &amp; ad Deum reductione.</i>        | 139   |
| II. <i>de Requisitis veræ cum Deo reconciliationis.</i>                                      | 142   |
| III. <i>de Indagatione Historica, traditiones de vero salutis medio examinante.</i>          | 144   |
| SECTIO I. <i>Inquirens, an Theologia Gentilium solidam salutis recuperanda spem præbeat.</i> | ibid. |
| II. <i>Inquirens, quousque satisfaciatur Religio Mosaica.</i>                                | 149   |
| SUBSECTIO A. <i>de Hodierna Judæorum Religione.</i>  | 152   |
| B. <i>de Religione Muhammedanorum.</i>   | 154   |
| C. <i>de Religione Christianâ.</i>   | 155   |

COM-

# COMPENDIUM THEOLOGIÆ REVELATÆ

DIVIDITUR  
IN 3. PARTES GENERALES.

Quarum

- I. CONTINET PRINCIPIUM THEOLOGIÆ REVELATÆ.
- II. SUMMUM BONUM OBLATUM PECCATORI.
- III. MEDIA QUÆ IPSUM DUCUNT AD ISTIUS BONI COMMUNIONEM.

## PRIMA PARS

Theologiæ Revelatæ continet præliminaria & absolvitur 5. Capitibus.

|  |        |
|--|--------|
| I. <b>A</b> git de Theologiâ, ejusque Principio. | Pag. 1 |
| II. <b>A</b> de Religione.                       | 6      |
| III. de Sacra Scriptura corpore.                 | 8      |
| IV. de Dignitatibus Sacrae Scripturae.           | 11     |
| V. de Usu Sacrae Scripturae.                     | 16     |

## SECUNDA PARS

Absolvitur 6. Capitibus.

|  |    |
|--|----|
| I. <b>A</b> git de Nominibus Dei.                  | 25 |
| II. <b>A</b> de Attributis seu Excellentiss Dei.   | 30 |
| III. de Deo Tri-uno secundum Mysterium Trinitatis. | 43 |
| IV. de Decretis Dei.                               | 53 |
| V. de Creatione.                                   | 62 |
| VI. de Providentiâ Dei.                            | 70 |

TER-



S U M M A C A P I T U M .

T E R T I A P A R S

Absolvitur 16. Capitibus.

|  |         |
|--|---------|
| I. <b>A</b> git de Fœderibus Dei in genere.                              | Pag. 78 |
| II. <b>A</b> de Fœdere Operum.   | 81      |
| III. de Fœderis operum violatione per peccatum.                          | 95      |
| IV. de Fœdere Gratiae.   | 109     |
| V. de Promissione salutis per Sponsorem impetrandæ.                      | 124     |
| VI. de Mediatore.  | 130     |
| VII. de Impetratione Salutis.  | 146     |
| VIII. de Applicatione Salutis.   | 153     |
| IX. de Vocatione & Regeneratione.  | 154     |
| X. de Justificatione.  | 159     |
| XI. de Sanctificatione.  | 166     |
| XII. de Conservatione.   | 169     |
| XIII. de Obsignatione Interna.   | 171     |
| XIV. de Obsignatione Externa, sive de signis & signaculis N. Testamenti. | 173     |
| XV. de Glorificatione.   | 182     |
| XVI. de Ecclesia.  | 188     |

A D J U N C T A est A P P E N D I X

De Origine Errorum in Ecclesia succrescentium.

|   |     |
|---|-----|
| <b>P</b> rimo de Erroribus Papatus.                       | 203 |
| <b>S</b> ecundo de Erroribus Pelagianorum & Arminianorum. | 210 |
| <b>T</b> ertio de Erroribus Anabaptistarum.               | 214 |
| <b>Q</b> uarto de Erroribus Socinianorum.                 | 217 |

T H E O -

**THEOLOGIÆ NATURALIS  
COMPENDIUM.**

*IN*

**USUM COLLEGIORUM PRIVATORUM  
ADORNATUM.**

*Quod*

**Nunc demum typis excudi jussit**

**SALOMON van TIL.**

\*\*\*



## P R A E F A T I O A D L E C T O R E M .

*dens, ubi ad elenctica perveni, argumentorum sedes digito solum intendam, omissis vindiciis: Et adversariorum objectiones simpliciter tantum commemorarem, non additis refutationibus: partim ut relinquerem respondentibus ansam inquirendi in rem ipsam ampliore: partim ut eis necessitatem imponerem bonos auctores legendi Et conferendi: quippe qui ultimos virorum doctissimorum labores et discipulorum nostrorum manibus excutere minime intendo: sed potius ut eos conjungant adhorter. Itaque inter primos hic legendos Et conjungendos commendamus, Walæi locos communes, Heydani Corpus Theologiae, Burmanni Synopsis, Et praesertim Cocceji summam foederis, atque Theologiae. Quando autem cursus Academicus ad finem vergit, ut in elenctis solidiorem acquirant Studiosi cognitionem, jubemus ut controversiarum scriptores adjungant; atque adeo in controversiis cum Pontificiis legant tumultum concilii Tridentini Heydeggeri: contra Socinianos Socinianismum confutatum Hoornbekii: contra Remonstrantes Et Anabaptistas, quae occurrunt in operibus Cloppenburgii: contra Lutheranos exegefin confessionis Augustanae Altingii: quae autem cum Infidelibus disceptantur, quaerant apud Hoornbekium in libris de convertendis Judæis Et Gentibus. His addant, quae in operibus Cl. Cocceji, Theologi solidissimi, occurrunt scripta elenctica, Pontificiis Socinianis, Et Judæis opposita. Haec in cursu Academico, quando plurimum fere sumptibus parcendis cura est, nostrae intentioni faciunt satis.*

*Potuisset, fateor, orbis eruditus, hoc nostro labore carere, Et facile praevideo, has nostras chartas post fata nostra inter perituras esse numerandas, quoniam istius generis scriptis seculum nostrum gravetur potius, quam adjuvetur. Attamen, dum meum in prima hac Batavorum Et Belgii Academia stationem intueor, video mihi rationem habendam esse discipulorum meorum, quorum commodo inserviendum, Et quibus hactenus saltem gratificandum erat, ut sine temporis dispendio sibi cynosuram comparare possint, juxta quam privata nostra collegia componuntur. Praestabit quoque hunc usum praesens editio, ut Mecænates Et studiosae Juventutis parentes nostram videant in doctrina ecclesiae propaganda orthodoxiam, teneantque, cui tyrones (Ecclesiae aedificationi consecratos) committant quibusque dogmatibus teneriores animi inter nos imbuantur. Hos persuasos cupio, nos id agere,*

## PRÆATIO AD LECTOREM.

*ut lites fraternas potius componamus, quam renovemus, & doctrina in formulis unionis (ut vocant) recepta sarta tecta conservetur.*

*Indicem dictorum S. S. adjici curavimus, ut in iis sese exerçant Tyrones, & dicta illa classica in bibliis enotata sibi reddant familiaria; eaque in textu originali V. & N. T. sepe relegant, discutiant, & si quid luminis aliunde adsciscant, id in adversaria sua diligenter conscribant. Imo, ut qui linguis originalibus addiscendis incumbunt ad huc, versantes in ipsis studiorum initiis, ea testimonia philologicè & grammaticè resolvant, quo eorum animis postmodum altius inhereant: ita enim unâ fidelità duos simul dealbare parietes poterunt. Hisce momentis subsisto, paratus porro ad omne officium.*

SALOMON VAN TIL.

COM-

**THEOLOGIÆ REVELATÆ  
C O M P E N D I U M.**

**I N**

**USUM COLLEGIORUM PRIVATORUM  
CONSTRUCTUM.**

*Quod*

**A mendis editionis prioris emaculatum imprimi  
concessit**

**SALOMON van TIL.**

\*



# P R Æ F A T I O

A D

# L E C T O R E M.



**Q**UOD chartas hasce (Theologiæ Revelatæ seu scripturariæ compendium complectentes) antehac tenebris damnatas, Typographo, viro honesto typis, excudendas, & Theologiæ Naturali adjiciendas concesserim, non mireris Benevole Lector. Protraxerat eas quidem anno præterito in lucem vir optimus & reverendus D. Emanuel Ejen, multis veniam edendi mihi extorquens; ea tamen conditione, ut vitia, quæ in MSS. hærebant, omni studio tollantur. Præstitit quidem vir mihi amicissimus omnem diligentiam, ut id exsequeretur exacte: ejusque laboribus debes, quod verba textuum citatis in hoc opusculo locis (seu testimoniis) habeas inserta, & quandoque breviter elucidata. Verum ita male cessit hic conatus, ut cum duo exemplaria, ad me missa, acciperem & perlustrarem (quod etiam ex literis amici intelligebam) multa observarem inversa, omissa, & testimonia præter scopum allegata, ac ad rem facientibus male substituta. Quod nunc intelligo exinde profluisse, quia defectuoso & misere conscripto usus est amicus meus exemplari: ut ipse necesse habuerit Auguriæ stabulum repurgare. Additque se multis, & quæ vel animum obfuscare queant, inter edendum distraclum fuisse negotiis. Incepi itaque eam editionem corrigere, dislocata restaurare, & omissa supplere. Ast, cum editionis istius Bernensis nulla ad nundinas Francofurtenses mitterentur exemplaria, adeoque studiosi ea sibi hic comparare non possent, laborem denuo exscribendi fugientes, me impense rogarunt, ut, dum Bibliopola operam suam offerret, illi hoc meum compendium recudendum, & Theologiæ Naturali adjiciendum traderem: ita enim fore, ut integram nostram ad studium systematicum possideant manu-ductionem. Cumque æquissimo huic postulato amplius resistere nefas esset, habes, quæ illi desiderabant.

Hoc unum interim B. L. te monitum volo, quod brevitati studens,

# PRÆFATIO AD LECTOREM.

**Q**UAM hic vobis, LL. BB. Theologiam trado Naturalem, ex meris rationis profluxit principiis, nihilque, nisi quæ communium notionum attenda dictavit de Deo ejusque lege discussio, continet: atque ad ista rationis dictamina religiones qualescunque explorat, ut inde elicias, religionem Christianam (licet mysteria agnoscat naturalis scientiæ limites excedentia) tamen plus quam reliquas cum lumine naturæ consentire. Hujus pertractationem modestam non esse plane omnittendam nemo Reformatus inficias ibit; qui eam dari contra Socinum defendit, aut qui τὸ γινώσκον τῆ Θεῶν à Deo naturaliter manifestatum, & legem Dei eodem auctore etiam gentium cordibus inscriptam fuisse ex Paulo didicit. Neque inutilis esse poterit; cum communis notionis veritates attentionem postulent, sine quâ veritas Evangelica ad omnium conscientiam à nemine in lucem protrahitur: ad quam tamen hæc lucubratio homines rationales invitât. Nullibi hic ad partes vocamus auctoritates humanas, quæ hic nullius sunt pretii: imo nulla doctrinam majus Theologiæ damnum adduxit, quam Philosophia traditiva, quæ auctoritati hominum innixa, sectas fecit, dum alii Platonem sibi ducem elegerunt, alii Aristotelem, alii alios. Rationes eorum audire expedit, si solidas proferant, non vero nomina. Amicus Socrates, amicus Plato, sed magis amica veritas. Compendium exhibeo, quod manu ductionem præbet ad hæc studia, cum aliorum probatis laboribus conferendum, & ex iis amplificandum; nisi placuerit ad hujus compendii titulos referre, quæ ab aliis invenias accuratius elaborata & latius deducta: ut quæ metaphysici de Deo,  
\*\*\* 2  
juris

## PRÆFATIO AD LECTOREM.

*juris naturalis scriptores de legibus naturæ, & religionis Christianæ Apologiftæ contra infideles protulerunt, referantur ad suas partes. Auctores, quos hic commendamus, sunt Cartesii meditationes, & qui eas notis illustrarunt suis. Wittichii commentarius de Deo: & disp. de providentia Dei. Spinofam enervarunt Velthufius, Wittichius, Jenfius pater, Horchius. De officiis humani generis ex obligationibus naturalibus derivandis inter Ethicos legantur, quæ Morus & Geulinxius, ille in enchiridio, hic in Ethica sua tradiderunt. De jure naturæ, quæ Grotius habet in opere de jure belli & pacis, sunt legenda, una cum stricturis & additamentis Ziegleri & Boecleri. Hobbesii principis se opposuit Cumberland de legibus naturæ. His adde Cl. Collegæ Vitriarii doctiffimas juris naturæ & gentium institutiones, & quæ. Velthufius de principiis justitiae & decori, nec non de naturali pudore & dignitate hominis scripsit. Ad præparationem Evangelicam adornandam legantur veritatis religionis Christianæ assertores Mornæus, Grotius, vander Meulen, ac præprimis veteres gentilissimi debellatores; Arnobius & Minucius Felix cum notis variorum, quos excudit Joh. Maire an. 1651. & 1652. Ex theatro Scheldoniano prodierunt etiam nuper cum variorum notis Justinii Martyris apologia: & Tatianus cum Hermia; quæ editiones quovis ære sunt comparandæ, quoniam viri eruditi in notis thesauros effuderent penitioris eruditionis. Ut Bachmani p. m. tractatum posthumum, cui titulus est Theologia naturalis, conferant quoque, nec non virorum Clarissimorum Volderi disp. & Roëllii suademus Tyronibus; haud dubitantes, quin hanc viam calcantes, metam, quam cupiunt sint assecuturi. Nostros conatus, ut æqui bonique ducat lector, oro rogoque.*


SALOMON VAN TIL.

COMPENDIUM  
 THEOLOGIÆ  
 NATURALIS.  
 PRÆLIMINARIA,

## CAP. I.

*De Theologiâ Naturali in genere.*

§. 1.



HEOLOGIÆ vocabulum Græcæ esse originis, ex antiquissimâ gentilium disciplinâ translatum, inter omnes constat. Etymon vocis si spectemus, λόγον dicit Θεῶν, *sermonem* inquam seu *ratiocinium de Deo*: ac proin agit de numine non solum cognoscendo, sed & observando.

§. 2. Quisquis in se ideam entis infiniti innatam & acquisitam experitur; vel saltem vulgarem de Deo opinionem inter homines obtinere, aut quorundam mentibus adhærere novit (etiãsi Atheus sit, qui istam prædominantem sententiam rejicit) cogit tamen agnoscere dari talem disciplinam, quæ in istius entis infiniti existentiam & naturam jure inquirat; cum ideæ rerum sint objectum ratiocinii, & mentis sit de idearum proprietatibus differere: atque hæc idea mentem maximè occupare possit. Adde hominem versari circa rem primi momenti, a cujus veritate summa hominis salus planè suspensa est. Si enim sit Deus, eum abne-

A

ganti

## DE THEOL. NATURALI IN GENERE.

ganti certa manet ira, nihilque boni sibi ab eo polliceri poterit, qui eundem sibi conciliare turpiter neglexit. Prout e contra ejus existentia & recta cognitio quærenti gratiam istius Dei gratam spern facit, & securitatem humanam factam tutam reddit. Quare digna res est, ut in ejus veritatem attento animo inquiramus ulterius.

§. 3. Hanc doctrinam ut naturalem consideramus, quatenus mens nostra eam solâ ratione attingit: aut ad rationis normam solam explorat, quæ de eâ re aliunde tradi audit; inquirendo an quæ alibi ex traditione tenentur rationi consentiant? vel saltem ad minimum eam non habeant sibi contradicentem.

§. 4. Definitur itaque Th. naturalis, quod sit rerum divinarum doctrina, scientiam ingenerans, quæ quid de Deo statuendum sit, aut in eo agnoscendum ex ratione perspicue eruit, & ad eam ut ad lapidem lydium explorat: ut non tantum certum in istâ materiâ ab incerto, sed & verum a falso, nec non transcendentia à naturâ cognitis accuratè discernantur.

§. 5. Versatur autem præ primis circa quæstiones juris: quamvis etiam attingat quæstiones facti; sed secundum principia juris discutiendas; licet enim ad examen revocare, quæ de factis narrantur, inquirendo, an quæ traduntur, sint possibile nec ne? & si illud; num Deum sint satis decentia, ejusque virtutibus probe congrua & consentanea: non aliter ac Physicus ea, quæ historia naturalis tradit, examini subjicit, & phænomena ibi recensita ex suis solvere principiis instituit.

## C A P. II.

### *De Religione naturali.*

§. I. **R**ELIGIO (quæ Th. naturalis objectum est, seu quam Theologus tradere, & ad rationis normam castigare laborat) est certum hominum studium, quo quisque pro suâ sententiâ facultates suas in certi numinis contemplatione & observantiâ ita tenet occupatas, prout sibi existimat convenire, ut numen illud reddat sibi quocunque in casu propitium. Tradimus autem hic generalem rei definitionem, adhuc nulli hominum opinioni alligatam,

## DE RELIGIONE NATURALI.

3

tam, ut nondum veram religionem à falsâ distinguentes solum id notemus, quod omnes in communi observant.

§. 2. Vocabulum istud haud malè a religando derivat *Lactantius* libr. de D. sap. 4. 28. Hâc, inquit, conditione gignimur, ut generati, nos Deo justa obsequia præbeamus: hunc solum novimus, hunc sequamur, hoc ipso Deo *religati* sumus, undè *religio* nomen accepit; Et postea. Nomen *religio* à vinculo pietatis dictum, quod Deus hominem sibi religaverit & strinxerit. &c. Hoc respiciens *Lucretius* dixit se religionis nodos exsolvere.

Inter primas notiones cum sit creaturarum omnium ab ente summo seu maximo dependentia, hominis suæ dependentiæ sibi conscii est, ilico suam ad subjectionem sui agnoscere *obligationem*, quâ Deo lubens subesse velit, & sicubi ullo in loco vinculum istud ruperit, se, ne ejus potentissimo favore excidat, serio religatum & novo vinculo reunitum cupit.

§. 3. Genus religionis à nobis revocatur ad *studium*, quatenus illa diligentiam notat, per mediâ satis apta ad finem summè optatum perveniendi: requirit enim ista mentis cura diligentem omnium facultatum tam corporis, quam mentis applicationem ad ea exsequenda, quæ ad summum bonum consequendum mediocrium rationem habere autumamus.

§. 4. Objectum ejus, circa quod versatur, est *nomen* quoddam, seu qualiscunque majestas & potestas supercœlestis, a qua quis sibi in universali hujus mundi regimine aliquid boni solidi spondet, sive *mediantibus* causis præternaturalibus, sive naturalibus, dum eas omnes ab arbitrio numinis, quod respicit, dependentes esse cogitat. Circa hoc objectum castigandum occupata erit Theologia nostra naturalis, cum satis constet non omnes supremam istam potestatem in uno vero *quesivisse* subjecto, sed in pluribus. Cumque magnum sententiarum divortium eam in religione diversitatem, quam in mundo observamus, pepererit, maximi erit momenti verum venerandæ potestatis subjectum distinctius eruere.

§. 5. Actus religionis aut religiosi sunt. 1. *Cognitio* supremæ potestatis, cum ejusdem agnitione conjuncta, quæ est legitima

ejus cum affectu existimatio. 2. *Amor* ergà supremum illud numen supremus, universi hujus rectorem sibi benevolum & propitium cupiens. 3. Accedit *cultus*, cum actibus suis externis venerationis internæ testimonium proferentibus.

Observandum hic est actum primum se habere ad secundum, & hunc ad tertium, ut genitrix se habet ad partum suum: cognitio enim dignitatis objecti (id est Dei) amorem ejus parit, quotiescunque ad nobilem ejus præcellentiam diligentius attendit; cum alias ignoti nulla sit cupido. Amor Dei porrò venerationem mentis præcordiis ingenerat, omnibus modis testificandam. Imo, quo cognitio de veritate rei magis est instructa ac persuasa; eo amor exindè propullulans enixior & cultus purior est: dumque ex veneratione zelus accenditur, & zelus moderamen suum à ratione accipit, *religia* a superstitione recedit, nihil nisi ex rationis præscripto circa Dei cultum agere constituens.

§. 6. Finis religionis est numen potestate supremum & potentia prævalens sibi amicum conciliare, ut illud habeat sibi propitium, non tantum in hâc vitâ, sed & post eam in vitâ futurâ. Circa hunc finem legitimè restringendum & a variis erroribus liberandum etiam non parum laboris relinquitur Theologiæ naturali.

§. 7. Vera religio nobis itaque est legitimum summi boni quærendi studium, salutem in solius veri Dei fruitione ac amicitia collocans, eamque in debitâ Deo observantiâ consecrans, & cavens ne ullibi ejus gloriæ quicquam detrahat. Itaque veræ religionis est, non aberrare à vero cultus objecto, vero cultus fine, aut legitimis ejus mediis: de quibus omnibus, quousque Theologia naturalis nos erudiat, videbimus in ipso opere.

### C A P. III.

#### *De veritatibus ex primâ scientia transumptis.*

§. I. FRUSTRÀ fateor hoc religionis gymnasium ingredi. Mur ac de præceptis formandis mens nostra foret sollicita, nisi in antecessum teneamus *Deum esse*; quare oportet, quæ prima scientia nos pro *existentiâ Dei* docuit argumenta, ea denuo nobis in animum revocemus.

L. Ex.

## DE VERITATIBUS PRIMIS TRANSSUMPTIS. ¶

1. Ex istâ disciplinâ innotuit mihi jam ante non tantum mentis meæ existentia, sed & imperfectio: per ipsam conscientiam mei tenebam multum mihi deesse, quæ frustra a me ipso desidero, undè fateri cogebam me non esse a me, seu mei causam. Observabam meam existentiam nuperam & tantum possibilem fluxam esse, imò & incertam in omnia momenta secutura: ut proin quod extra me sit causa mei persuasus sim, quæ me sit potentior, cujus ad arbitrium ego à non longo tempore adsum, nescius planè quo usque meam præsentiam eadem velit prorogare. Hujus ergo in potestate naturâ constitutus sum, idque plenario, secundum omne id, quod in mente meâ possideo: ast in quo talem supremam agnosco potestatem potentiâ tali munitam, is mihi *Deus* est, seu ens optimum maximum.

2. Incrementum capiebat illa prima veritatis cognitio, atque ad majorem assurrexit certitudinem, quando observabam *in ideâ entis supremi contineri necessariam existentiam*; si enim non existeret, existere non posset: non ob contradictionem intrinsecam, cum hujus attributa se mutuò involvant: nec ob realitatis defectum, cum in subjecto quæstionis ponatur summa perfectio: sed tantum, quia Atheus ita vult, & quidem contradictoriè. Nam aut aliquid est, aut nihil? si ultimum, ergo nec tu es, qui si mihi similis sis, existentie tui tibi immediate conscius eris: sin prius admittatur, erit ens tantum possibile existentie, quod non adest vi suæ naturæ: & non erit ens existens vi propriæ potentie? Quid! eritne ens quod plurimum de non ente participat & sibi ad existendum non sufficit, & non erit ens absolute perfectum, vere ens & plenario? Erit quod nec a se nec per se subsistit, nullumque existentie fundamentum in se habet, idque sine aliqua causâ, in quâ existentie possibile unicum fundamentum est.

3. Confirmabat me ampliùs in istâ veritate, cum observarem ex defectuosâ meâ conditione, *esse me superiorem*, ubi vero est comparativus, in eo rerum genere oportet etiam esse aliquem in superlativo supremum: qui tamen non potest non esse à se, cum non habeat causam supra se, undè aliquid accipere potuit: quare supremo existenti, cum non sit existentia possibile, illi tribuenda erit existentia necessaria.



4. Ad cumulum gravioris convictionis accedebat, quod *idea Dei in nobis*, ut entis absolute perfecti, non possit derivari nisi à nostro conditore, cum non sit nostræ effectionis. Hujus etiam ut sit *causa exemplaris* necesse est: in quo tantum sit realitatis & perfectionis, quantum est in prædictâ illâ ideâ Dei, quæ mihi insita est.

§. 2. Qui in primâ scientiâ perrexerunt, in progressu plura invenerunt argumenta, mentem in sententiâ de existentiâ Dei, mundi creatoris & rectoris confirmantia.

1. Ex contemplatione mundi corporei menti inhæret idea rerum innumeris modis inter se distinctarum, & sub variis moribus transponendarum, in quâ machinâ & fabricâ inexhaustam artificis admiratur sapientiam, ac prudentiam: nec non æternam potentiam ac bonitatem. Hanc ideam si dicas tantum in mente esse, ita ut nihil rerum istarum existat extra eam: concedas tamen oportet, te non esse ordinis istius & diversitatis inventorem, qui earum rerum nexum & coherentiam ne quidem intelligis; quique nihil illarum rerum in istâ mutare potes. Hæc mens tenet per intimam suam conscientiam. Sanè quæ non sunt, causæ istius apparentiæ & repræsentationis esse non possunt: cum igitur mens ab istâ causalitate & esse repræsentativi exclusâ sit, causâ ejus extra me erit; sive res ipsæ me ita afficiant, sive Deus, sapientissimus fabricæ istius author, & inventor mihi eam indiderit.

2. Imò edocti sumus per eandem disciplinam nos corpus habere, menti junctum, cujus interventu cum isto mundo singulariter habemus communionem: ita ut illud nostrum corpus mentem multis modis afficiat, volentem nolentem: & contra mens multimodum in illud corpus exercent imperium. Interim nemo hominum est, qui modum unionis inter mentem & corpus explicare queat; dum intelligit cogitationem, cum extensione ejusque motu nihil commune habere, & vicissim. Hæc cogunt nos agnoscere intervenientem Deum, seu causam nostri sapientissimam & potentissimam, in cujus potestate sumus per singula momenta.

3. Accedit conscientia, quâ mens omnium suarum actionum & affectionum sibi intimè est conscia: quæque etiam recti pravi- que normam ita tenet, ut mentem benè agentem tranquillet, sed

legem transgredientem nescio quibus rationibus excruciet. Hanc cum expellere non possim, dependere ab eo, qui menti naturam suam dedit & existentiam, atque eam ita cum mente colligavit, ut ab ea separari impossibile sit, constat: adeoque creatorem meam, ut vicem & causam Dei agentem, menti meæ indidisse patet: quæ manifeste auctorem nostrum, non solum ut summum & summè potentem, sed etiam ut sanctum legislatorem, ac justum in orbe judicem repræsentat; cujus potestatem nemo evadere possit.

§. 3. Transsumit quoque hæc nostra Theologia naturalis ex primâ scientiâ aliud dogma, sc. *mentem tantum huic corpori conjunctam esse ad tempus*: cui adveniente morte pristinum cum corpore commercium relinquendum: quæ tamen soluto isto organo corporeo, nequaquam in se dissolvitur, quoniam ejus natura nullo modo divisibilis est; unde sequitur exuto corpore intrinsecas mentis facultates minimè lædi, nec ullâ perfectione orbari, quæ ad naturæ cogitantis constitutionem spectat. Hæc autem doctrina, inferens naturam mentis esse incorruptibilem, atque ita immortalē, ex primâ scientiâ liquet: atque animam post mortem fore superstitem confirmat.

§. 4. Hunc sequitur cum mutatâ mentis à corpore soluti conditione fore, ut transeat in statum vel meliorem, vel pejorem: quod monente conscientia mentem tenet aliquandò valdè sollicitam; dum eadem ipsa conscientia auctorem mentis repræsentat ut justum judicem, qui bonis benè malis mala retribuet: qui enim didicit Deum mentis creatorem & conservatorem, eam ita habere in suâ potestate, ut ei gaudii argumenta adjicere, aut in incerorem ultimum præcipitare pro suâ justitiâ possit, non potest non cupere, ut ante diem mutationis Deum sibi habeat placidum, aut placatum: undè oritur religio, seu Deo placendi studium, ut sibi posthæc ab ejus favore omnia læta & beata polliceri possit, atque eodem soluto corpore ut benevolo frui.

§. 5. Istæ veritates de Dei existentia, & mentis ab eo dependentis immortalitate, omnis religionis bases sunt atque columnæ, quibus totum, quod molimur, superstruendum est: quæque toti pertractationi præbent normam, juxta quam hæc doctrina digerenda erit. Philosophus Deum spectat uti est in se, religiosus ut se

## 8 DE PRINCIPIO RELIGIONIS NATURALIS.

se habet ad nos, quatenus in ejus favore & fruitione omnis humana felicitas reposita est: quippe qui mentem sua in potestate habens, mentis defectus adimplere, ejus facultates amplificare, eamque novis percipiendi modis beare potest: imò pro amplificatæ mentis capacitate, se menti gloriosius objiciendo, eam undique satietate omnis desiderii recti perfundere. Quibus positus de viâ, seu modo ad beatam istam conditionem perveniendi deliberandum est: nec non quænam sit illa vitæ dirigendæ methodus, in quâ demum hunc Deum nobis spondere possimus propitium; colendum sanè eo modo, ut nullâ in re ejus gloriæ (cujus amantissimus est) quicquam detrahamus, aut adversus ejus majestatem nullum pugnans præjudicium retineamus.

### CAP. IV.

#### *De Principio Religionis naturalis.*

§. 1. **P**RINCIPIUM, ex quo religio naturalis, quoad certam de Deo ejusque cultu demonstrationem hauriri debet, est ipsum *lumen rationis* in mente hominis per notiones insitas & communes conspicuum, ita ut nemo attentior & præjudiciis liberatus illud ignorare possit.

§. 2. Sed cum vocabulum *rationis* in se sit ambiguum, homonymia ejus in antecessum removenda erit: sc. tenendum est aliam esse rationis considerationem *objectivam*, aliam *subjectivam*. Hæc dicit ipsam mentem humanam, ratiocinandi facultate præditam, quæ circa res judicandas discurret; quæque erroribus est obnoxia, quoties legitimi judicii limites transgreditur. Ast *illa objectiva*, quæ hujus loci est, notat illum notionum, idearum, & axiomatum complexum, qui omnium hominum animis communiter impressus & insitus est. Vocaturque lumen rationis, quia ille veritatum complexus ex notionibus constat communibus & ita patentibus, ut nemo, qui terminos solum intelligit, de earum veritate dubitare possit.

§. 3. *Ratio objectiva* est infallibilis judicii norma, secundum cujus dictamen in Th. naturali de rebus divinis tantummodò pronuntiandum est.

1. In-

## DE PRINCIPIO RELIGIONIS NATURALIS. 9

1. *Infallibilis* inquam, quia nil comprehendit præter notiones communes à Deo profectas, qui cum bonus sit & fallere nescius, ista veritatis principia cum humano genere communicavit: prout jam ante in primâ scientiâ quoque edocti sumus.

2. Hæc judicii norma etiam est *immutabilis*; quia nunquam fieri potest, ut verum vero sit contrarium, aut fiat: quod adeo certum est, ut nec revelatio ipsa huic rationis lumini contraria sit, quoniam rationem evertere non potest.

3. Quare ejus veritates *æternæ* vocantur, ob Dei constantiam, qui earum auctor est, in cujus naturâ plurimæ fundantur, & cujus æterna voluntas eas omnibus hominibus implantatas voluit, ut rebus in seculum constitutis essent consentaneæ.

§. 4. *Ratio subjective* considerata cum sit mens ipsa, circa illud rationis lumen, tanquam judicii normam, versatur ut judex: atque ejus actiones sunt. 1. Per contemplationem notionum communium res cæteras in ideis nostris ita intueri, & percipere, ut evidenter intelligamus, quid in istarum ideis contineatur. 2. Easque ita conferre cum ideis rerum vicinarum, ut in quibus conveniant, & in quibus distinguantur, mens distinctè percipiat. 3. Nexum inter præmissa & conclusiones ea cum attentione investigare & examinare, ut non concludamus, nisi ubi conscientia dicat, nos ad legitimum illationis officium sine ullo præjudicio præstandum satis esse instructos. 4. Atque tandem, res per notiones communes & juxta axiomata prima discutiendo, per causas & rationum momenta dijudicare, quid verum aut falsum, quidve bonum aut malum sit.

§. 5. Omne autem certitudinis fundamentum in eo fundatur, quod mens non judicet nisi de rebus clarè & distinctè perceptis, nihilque admittat lumini rationis contrarium: tales enim sumus conditi, ut nullus nostrum à clarè & distinctè perceptis, dum id per intimam conscientiam menti innotescit, assensum cohibere possit: idque ob fortissimam & insuperabilem, quæ menti inest ad assensum propensionem, quoties aliquid ad alicujus rei naturam pertinere omni cum evidentiâ percipimus.

§. 6. Corruptam quidem esse rationem humanam, adeoque ad judicium legitimum formandum ineptam nonnulli objiciunt: ve-

B

rum

## 10 DE PRINCIPIO RELIGIONIS NATURALIS.

rum videndum quo sensu illud antecedens admittendum aut negandum sit. Constat satis ratiocinandi facultatem in humano genere non esse planè extinctam: ita enim ipsa essentia humana fuisset abolita; cum tamen homo sit ens rationale. Nec lux primarum veritatum perit, nisi in furiosis & mente captis. Quando autem menti aliquam adhærere corruptionem dicimus, eam tantum in animæ tarditate & ab inquirendâ veritate aversione consistere admittimus, dum partim ob intemperatos corporique altè inhærentes impetus mens ad alia avertitur, partim ob inconsiderantiam animi & nimiam iudicii sui festinationem à temerario assensu se non abstinet. Non itaque illa corruptio eo usque trahenda est, quasi illa mens nihil clarè & distinctè percipere possit, aut nullum formare rectum iudicium, nullasque necesse legitimas consequentias: sed facere debet ad prudentiam, ne sequatur passiones animi aut præiudicia mentis cæco impetu; sed res prudenti subjiciat examini, tenebras dispellat, ac iudicium suspendat, donec per criterium veritatis, quæ est clara & distincta rei perceptio, trahatur in assensum aut dissensum.

§. 7. De hac certitudine quilibet homo persuasus esse potest per conscientiam, quæ efficit, ut quilibet sibi actionum suarum cum præteritarum, tum præsentium intimè sit conscius: quid cogitet & quomodo in agendi modo progrediatur. Dein ipsa in se communes notiones, & legitimi iudicii leges totamque normam examinis ita tenet, ut quæ videt, se videre ea sibi conscia sit, tanquam in plena luce constituta, & suo lumine radiantia. Hinc porro & ipsa *conscientia* de actionum mentis legitimâ aut illegitimâ ratione definitivè statuit, ipsam, ubi malè egit arguendo, ubi rectè, absolvendo: atque ita vicem Dei gerens animam post rem benè gestam exhilarat, ob malè gesta rodit & flagellat. Hæc itaque *conscientia*, ad actiones nostras reflectens, circa indagacionem veritatis & virtutis statuit, an mens officium suum præstitit, num secus, unde homo sibi benè aut malè conscius est.

§. 8. Opponunt quidem nonnulli conscientiæ iudicium aliquando fallere, cum ipsa fallitur; statuentes eam fallacis esse obnoxiam. Miror ita semet opponere iudicio conscientiæ, qui videri volunt à scepticismo abhorreere, non considerantes, quod hac  
via

## DE PRINCIPIO RELIGIONIS NATURALIS. II

via latam scepticismo portam recludant: Sanè *conscientiâ* omnibus & singulis hominibus a Deo data atque insita est, ut vicem Dei gerat; undè ultima provocationis analysi est ejus absolutio: quæ nunquam statuit ex opinione, sed ex certa scientia; undè conscientia dicitur. Nec de ea statuendum est ex temerario quorundam judicio, qui præter causam aliquandò ad conscientiam provocant mentientes: quippe qui quando suos errores postmodum observant, arguentem sentiunt conscientiam, iis, quod legitimi examinis officium non præstiterint, sed temerè opiniones suas loco dictaminis conscientiæ adhibuerint, objicientem. Si ejus judicium non esset solidum, quandò actiones suas ad normam expendit, error esset vel in ignorantia actionis suæ, quasi nescire possit, *quid agat, quo fine & quo modo?* quod falsum: vel in ignorantia normæ, quasi nesciret notiones primas veri & boni, ut ipsa lex conscientiæ posset esse erronea, quod etiam impingit, & in ejus auctorem incurrit. Jam verò ex veris & certis præmissis, non nisi certâ conclusio trahi potest: ex gr. cum ex lege conscientiæ notum sit verum Deum amandum esse: & ego in me inveniam veri Dei cognitionem & amorem: non aberrare potest ejus testimonium, sc. in me inveniri amorem Dei legitimum.

§. 9. Quod quosdam hic in contrariam rapit sententiam, est: fieri posse, ut quis idolum amet & colat, putans se verum Deum amare & colere; atque in eo casu tamen hominem quasi in præstito officio acquiescere; lege dictante, quod Deus amandus & colendus sit. Verum ista conclusio non est legitima & mera conscientiæ; quia per eam non tenet, se ex legitimo conscientiæ examine novisse, ideam, quam de Deo habet, subjecto convenire, cui eam applicat: unde convincitur aliquandò se in causa tam gravi officium legitimi judicis non præstitisse. Ergo judicium, quod conscientiæ est, non errat, quo statuit, si Deus, quem amo & colo, verus sit Deus, rectus est ille meus amor & cultus: sed cum hypothesis ista supponatur esse temerariæ opinionis, conscientia illum in isto opere non absolutè absolvit, sed supinæ aliquando arguet negligentiam, quod ante justum hypotheseos examen ad applicationem amoris & cultus progressa fuerit mens; cujus erat judicium tam diu suspendere, donec rem clarè & distinctè perceperit: be-

## 12 DE PRINCIPIO RELIGIONIS NATURALIS.

ne sibi conscia non ex opinione, sed ex certâ scientiâ (præprijis in re gravi) aliquid esse definiendum. Sanè potest aliquid esse conscientiæ, & aliquid opinionis assumi, ac componi, undè homo errat in judicio: sed cum talis conclusio sit temeraria, illa non est conscientiæ; sed hic corrupti judicii culpanda est festinatio, contra legem conscientiæ peccantis, de non festinando, quamdiu hypothesis incerta est, judicio: undè quantocius homo istius omissionis vincitur, conscientiæ suæ exprobrationes effugere non potest; eum culpantis, quod ante judicii definitionem, mentis examen non ad forum conscientiæ detulerit, nec ejus testimonium requisiverit.

§. 10. Extra similem casum fat scio, nemo de conscientia errante somniavit unquam, nec cogitabit adhuc: cumque de re ipsâ non sit dubium; quæstio erit de nomine; an conclusio ex præmissis, quorum alterum est conscientiæ, alterum opinionis, seu opinioni innixum, sit conclusio conscientiæ errantis? an potius judicii festinantis, & omnia præmissa ad forum conscientiæ non discutientis? Si quis hic sit pertinax, dicam conscientiam errare non posse in conclusione, quæ ex duobus enunciatis præmissis, ad lucem conscientiæ revocatis & castigatis, elicitur: ita ut actio mentis judicantis in foro conscientiæ inveniatur leges conscientiæ observasse, & actio practica legi conscientiæ sit conformis.

§. 11. Fateor etiam errores quoque foveri circa ea, quæ in quæstionem veniunt, an licita sint nec ne? v. gr. qui inter gentes *αὐτοφρονίαν*, scortationem, aliaque statuunt esse licita, atque eâ opinione conscientiam a moribus & rorsionibus cohibent, sed eos per conscientiam de hac re certos fuisse, nemo affirmabit. Conscientiæ solum est actionem licitam non esse culpandam: sed judicium de licito & illicito in istis casibus à gentibus formatum ex justis non profluxisse causis, sed potius ex affectibus vitiosis, manifestabit conscientia; quando veræ rationes justæ & æqui ad ejus tribunal allegabuntur: quod ipsâ experientia satis docet: atque sic etiam casus conscientiæ; uti vocantur, definiuntur, & legitimæ eorundem definitiones & decisiones ad conscientiam manifestantur.

CAP.

*De Opusculi huius Distributione.*

§. 1. **Q**UONIAM Theologia hæc naturalis versatur circa Deum cognoscendum, observandum, & à peccatore denuò ad conciliationem quærendum, tripartita erit tota huius disciplinæ pertractatio; ut parte prima agat de cognitione Dei cum in se, tum in operationibus suis. Altera de observantia Deo debita, secundum legem naturalem, ejusque opposito peccato. Tertia vero de quæstione Dei, etiam post peccatum commissum: in qua nobis occurrat repræsentatio præparationis Euangelicæ.

§. 2. Cognitio Dei eum considerat primo uti *in se* est, agitque de natura Dei in genere, deque ejus attributis, cum *essentiæ*, quæ sunt independentia, infinitas, immutabilitas, & simplicitas; tum *existentiæ*, quales sunt æternitas & omnipræsentia; nec non *vitiæ*, quæ cum spiritualis sit, de ejus intellectu, voluntate & potentia agit, concludens cum dogmate de unitate Dei. Secundo loco operationes ejus expendit, internam, quæ est decretum Dei, & externas, quæ sunt creatio & providentia Dei.

§. 3. Observantia Dei pertractatur, ut obligationem nostram derivet ex legibus primis & secundariis, quæ ex lumine rationis innotescunt: nec non spem concipiat ex præmiis cum virtutis studio connexis: quæ duo fœdus naturæ constituunt. Hinc transit ad violationem istius fœderis per peccatum, agitque de peccato in mundo prædominante, ejusque sequelis, humanam conditionem ultimis miseriis subjicientibus.

§. 4. Præparatio Euangelica agit de Deo post peccatum ad reconciliationem quærendo: atque tradit 1. Verisimilem hominum quorundam restitutionem. 2. Hinc ad requisita justæ cum Deo reconciliationis pergit. 3. Historicam veræ religionis indagacionem per remotionem falsarum subjungit: ostendendo solam religionem Christianam in sese omnia justæ reconciliationis cum Deo requisita continere.




14  
THEOLOGIÆ NATURALIS  
LIBER PRIOR  
DE  
DEO COGNOSCENDO.  
PARS PRIMA  
DE  
COGNITIONE DEI IN SE.

CAP. I.

*De Deo ejusque Attributis.*

SECTIO I.

*De Natura Dei.*

§. 1.  TIAMSI vocabulorum etymologiæ nonnunquam aliquid ad rerum naturas illustrandas conferant, hîc tamen in originem vocis Deus non anxîè inquirimus; quia quæ in hunc finem Grammatici proferunt parum certa esse existimamus, & leviora sunt, quam ut rem cognoscendam exhauriant. Fortè uti res est primæ cognitionis, ita vox primigenia censenda est, sine ulla derivatione adoptata: & res ipsa evidentior est, quam ut a conjecturis Grammaticis lucem accipere possit.

§. 2. Natura Dei seu Deitatis est eorum attributorum, quæ in idea Dei necessario includuntur, complexio: quicquid enim ita in idea Dei continetur, ut sine destructione formalis ejus conceptus ab ea excludi non possit, necessario ut essentiam ejus constituens admitti debet.

§. 3. Com-

§. 3. Communis Deitatis notio in supremitate fundatur, ut nemo non concipiat *optimum maximum*, quandò vocem istius naturæ suâ linguâ significativam audit. Nec ulla gens adeò barbara est, quæ non ad minimum inter entia magis & minus realia & perfecta, ac potestate insignia ad aliquod adscendat omnium præcellentissimum, essentiæ nobilitate supereminens, & benignitate optimum: ac proinde dignissimo loco habendum: cui rei etiam nomen supremæ dignitatis impōnit.

§. 4. Hujus entis optimi maximi (id est Dei) attributa varia traduntur, quorum alia referri debent ad ejus *essentiam*, uti sunt independentia, infinitas, immutabilitas, & simplicitas. Alia ad ejus *existentiam*, qualia sunt ejus æternitas & omnipræsentia. Alia denique ad ejus vitam, quæ sunt *intellectus & voluntas* una cum virtutibus veritatis, bonitatis, sanctitatis & justitiæ, nec non omnipotentia. Quæ an in uno solo, num verò in pluribus obtineant, erit ultimæ deliberationis.

§. 5. Hæc distinctio non ita accipienda est, ac si vita Dei ab ejus essentia, aut hæc ab ejus existentia sit separabilis: aut ullum eorum attributorum reverè à Deitate posset avelli: sed quia nostri considerandi modi hanc rem aliter attingere nequeunt: quare essentiam Dei abstrahendo contemplantes, & aliquando existentiam non considerantes, aut ad vitam minus attendentes, quum hæc expendimus, non cogitamus de aliis.

## SECTIO II.

### *De Attributis Essentiæ Divinæ.*

#### SUBSECTIO A.

##### *De supremi entis Independentiâ.*

§. 1. PRIMO loco animadversum est enti supremo competere independentiam: quæ nihil aliud est, quam quod nullâ causâ externâ indigeat aut ad existendum aut ad subsistendum, sibi soli sufficiens, nec quicquam aliunde recipiens.

§. 2. Hinc ista independentia Philosophis (voce licet barbara) *Aseitas* dicitur, quam vocem ob vocabulorum penuriam libenter admit-

## 16. DE ATTRIBUTIS ESSENTIÆ DIVINÆ.

admittimus; ut non solum negative exprimamus Deum nullam extra semet causam admittere, à quâ illi quicquam extrinsecus accedat: verum ut etiam Deitatem quam maximè positivè sibi in existendo & perseverando causam esse notemus, quippe quæ solum vi suæ naturæ existat, sibi & existentiae suæ sufficiens, atque ejus unicum in solidum fundamentum.

§. 3. Hoc aseitatis attributum in idea entis supremi includi ex ipsa supremitatis ratione indubium est: ens enim, in quo plus entitatis est, quam in aliis omnibus ipsomet inferioribus, ob eandem præcellentiam cum sit supra omnia, sanè ab istis inferioribus nil quicquam recipere potest, quod non habet: neque in alterius potestate concipi, eo quod supra omnia constitutum est: pugnant enim, supremum esse, & subordinatum, id est superiori potestati subjectum esse.

§. 4. Vel omne ens existens est dependens, vel aliquod est independens: si posterius dixeris, illud erit supremum: nam, quod est à se sibi sufficiens, vi propriæ naturæ existens, illud sanè longè excedit istâ suâ sufficientiâ omne illud, quod ab alio secundum esse totum & in fieri & in operari ita dependet, ut causam sui extra se requirat, dum nihil sibi ad esse suum conferre potuit, nec omne suum desiderium adimplere: prout anima nostra seipsam invenit in prima scientia. Si prius dixeris, rogamus, an totus ille rerum dependentium cumulus, collective sumptus, esse suum habeat ab alio aliquo ente, quod extra dependentium numerum est? vel secus? Si prius: illud ens, quod extra omnium dependentium numerum est, erit supremum, causa prima, & immediata, cætera omnia in sua potestate habens, id est *Deus*. Si postremum, negabunt dependere, quæ antea dependentia agnoscebant: ut ita contradictionem effugere non possint. Sane rerum dependentia sine supremo independente, ut causa prima, concipi non potest.

SUB-

## SUBSECTIO B.

*De supremi entis infinitate.*

§. I. **A**LTERUM entis summi maximi (id est Dei) attributum dicitur *infinitas*, quæ est perfectionum omnium absolutarum absoluta possessio: ita ut in eo nulla realitatis perfectæ carentia, aut limitata restrictio concipi possit. Quando *absolutas* dicimus *perfectiones*, eas distinguimus a perfectionibus sui generis, quæ certa quædam subiecta eousque perficiunt, ut ideam eorundem exhauriant, ita tamen ut perfectio omnimoda de iis negari possit.

§. 2. Hanc Dei *infinitatem* observamus ideæ Deitatis inclusam, propter *ejus supremitatem*: cum enim egomet ideam habeam entis infinitè perfecti, seu perfectionis omnis absolutæ possessoris, qui me, & omnibus rebus cogitantibus, præter & supra me præcellentior est: multò perfectiùs habebit ille in se talem infinitæ perfectionis ideam. Cum autem ejus ideæ oporteat esse causa exemplaris, quæ extra me existat (ut in probatione existentix Dei ostensum) necesse est, ut ens maximum istius ideæ exemplar in se ipso inveniat.

§. 3. Accedit ejusdem jam *probata Aseitas*: quâ vi suæ naturæ existit *ens supremum*, à nullâ causâ externâ dependens; ut quæ summo gradu possidet, per suam sufficientiam possideat: undè sequitur quod omnem perfectionem absolutam possideat, & quidem absolutè: qui enim sibi sufficit ad possessionem perfectionum maximarum, quibus omnibus aliis præcellit: quidni sibi dederit omnes perfectiones sibi cognitæ sine modo aut mensurâ? idque pro amore, quo fertur in semet ipsum: qui enim vi & sufficientiâ suæ naturæ existit, ille ad omne, quod in conceptu absolutæ perfectionis continetur, sibi sufficiens est: neque est extra eum, qui cum ullis limitibus circumscribat, seu cujus virtute essentia ejus finiatur.

§. 4. Nota porro, quod essentia, quæ nihil potentiale in suâ ideâ includit (adeò ut nihil illi dari possit, quo ipsius perfectio superetur) sit infinitæ perfectionis: atqui tale est ens maximum, quippe in quo idem est *esse & magnum esse*: seu esse & absolutè esse:

C

18 DE ATTRIBUTIS ESSENTIÆ DIVINÆ.

esse: nihil de non esse participans; ut observatur in creaturis, seu rebus dependentibus. Imò uti benè monuit Savonarola, *esse per se subsistens totam essendi perfectionem continet*: quod cum enti maximo per suam aseitatem conveniat, nihil de perfectione essendi ei deërit.

§. 5. Oppugnavit hanc Doctrinam præterito seculo Conradus Vorstius, sed satis infeliciter (dum homo Theologus se parum eruditum Philosophum ostendit) his præcipuè usus argumentis, 1. Quod nulla creatura sit infinita, adeoque nec Deum infinitum esse. 2. Quod de ejus potentiâ negetur extensio ad impossibilia. 3. Quod esse hoc aliquid, uti Deus est: & esse actu infinitum, sint contradictoria. Addunt 4. Scholastici ex dogmate de infinitate Dei sequi, quod cætera entia essent æqualis inter se perfectionis; quia si Dei perfectio sit mensura reliquarum, omnes ab ea infinite distabunt, cum in infinitâ distantia non detur magis & minus.

§. 6. Verum 1. prius non sequi constat, quia *infinitas perfectionis est proprietas, quæ Deo soli competit*: non vero creaturis. 2. Nec obstat, quod *de potentiâ Dei negetur extensio ad impossibilia*, quasi propterea infinita non sit: quia per hoc non negatur Deo perfectio, sed imperfectio: non est enim potentia facere impossibilia, quia ista sub potentiam non cadunt. 3. Nec contradictorium est, *Deum esse hoc aliquid, & simul actu infinitum* (ut sorgebat Vorstius) quia eo ipso, quod ejus perfectiones sunt infinitæ, seu ut rectius dicam absolutæ, a creaturis est distinctus, ac proinde aliud quid, ens nimirum super omnia alia eminent. 4. Errant quoque, qui dogma *de infinitate Dei* inferre putant *paritatem & æqualitatem perfectionis in omnibus aliis inter se comparatis*, quia à Dei infinitate omnes ex æquo per infinitam distantiam essent remotæ. Ast sciendum, mensuram perfectionis creaturæ non sumi à distantia perfectionis divinæ; sed à pluralitate aut paucitate graduum perfectionis, quos unaquæque res à Deo participat.

SUB-

## SUBSECTIO C.

*De entis supremi infinitè perfecti immutabilitate.*

§. I. **P**ROXIME sequitur Dei optimi maximi *immutabilitas*, quæ nihil aliud est, quam *perfectionum*, quæ dignissimam constituunt naturam, *constantia perfecta*, omnem mutationem à Deitate excludens: ut ei propterea nihil accedere, nihilque decedere queat, nec quicquam ejus cum alio commutari. Ita idem est, & manet, qui fuit: atque erit perpetuo, qui est.

§. 2. Ista mutabilitas aut mutatio excluditur a conceptu Deitatis per assertam jam Dei *independentiam* & *Aseitatem*: quia quod accederet aut decederet, vel etiam per commutationem succederet, hoc vel causam agnosceret externam, à Deo diversam, vel Deum ipsum, sibi novam aut latiore perfectionem adjicientem vel antiquam auferentem. Prius est contra entis supremi independentiam & supremiorem: quâ Deus in alterius potestate non est constitutus, nec aliundè aut accipit quicquam, aut à quoquam lædi potest. Ens enim supremum, plus realitatis possidens præ omnibus aliis, non potest à minus perfectis quicquam accipere; & inferiora in potestate habens ut longè post se relicta, non potest involuntariò ab iis aliquâ perfectione privari. Nec inferiora ei dare possunt, quod ipse non longè excellentius in se contineat. Cum itaque omni causâ externâ liber sit, & subjici propter independentiam non possit: nihil relinquatur, nisi ut ipse tanquam causâ sui ad seipsum referatur; cumque nullum effectum possit esse nobilius suâ causâ, se nobiliorem facere, quam antehâc erat, non potest, seu per novæ alicujus perfectionis acquisitionem aliquid adjiciendo, sive per alicujus perfectionis incrementum ac dilatationem semet ulterius nobilitando. Multo minus, qui vi suæ naturæ existit, concipi potest in se deficere, aut a se deponere aliquam perfectionem; ita enim ex Deo fieret non Deus, & ex diviti perfectionum possessore defectuosus, ac tandem ex supremo inferior; quod sanè intrinseca ejus sufficientia non permittit, quâ æque perseverandi atque existendi in sese habet principium.

§. 3. Multò minus ea mutatio Deitatis est possibilis per Dei

*infinitem*: transiret enim per istam mutationem in statum meliorem, aut pejorem, vel saltem æqualem: aut infinite perfecto nulla nova aut major perfectio relinquitur, quæ ei accedere posset; nec salvâ infinitate aliquid reale ab eo tolli potest, qui semet ut infinite perfectum amat. Neque etiam *mutatio* in æqualem conditionem hic obtinere posset; quia nec ea concipi potest sine antiquæ perfectionis depositione & novæ acquisitione; quod maxime absurdum; quoniam sic ante istam commutationem nondum infinite perfectus fuisset, quippe carens illâ nova realitate, quam adsciscere supponitur; nec infinite perfectus fieret aut maneret, ob antiquæ perfectionis depositionem; quare & ante & post talem mutationem dicendus esset omnimodâ perfectione destitutus, quod est contra conceptum infinitæ perfectionis, quæ omnimoda seu absoluta est.

§. 4. Sanè, cum omnis *mutabilitas* imperfectionem connotet, dum includit potentiam passivam, quæ etiam est contra independentiam; ea ab ente independente & summè perfecto removenda est.

§. 5. Objiunt quidam principium creationis includere initium actionum Dei externarum; ac mutabilem esse, qui ita actu mutatus est, ut transferit ex non agente in agentem. Verum, cum *creatio* respectu Dei nil dicat præter novam, quam creans ad rem creatam acquirit relationem; eaque relatio ne quidem realis sit; realem in Deo mutationem minime efficit. Creatio quidem effecit, ut creatura transferit a non esse ad esse; sed nequaquam ut Deus transferit ex non agente in agentem; quippe qui æternus cum sit & actus purus est, simulque æternus est Dei actus, quo mundus initium accepit, & cujus vi particularia mundi orta sunt in tempore; ea enim est voluntatis Dei æterna efficacia, ut ejus vi res prodeant in ea serie, quam decretum Dei æternum definivit.

Quod Vorstius opponit de accidentibus in Deo, illi mutationem inferentibus; id sub attributo simplicitatis Dei refutabitur statim solidè; cum falsum sit in ente necessariæ existentiae aliquid accidens, quod necessario contradictoriè opponitur, locum habere posse.

## SUBSECTIO D.

*De entis supremi infinitè perfecti simplicitate.*

§. 1. **T**ANDEM in idea Dei occurrit essentiæ ejus *simplicitas*, que est omnium perfectionum Dei cum ejus essentia & inter se *identitas*: cujus intuitu ab ente perfectissimo omnis excluditur compositio; cum ea, quæ ex diversarum substantiarum fit copulatione; tum & alia, quæ fit ex substantiâ & modis accidentalibus.

§. 2. Compositionem, quæ oritur ex diversarum substantiarum copulatione, à Deo removemus quam maximè; qualem introducit Spinozæ sententia horrida, omnemque formalem rationem Deitatis subvertens: quâ Deum definiens per substantiam *infinitis attributis constantem*, quorum unumquodque *æternam & infinitam essentiam exprimit*, rem ita exponit, ut statuatur attributa illa infinita nihil inter se commune habere, nec omnia esse perfectiones absolutas, sed tantum perfectiones sui generis; quibus Deum aggregatum facit ex variis substantiis & partibus plus minus perfectis, omnemque simplicitatem Dei destruit: cum enim substantia non concipiatur nisi per attributum suum essenziale (ipse enim dicit per attributum se intelligere *idem, quod per substantiam, nisi quod attributum dicatur respectu intellectus, substantiæ certam talem naturam tribuentis*) indè, ipso licet invito, sequitur totidem esse substantias, quot sunt attributa diversa, nihil commune inter se habentia. Cumque infinita illa attributa, ex quibus Deum constare asseverat, habeat pro diversis, nihil commune inter se habentibus; necesse est, ut ex infinitis substantiis unum aggregatum conflatum statuatur, quod Deum vocat; atque simplicitatem Dei destruat. Scio equidem negare auctorem in Scholio ad Propos. 10. p. 1. istam sequelam, atque opponere, *quod de natura substantiæ fit, ut unumquodque ejus attributum per se concipiatur: quandoquidem omnia ejus attributa, quæ habet, simul in ea semper fuerunt, nec unum ab alio produci potuit, sed unumquodque realitatem sive esse substantiæ exprimit. Ast, quid est verba dare, si hoc non fit? attributum idem est quod substan-*



*tia*; eaque substantiæ certam naturam tribuunt: quæ si realiter sint distincta, ut unum sine alio concipi queat, nihil inter se habeant commune, nec unum ab alio produci potuerit, sanè diversæ sunt naturæ: quod planè infert ea esse diversæ essentiæ: Et cum unumquodque eorum attributorum esse substantiæ exprimat, quomodo quæso diversa, nullo nexu inter se cohærentia, concipi possunt non exprimere diversas, id est, plures substantias? nisi contradictoria dicas idem simul esse diversum naturâ, & simul non diversum naturâ: seu idem non esse idem. Nec juvat *sempiternitas coexistentiæ* in eodem subjecto: cum illa nihil aliud dicat, quam conjunctionem substantiarum diversarum ad idem compositum conficiendum, quod non excludit substantiarum pluralitatem, sed actualem divisionem in subjecto composito: & si concurrant ea sine nexu naturali, relinqui sanè in subjecto divisibilitatem naturâ possibilem, seu quam natura non prohibet, sed casus, apertum est.

B. Attendamus quoque ad *substantiæ* definitionem, quam Spinoza tradit, quum dicit esse id, *quod in se est, & per se concipitur*. Quod si inter infinita attributa (quæ nobis ait præter cogitationem & extensionem esse incognita) singula esse substantiæ exprimunt, quippe quæ per se concipiuntur & nullum nexum naturalem inter se agnoscunt, adeoque in se sunt: oportet ut singula diversam constituent substantiam, cum singulis substantiæ definitio conveniat.

§. 3. Saltem compositionem ex attributis naturâ diversis in Deo non esse admittendam probamus.

1. Quia ista infinita attributa inter se forent heterogenea, dissimilaria ac diversæ naturæ: ac proin ad Deitatem constituendam ita a se mutuo sine nexu intrinseco dependeret, ut per accessum vel appositionem unius ad aliud, ac tertii ad primum & secundum, atque ita in infinitum demum concipi possit absoluta Deitas. Ast hoc est Deum conficere ex dependentibus.

2. Attributa illa singula erunt finita aut infinita; & si hoc, ut eligit auctor (perpendens finita finitis addita quidem indefinitum facere numerum, sed nunquam conficere naturam infinitam) denuò rogamus an singula sint infinita in suo genere, an absolutè suâ

suâ naturâ? Hic hæret aqua. Imò manifesto prius eligit: esse singula infinita seu perfectiones in suo genere. Nec poterat aliter, quia dum nihil habent commune, realitas unius negari debet de altero: V. Gr. cogitatio de extensione & extensio de cogitatione. Singula habebunt itaque perfectiones, quas alia non possident: undè singulorum perfectiones singulares nullo modo pro perfectionibus absolutis haberi possunt, ergo nec singulæ infinitam essentiam Deitatis absolvere possunt. *Infinitas* non absoluta sed in suo genere, non est infinitas, sed limitatio & restrictio per exclusionem infinitarum perfectionum, quæ singulis attributis propriæ sunt: ut revera in illud absurdum incidat, Deum constare ex attributis finitis, infinito numero aggregatis, quò unum alterius defectum adimpleat. Cumque nulla vi naturæ cohæreant, Deus Spinozæ erit aggregatum per accidens, nullâ necessitate naturæ concretum.

3. Attributa illa infinita, nullo nexu essentiæ cohærentia, sunt quoad singula inter sese collata æqualis, aut inæqualis perfectionis? Si perfectionis æqualis? *extensio* tantæ erit perfectionis & nobilitatis ac *cogitatio*, licet illa merè passiva, hæc activa sit. Si inæqualis perfectionis, & unum altero perfectius sit, perfectio maxima demum complementum suum accipiet ab accedentibus minus perfectis: atque ne quidem ipsa per se absoluta perfectio erit. Falsum itaque est singula attributa singulatim infinitam exprimere essentiam, quod ad Deitatis constitutionem ipse requirit.

4. Si plura attributa Dei à se invicem diversa & nihil inter se commune habentia, *singula æternam exprimunt essentiam, singula erant æterna*: at cum singula non existant vi suæ naturæ & perfectionis, neque inter illa nexus naturalis sit, singula nullo modo ut æterna spectari possunt, id est ut vi propriâ necessario existentia. Sanè *extensioni*, utpote attributo passivo, nulla vis, adeoque ne quidem ad existendum, inest: multo minus includit in conceptu suo necessariam existentiam, quâ vi perfectionis suæ sit æterna.

5. Si nulla attributa essentialia nobis sint cognita præter cogitationem & extensionem: & reliqua infinita sint incognita: figmen-

mentum auctoris erunt reliqua ista infinita, in ideâ Dei non observata, quia incognita; nec ex eâ eruta, quia ad esse absolute perfectum, & sic infinitum non requiruntur: cui sufficit sola absoluta perfectio infinitæ cogitationis, quâ Deus se absolute perfectum, id est, infinitum novit & amat.

§. 4. Quod ad compositionem ex substantiâ & suis modis attinet, illa etiam absurda est; quia 1. *natura Deitatis* propter suam immutabilitatem *modos non admittit*, saltem qui se habent ut accidentia, quæ concipiuntur ut a qualicumque substantiâ separabilia & extrinsecus introducta, atque ita ut accessoria. 2. Nec etiam compositio ex subjecto & accidenti locum habere potest propter Dei *infinitatem*; nam quod in se infinite perfectum est, hoc in se continet omnes perfectiones possibles, vel formaliter vel eminenter, ut ulterius perfici non possit: at perficeretur ens infinitum in se, si reciperet in se accidentia realia; quia & ipsa sunt perfectiones quædam reales. 3. Quoniam ens infinite perfectum excludit à se omnem defectum & imperfectionem, etiam omnem potentiam passivam seu receptivam excludit: cum talis potentia carentiam seu defectum supponat, ut proin ens infinitum etiam eam ob causam nec ulteriorem perfectionem, atque adeo nec accidentia recipere possit.

§. 5. Quos Vorstius (Deum substare accidentibus propugnans) hic movit fluctus, dudum depulsi sunt. 1. Ubi monebat *multas Deo ut subjecto tribui proprietates*: non attendebat id solum fieri nostro concipiendi modo: qui, cum propter fines intellectus nostri Deum infinitum adæquate concipere non possumus, etiam eundem secundum intrinsecam ejus simplicitatem non possumus plenè assequi: quare istæ proprietates a nobis non considerantur, ut realiter ab essentiâ Dei distinctæ, sed ut eminenter in essentiâ Deitatis comprehensæ, atque mentis nostræ abstractione ita perpendendæ, ut tamen cum essentiâ Dei identificari agnoscamus.

§. 6. Nec plus valet objectio, quâ dixit olim, *Actiones Deo immanentes varias esse, ut ipsa essentia Dei vix dici possint, quales sunt cognoscere, velle, se ipsum amare &c.* Cum enim actiones istæ in Deo æternæ & essentielles sint; non dubitandum, quin & ipsæ sint ipsa essentia Dei actuosa. Ut actus purus concipiendus est

est Deus, in quo actiones non sunt ut actus secundi ex suis facultatibus elicti, uti fit in homine: quare nullo modo ut res à Deo diversæ spectari debent.

§. 7. Frigidum est, quandò ex eo, *quod Deus ab his colitur & adoratur, ab aliis ignominia afficitur, colligit res diversas esse in Deo:* quoniam ista non sunt in Deo ut subjecto, aut in eodem ut patiente: quippe ab istis non recipit mutationem ullam realem: sed actiones istæ humanæ à creaturis profluentes circa Deum tantum versantur tanquam circa objectum, cujus beatam supremitatem turbare, augere, aut minuere nihil valent.

### S A C T I O III.

#### *De Attributis Existentiæ.*

##### SUBSECTIO I.

##### *De necessariâ Dei existentia & primitate.*

§. 1. **I**N essentiâ Dei includi necessariam existentiam docuit nos prima scientia, ubi ex eâ colligebat Dei existentiam; pro- ut etiam in transumptis videre licet inter Prælim. cap. 3. §. 1. N. 2.

§. 2. Est autem necessaria existentia, quæ non potest non ad- esse essentiæ, propter ejus naturæ vim & sufficientiam efficacem ergà se ipsam: ac omnimodam perfectionem, omnem causam ex- ternam, quæ illi aliquid conferat, respuentem.

§. 3. Hanc perfectionem Deo competere, ita ut ejus essentia necessariò hanc existentiam includat, facilè probamus 1. Ex natu- rà supremitatis: quem enim concipimus ut optimum maximum, supra omnia alia eminentem, ille sanè nihil a rebus infra se accipe- re potest: cum causa non possit esse nobilior suo effectu: atque adeò causam existendi extra se nec habet, nec habere potuit. 2. Ex na- turâ independentiæ & aseitatis; quod enim non est ab alio, à quo dependeat, sed a se; illud non habet causam existentia suæ nisi in se ipso, seu propriâ suâ sufficientia, vi naturæ suæ. Quod au- tem ita existit, illud necessario existit; quia ipse ante suam exi- stentiam non præexistit, seu a non esse ad esse transire non po- tuit. 3. Omnis existentia est vel possibilis, vel necessaria: ista

D

in-

involvit imperfectionem: hæc demum absoluta perfectio est, & in naturæ absolutâ perfectione fundatur; ergò de ente naturâ infinite perfecto, qualis est Deus, negari non potest.

§. 4. Hinc proximè sequitur *Dei primitas*, quâ concipitur ens necessariò existens ante omnia alia, quæ solum concipiuntur ut possibilis existentia. Secundum hanc supponitur existitisse, cum præter eum nihil adhuc esset, aut ante principium rerum nihil præter ipsum fuisset.

§. 5. Etiam hanc prærogativam Deo asserimus 1. propter ejus suprematatem; qui enim est supra omnia, ille est ante omnia; si enim alius ante eum fuisset, a quo existendi principium accepisset, ille fuisset tanquam ejus causa ipso nobilior, & sic superior, quod est contra hypothesin: de ente enim nobilissimo & supremo quæstio instituitur. 2. Qui non est absolutè primus, & alio posterior, ipse cepit existendi principium, quo transit a non esse ad esse: at talis est necessario à causâ externâ dependens. 3. Neccessaria existentia excludit possibilem, ac multò magis existendi initium: quare ens infinitum vi absolutæ perfectionis necessario existens, primum est.

## SUBSECTIO II.

### De Æternitate Dei.

§. 1. **ÆTERNITAS** juxta Boëtium est *actualis, interminabilis* & *simultanea essentia possessio*. Talis existentia cum rerum fluxarum & temporis vicissitudini obnoxiarum duratione collata, coexistentiam quidem dicit, sed incommensurabilem, cum utraque existentia æterna & temporalis totâ naturâ differant: duratio enim existentia possibilis est fluxa, accedens atque recedens, singulisque momentis quasi repetenda: constantia vero existentia necessaria est omnis mutationis expers.

§. 2. Absoluta æternitas dicitur *interminabilis* existentia, quia nec respectu prioritatis initium agnoscit, nec respectu posteriorum finem, ita ut nec existere inceperit, nec existere desinet. Additur *simultanea* essentia possessio, ut excludatur omnis successio.

§. 3. Deo

§. 3. Deo æternitatem absolutam tribuentes, ei vendicamus primo loco existentiam sine existendi principio, id est, sine transitione a non esse ad esse; quia ei competit 1. *Necessaria existentia*, quæ possibili est opposita, & locum non habet in iis quæ fiunt: aut principium existendi accipere est fieri, quod obtinet solum in rebus possibilis existentia. 2. *Primitas* in existendo excludit principium existentia, quia ante se neminem habet undè oriatur. 3. *Independentia* prohibet ut Deus sit ab alio: & infert aseitatem, quæ negat principium; cum ante principium sui causa esse non posset. 4. Neque ejus *immutabilitas* transitum à non esse ad esse admittit.

§ 4. Dein æternitati ejus includitur interminabilis constantia, quæ efficit, ut finis existentia in eum non cadat. Atque hæc ejus perseverantia sine fine agnoscenda etiam est, & fluit 1. Ex *Dei supremitate*, quâ omnia inferiora ita sunt in ejus potestate, ut à nullâ re lædi, destrui, aut annihilari possit. 2. Ex ipsius *aseitate*, quâ sibi ad existendum sufficit: talis enim nunquam à vi propria sufficientia destituitur. 3. Ex *necessaria existentia*, quæ necessaria non esset, si contingens esset, ut non existeret, sed existendi finem experiretur. 4. Ex *Immutabilitate* naturæ perfectissimæ, quæ non patitur ut à summâ realitate transeat ad nihil per annihilationem, aut ab esse perfectissimo ad esse imperfectum. 5. Adde & idem sequi ex ejus simplicitate, quæ propter intrinsicam perfectionem & attributorum Dei identitatem inter se, non patitur ut ullo modo resolvi possit. 6. Imo si existere desineret, id foret vel quia ex aliquo tædio amplius perseverare nollet, quod pugnat cum amore sui, & acquiescentia in perfectâ ac absolutâ suâ beatitudine: vel quia essentia suæ perpetuitatem non amplius tueri posset; quod est contra perfectionis suæ absolutam infinitatem.

§. 5. Sequitur tandem *simultanea vitæ possessio*, quâ omni successione caret. 1. Quoniam qui initio & fine caret, necessario *totus simul est*, sine succedaneâ duratione, quæ involvit magis & minus: quia hodiernus dies in succedaneis diem durationi cum relatione ad hesternum adjiceret: atque ita infinitæ durationi respectu temporis præterlapsi accederet per continuationem succes-

fivam numerus, qui iterum excrefceret in infinitum: ac fic infinitum fieret infinito majus. 2. Accedit, quod *mutationem* in fe includat *ſucceſſio*, quoniam iſta devolutio dicit transitionem à non eſſe ad eſſe, ſeu ab unâ parte exiſtentiæ ad alteram; non enim in præſenti habuerat eam, quæ præterlapſa ſupponitur, nec eam, quæ nondum adefſt, dum ut futura concipitur. Jam ante enim vidimus Dei eſſentiam, quæ exiſtentiam includit, eſſe *immutabilem*. 3. *Neceſſariam* quoque *exiſtentiam* tollit ſucceſſio, quia contingentiam includit: dum involvit fuiſſe & fore, atque etiam non eſſe: quod enim fuit, quâ tale amplius non eſt; quod erit, nondum eſt: & quod jam eſt, mox non erit. 4. Omnis *ſucceſſiva exiſtentia* inferit *rem continuò actuandam* eſſe: quod ſi Deus talis eſſet, momentaneus eſſet, quotidie oriens, & incrementum exiſtentiæ accipiens: atque ita eſſet ens in potentiâ ad futurum, quotidie actuandum: id quod cum Dei independentiâ pugnat: quia quantum eſt in unoquoque ente potentiæ, tantum in eodem eſt dependentiæ.

§. 6. Neque nos movent, ad contrariam ſententiam amplectendam, quæ à quibuſdam objiciuntur. 1. Quod *æternitas unico momento abſolvi poſſet, ſi unico momento conſtet*: quam ſequeſam rectè abſurdam pronunciant. Aſt, qui ita loquuntur, non intelligunt momentum aliquod præterlabens, quod minimam durationis facit particulam: ſed permanens abſquè diſiſione & partibus. 2. Nec ſequitur, quod res (quæ in tempore ſunt & fiunt) *ſimul eſſent & non eſſent, ſi æternitati Dei ſimultaneæ coëxiſterent; quia, quæ coëxiſtunt, ſimul exiſtere debent*. Notandum enim, quod æternitas coëxiſtens rebus, non mutet naturas rerum, nec res coëxiſtentes Deo, Dei exiſtentiæ inferant ſucceſſionem: ſicuti enim eſt utriuſque extremi comparati exiſtentia, Dei ſimultanea, rei creatæ ſucceſſiva in ſe, ita relinquitur in comparatione, quæ mera relatio eſt. Quando creatura dicitur coëxiſtere Deo; dicitur in ſuo tempore nunquam ne ullâ quidem horâ exiſtere ſine Deo præſente: non quod ſimul ac Deus exiſtat, aut ſimili modo: ſed quod nullâ hora exiſtentiæ ſuæ non habeat Deum immutabilem, ipſam in duratione ſuâ continuantem & quaſi reproducentem. 3. Quod dicunt *ita omnia in æternitate dicenda eſſe præſen-*

*sentia*, atque tolli à rebus distantiam temporis, ut hic primus mundi annus sit hîc ipse præfens: id quidem sine fundamento proponitur: res enim non sunt in æternitate, sed in tempore; & æternitas non est mensura partium temporis; sed motus orbis præteriens est mensura rerum in tempore existentium: quæque ad eam normam mensuratæ in uno tertio gradu temporis conveniunt, inter se conveniunt; seu quæ in eadem parte temporis coëxistunt, simul existunt.

Fateor, *æternitatem Dei*, successione carentem, *æquivalere omni tempori & durationi*, sed & excedere & superare infinities, non vero assimilari addimus. Quandò autem *res in tempore æternitati coëxistere* dicitur, non innuitur omnes res simul & semel Deo æterno coëxistere, sed alias post alias; cum ipsæ non aliter existant: nec dictorum sensus est, quod aliæ partes durationis, aliis partibus æternitatis coëxistant; quoniam æternitas non habet partes, ad quas istæ partes mensurari possunt, sed res sibi invicem succedentes in tempore coëxistere toti ac indivisibili æternitati: adeò ut non semper coëxistant Deo, quæ de successione participant; cum enim nondum essent, non habuerunt Deum conservantem: sic etiam ex altera parte sine Deo præfente nunquam sunt; erunt, aut fuerunt.

## SUBSECTIO III.

*De omnipræsentia Dei.*

§. I. QUAM alii appellant *immensitatem Dei*, nos hîc appellamus ejus *omnipræsentiam*; ac dicitur de Deo, in quantum coëxistit omnibus & singulis corporibus hujus universi, licet loco à se invicem plurimum distitis. Est quidem existentia Dei à loco independens, & per locum interminabilis; ita tamen ut omnibus rebus extra ipsum intimè præfens sit. Hæc autem Dei ipsius præsentia est omnipræsentia; atque ea definitur ut actualis ejus existentia, quâ loci hæud indigus, *nulli loco est inclusus, ex nullo exclusus.*

§. 2. Jubet nos illud Dei attributum admittere 1. Ejus *primitas* quâ existit ante locum, ut ejus existentia non sit suspensa à loco,



dum fuit, præter locum. 2. Ejus *independentia* etiam exigit, ut teneamus Dei actualem existentiam nullâ egere re, multo minus extensâ extra se. 3. Ejus *simplicitas* collata cum absolutâ naturæ suæ perfectione nos docuit *extensionem* in eum non cadere; quæ sola locum postulat: ergò ille omni extensione nobilior, *loco non est inclusus*.

§. 3. Verum eum dicimus eum *ex nullo loco esse exclusum*, hoc dicimus eo sensu, quod nullibi sit corpus, quod ab ejus præsentî potentîâ non sit dependens: quippe in omni loco corpora constituit, quotquot loco capiuntur, & in omni loco conservat. Ergò *nullo ex loco exclusus est*, quia in nullo non est actuosus.

§. 4. Quando *presentem potentiam* dicimus, non excludimus essentiam Dei, quæ sanè non debet concipi distare à quocunque corpore, & in distans agere, seu mediatè; sed ut immediatè rei præsens. Dei potentia imò actuositas est ipsa ejus essentia, secundum quam in omnibus actuosus est: quod plurimum distat à sententiâ Vorstii, qui Deum quoad essentiam cœlo includens, eundem suam potentiam indè ad orbem inferiorem mediatè solum porrigere statuit.

§. 5. Quæ ab aliis finguntur spatia imaginaria, causantibus eam fictionem multum facere ad commodiorem immensitatis conceptum, vana sunt; non enim illi attendunt se oleum & operam perdere, cum eadem finita concipiendo, nihil præstent ad concipiendam Dei infinitatem: aut si infinita planè concipiant, infinitum concipiunt præter & juxta Deum, quem ajunt propter infinitatem se comprehendere non posse. Sicut ne quidem limites mundi assequi valent. Imò cum extra mundum nihil sit, sicuti nec ante mundum spatium fuit, nil nisi figmentum dicunt, cum in nihilo nihil sit: & Deus ad existendum spatio non indigeat.

§. 6. Quæ Vorstius ex ratione objicit satis crassa sunt. 1. *Indignum Deo dicit, eum esse in antro formicæ, in latrinis & locis sordidis*. Non pensans, Deum indè sordes non contrahere; nec ejus essentiam cum rebus misceri: ut nec ei insit uti locatum in suo loco. 2. Nec felicior est ejus pronuntiatio, absurdum esse, *quod Deus infinitus sit in minimo pulvisculo totus*. Si enim per totum esse in pulvisculo minimo intelligit ejus præsentiam cum exclusio-

ne

ne extra omnia reliqua, fallitur miserè: non enim confundenda est Dei infiniti præsentia cum rebus, quibus præsens est: neque indivisibilis Dei præsentia, quæ partes non habet, cum ejus coexistentiâ & corporum præsentia, nam licet infinita ejus essentia in re minima sit tota, id est non per partes: ejus tamen coexistentia & præsentia re minimâ non terminatur aut circumscribitur.

## SUBSECTIO IV.

*De Dei incomprehensibilitate.*

§. 1. **E**x his omnibus sequitur *Dei incomprehensibilitas*, quæ est ejus relatio quoad essentiam infinitam, ac æternam & omnipræsentem existentiam, ad captum intellectus nostri finiti, qui cum infiniti non sit capax, se ad Deum convertendo eum potius dicitur apprehendere, neutiquam verò comprehendere.

§. 2. Constat hæc veritas per intimam nostram conscientiam, quâ mens sibi conscia est, quod solum inadæquatum de Deo formet conceptum: dum quæ simul & perfecte in Deo pervestigare non potest, per abstractiones mentales, & imperfectas collationes è longinquo assequi conatur: licet enim teneamus omnia attributa, quæ concipimus in Deo, cum ejus essentiâ identificari & inter se, nihilominus cum in istâ absolutâ simplicitate ea non possimus clarè intelligere, eadem abstrahimus; quæ nota est naturæ mentis, actis limitibus circumscriptæ, prout in nobis per conscientiam experimur. Sic etiam collationes facientes per relationem Dei ad creaturas, & coexistentiam ejus cum existentia creaturarum in tempore & loco, clarè observamus, nos conferre & ad se invicem referre, quæ in re ipsâ sunt incommensurabilia, cum Dei existentia per tempus & locum mensurari nequeat; & tamen creaturæ sine Deo existente non existant in tempore suo & loco.

§. 3. Quare tenenda est æquissima hæc in cognitione Dei regula, quod *si dicitur non deceat nos negare, si ex evidenti ratione, aut ex revelatione divinâ constet: etiam si dicitur minus assequamur: memores nos finitos infiniti non esse capaces ad illud comprehendendum & intime penetrandum.*

SE-

## SECTIO IV.

*De attributis vitæ Dei.*

## SUBSECTIO I.

*De vitâ Dei intellectuâli.*

§. 1. **V**ITA Dei (cujus attributa nunc porrò discutienda sunt) est *ipsa essentia divinæ actuositas*; dum concipitur ut operans. Neque ens supremum, cæteris aliis præcellens, aliter à nobis concipi potest, quam sub ideâ substantiæ viventis, actus nobilissimos exercentis.

§. 2. Res evidens est: Quia ipsa illa *actuositas* nobilis non tantum, sed & absoluta *perfectio* est, quâ si res quædam aut substantia qualiscunque destituta est, eo ipso eadem ut inferioris ordinis censetur, seque habet ut merè passiva, & sic in aliarum rerum potestate constituta; quod longè à dignitate entis optimi maximi, & multo magis à naturâ entis *summè perfecti* recedit.

§. 3. Accedit, quod *ens independens* necessariò concipiatur in relatione ad cætera omnia, ut *causa prima*, vi suæ naturæ existens, & à quo cætera omnia tanquam à causâ dependent. Neque frustra sumus, quod, ad eam relationem Deum referentes, supponimus omnia extra Deum ab eodem ut causâ dependere: si enim res daretur ulla, cujus ipse causâ non sit, ipsa quoque independens esset: quod admitti non potest, quin hoc ipso Deus esset. Jam verò correlata sunt, *causa & actio*: quod enim nihil agit, nihil causare dicitur. Saltem prima scientia ex mentis origine (per viam causalitatis ut ajunt) ejusque conservatione, existentiam Dei jam ante probavit, & quidem ut causæ mentis, cui ipsa productionem suam, & continuationem existentia suæ debet. Quare, quod primum de Deo cognoscitur, & per quod ejus existentia ante omnia innotescit, est, quod sit *causa mentis nostræ*, de hoc auctore suo cogitantis: & causa omnium, quæ præter ipsum existunt. De cujus naturâ est *agere*, seu quod idem est *vivere*.

§. 4. Adde considerationem *Ascitatis Dei*, quâ semper ex sese est

est, quod est, suâque propriâ virtute subsistit, ita ut sola ejus virtus nullius extraneæ opis sit indiga, & quicquid possidet, illud omne sibi tantum debeat: Utquè prorsus concipi debeat actuosa Dei natura in se ipsâ, & ad se ipsam, dum propriâ suâ virtute subsistit.

§. 5. A quo invenimus Dei *primitatem* ex eo profluere, quod omnis existentia possibilis existentia necessariâ sit posterior, sine quâ etiam ex statu possibilitatis in actum transire nequit: *primus* necessarius concipitur, ut qui possibilia à non esse ad esse transtulit, & sic omnia, quæ sunt, causavit. *Causare* autem cum sit *agere* cum effectu, sequitur, quod *agere ut causa prima* omnium rerum existentium, in ideâ Dei necessario includatur.

§. 6. Hæc Dei actuositas est *vita* ejus *intellectualis*; (quæ alias *spiritualis* dicitur) quâ actus spirituales in se continet: quo sensu Deus ipse etiam *spiritus* dicitur, quatenus illa vox substantiam cogitantem significat, intellectu & voluntate præditam, cujus vivere est agere, & cujus agere est cogitare.

§. 7. Hoc ut manifestum fiat, perpendendum est, nos non habere *ideam substantiæ*, quin sit aut res *cogitans*, atque ita intellectualis: aut *extensa*, & sic corporalis; cumque prior posteriori longè sit præstantior & nobilior, non possumus nobis etiam conceptum formare de substantiâ nobilissimâ (seu, quod idem est, de ente optimo maximo, quod suâ dignitate cæteris omnibus præcellit) nisi sub repræsentamine entis, sive substantiæ cogitantis. Indubium verò est *cogitationem* in se esse *perfectionem absolutam & meram*, quæque *formaliter* talis est, si eam spectemus ut illimitatam: adeò ut natura & res, de quâ *cogitatio* negatur, sit bruta, & minoris dignitatis; quale quid ab ente optimo maximo quam longissimè remotum esse per se clarum est. Undè firmissima est sequela, ens *summum* esse intellectuale, seu substantiam cogitantem.

§. 8. Invenimus etiam ex mentis nostræ existentia muperâ & incertâ, ac multimodis ejusdem imperfectionibus, eam Deum habuisse causam, ex cujus potentia prodiit: cumque causa omnes realitates & perfectiones, quæ sunt in effectis, contineat in se vel formaliter vel eminenter: necesse est, ut Deus etiam omnes per-

E

fectio-

fectiones mentales (quæ sunt intellectuales) possideat in se vel formaliter vel eminenter: ratio sequelæ est, quoniam effectus non potest esse nobilior suâ causâ. Cum itaque *cogitatio consistuat naturam mentis*, ut res nobilissima, & sit realitas dignissima, erit quoque in Deo (ut causâ mentis) talis; ea tamen cum differentiâ, quod cum ista perfectio in mente meâ sit admodum limitata & restricta: ea in Deo agnoscenda sit infinito modo excellentior, & nullis limitibus circumscripta: quippe qui est agens planè independenter, proprio arbitrio, nemine, qui eam turbet, aut limitet, intercedente.

§. 9. Si à Deo tollas *cogitationem*, simul etiam tolles ab eo conscientiam, per quam suæ perfectionis & suprematis sibi sit conficius: qui enim non cogitat, se nescit: & qui se nescit, nullo titulo beatus aut felix est in se. Quæ omnia de ente absolutè perfectio negare, est illi maximas imperfectiones adscribere.

## SUBSECTIO II.

*De Deo incorporeo, ejusque sequelis.*

§. I. NUM verò vita Dei solâ actuosâ cogitatione absolvatur atque ipse sit merus spiritus? an verò extensio etiam ad essentiam Dei spectet, aut in Deo ad cogitationis attributum accedat? discutiendum nunc porro est. Quoniam humana natura ex mente & corpore componitur; suspicantur Gentes etiam rem se eodem modo habere in Deitate, eumque præter substantiam intellectualem quoque corpoream tanquam ad naturam suam pertinentem possidere volunt. Rem istam nuper subtilius pertractabat *Ben. de Spinoza*, qui antiquum recoquens errorem mundum hunc ipsum esse Deum; voluit cogitationem & extensionem infinitam absolvere unam substantiam, quam Deum vocabat: seu cogitationem & extensionem esse unius ejusdemque substantiæ attributa, atque ita extensionem esse æquè perfectionem ad Deitatis ideam pertinentem, atque est cogitatio.

§. 2. Contra hunc errorem notamus, solam cogitationem, (modo eam concipiamus infinitam, seu summe perfectam) ideam Deitatis absolvere posse. Ex evidentissimâ primæ scientiæ doctrinâ di-

didicimus substantiam spiritualement cogitantem corporeâ mole sibi adhærescente nullatenus indigere nec ad existendum, nec ad actiones suas essentielles exercendum: quia cogitatio & extensio nihil habent inter se commune; imò se mutuo à conceptu suo formali excludunt. Hoc si locum obtineat in mente humanâ, quæ à corporeâ mole salvâ suâ essentiâ, existentâ, & operatione intellectuâli dissolvi potest; quantò magis sibi Deus, ut ens intellectuâle, sufficiet ad existendum & operandum, sine corporeo involucro, aut extensionis attributo. Quo ergò non eget ens summum intellectuâle ad existendum aut operandum, id frustra & tanquam aliquid superfluum illi tribuitur; imò temerario & præter causam. Adde, quod sola natura intellectuâlis, ut cogitatio perfectissima considerata, ideam entis absolutè perfecti exhauriat plenissimè: quia per conscientiam sui cognoscit se ipsum perfectum, infinitum, nullâ re egentem, atque ita beatum in se: & res alias omnes præter ipsum, ut dependentes à se, ejus arbitrio seu voluntati subjectas, ut nil velit, quin vi solius voluntatis suæ fiat.

§. 3. Cum præter cogitationem non sit aliud attributum nobis cognitum, quam *extensio*, quæ corporis naturam constituit, & cum naturâ cogitationis nihil commune habet: nulla est necessitas, cur corporeitas aut extensio substantiæ cum absolutâ cogitationis perfectione cogitanti cohæreat, aut adhæreat: nullus enim nexus est naturalis inter ea, quæ nihil inter se commune habent.

§. 4. Natura Deitatis cum sit *simplicissima*, respuit combinationem corporeitatis aut extensionis cum cogitatione perfectissimâ; quia ista combinatio inferret compositionem crassissimam ex duabus substantiis, jam ad titulum de simplicitate Dei à Deitate varias ob rationes exclusam. Sanè ex ipsâ substantiæ & attributorum ejus definitione, quam Spinoza suppeditat, nunquam substantia cogitans & extensa poterunt esse una eademque substantia, sed erunt in æternum res diversæ, quas in Deo suo combinat, id est, componit: *substantiam* enim definit *id esse, quod in se est, & per se concipitur*. *Attributum* verò ipsi est, *quod intellectus de substantia percipit, tanquam ejusdem essentialiam constituens*. Hinc

scribit Ep. 27. *Per attributum idem intelligo quod per substantiam, nisi quod attributum dicatur respectu intellectus, substantiæ certam talem naturam tribuentis.* Unde evidentissimè sequitur, quoniam cogitatio & extensio sunt attributa adeo à se invicem diversa, ut inter se nihil habeant commune; rem cogitantem & extensam quoque esse duas distinctas, & diversas substantias. Ne quid dissimulem, inveni quidem in scholio Prop. 10. parte primâ, *ipsum negare, quod ex duobus attributis.* NB. *realiter distinctis concludere possimus ipsa duo entia seu diversas essentias constituere.* Ast quo quæso jure id negat? Si attributum fit id quod essentiam constituit; nonne attributa realiter distincta & sic diversa diversas res & diversas essentias constituunt? aut diversæ naturæ substantias indicant? præprimis, si idem per attributum intelligimus quod per substantiam? ne tamen videatur sine ratione consequentiam negasse, addit hanc sequelam propterea non procedere, *quia id est de natura substantiæ, ut unumquodque ejus attributum per se concipiatur, quandoquidem omnia ejus attributa, quæ habet, simul in ea semper fuerunt, nec unum ab alio produci potuit, sed unumquodque esse substantiæ exprimit.* Ast si unumquodque attributum esse substantiæ exprimit, ac per se concipiatur; sanè unumquodque constituet substantiam; cujus definitio est, quod in se fit & per se concipitur: ergò diversa cum diversam inferant realitatem, per se concipiendam, planè diversam faciunt substantiam. Sanè diversa attributa essentialia, nexum naturalem inter se non habentia, nunquam simul possunt constituere unam substantiam, multò minus talem, quæ fit per naturam indivisibilis, aut per naturam maximè unum & idem; quoniam per naturam sunt diversa: ut manifestam committat contradictionem, quandò dicit idem esse idem per naturam, & simul non idem, sed diversum. Nec ejus causam juvat, quod *simul in ea semper fuerint*: hoc enim solum sempiternam coexistentiam & combinationem dicit, non verò identitatem, aut nexum naturâ indissolubilem, ut proin ob eam causam ea substantia à compositione non liberetur: non magis ac substantia hominis liberatur à compositione corporis & mentis, eo quod sempiterna fuisset, si homo non peccasset. Quamdiu ergo duorum attributorum ad se

in-

invicem relata coëxistentia & conjunctio naturas relinquit diversas, nil commune habentes, ita ut conceptus unius non includat conceptum alterius, neque nexum ullum naturalem ista attributa inter se habeant, nunquam se mutuo poterunt immeare, & ad unitatem substantiæ inter se identificari: imò adjacent sibi mutuo, non co-hærent, ut contigua, non ut continua.

§. 5. Ante omnia observandum, quod *extensio* à naturâ entis perfectissimi exclusâ sit, propter multifariam, quam in conceptu suo includit, imperfectionem. Omnis enim substantia extensa est merè passiva, divisibilis, & mutabilis, accidentibus motus exposita, & corruptibilis: quales imperfectiones essent in Deo, si esset etiam substantia extensa. Nec dicere quispiam ullo cum fundamento potest, *illa non esse in Deo, sed in rebus particularibus*: quoniam *omnes modi ex ejus hypothese attributis Dei insunt*; & modorum esse est inesse in suis subjectis: jam si attributa Dei sint ipsa substantia Dei? quæ iis insunt etiam in Deo sunt: quæ ergo imperfectiones sunt in substantiâ extensâ, ut modi in suo attributo, id est in suâ substantiâ extensâ; etiam sunt in Deo, si est substantia extensa; & quidem eo magis per sententiam Spinozæ, quia nullam substantiam extensam extra Deum admittit. Accedit, quod *extensio infinita* sit figmentum; quod enim dicit longitudinem, latitudinem, & profunditatem, etiam dum concipis hoc universum corporeum, id per intellectum infinitum non potest non concipi in se partes habere extra partes, quarum nec numerus infinitus, nec mensura infinita esse potest. *Finita* autem cum sit extensio, ad constitutionem infiniti non pertinet.

§. 6. Quod objiciant omnem realitatem dicere perfectionem, & in conceptu Dei, ut causæ, includi, atque adeo præexistere debere in Deo: id quidem non est magni momenti, modo ad damus formaliter aut eminenter esse in Deo. Sed nos negamus extensionem esse absolutam perfectionem, de quâ non multa negari possint; ac proindè negamus eam formaliter esse in Deo: sufficit si eam eminenter in Deo esse & præexistisse dicamus: quippe quæ dicit solum istam Deo sufficientiam tribuendam esse, quâ corpus, ut rem, naturâ suâ longe inferiorem, producere potest.



§. 7. Ex probatâ hæcenus naturâ Dei intellectuali incorporea sequuntur & proprietates Dei negativæ, sc. 1. Quod sit *invisibilis*, non sicuti corpuscula minutissima, quæ ob suam tenuissimam exilitatem & raritatem, visus aciem fugiunt, cujus organa non ferunt: sed propter omnimodam extensionis carentiam, dum nullas in se continet partes, aut particulas, figuris & superficiebus instructas, sive eas concipias sub radiis lucidis cadentes, sive non. 2. Multò magis dicendus est *impalpabilis*; quia tangere vel tangi nisi corpus nulla potest res: corporum enim tantum est, se mutuò tangere secundum suas superficies, quas in extensione suâ tantummodo continent. 3. Eandem ob causam est quoque *ineffigibilis*; dum sub nulla specie visibili oculis objici potest, atque adeo imaginem sui non admittit, præprimis, quia propter naturam suam spirituales talis est, figuræ, lineæ, & coloris, ex quibus statuæ & picturæ constant, planè expers: ea enim non, nisi in re extensâ certo modo modificatâ, locum habent. Hanc proprietatem & gloriam Dei corrumpere Gentes & quicumque numen sub imagine seu pictâ seu dolatâ repræsentant, notabimus in illis suo loco. 4. Tandem & *immobilis* est, cum & motus accidens tantummodo sit rerum corporearum.

## SUBSECTIO III.

*De intellectu Dei.*

§. 1. Cui ex hæcenus demonstratis jam constat Deum esse substantiam merè spirituales, cujus vita purè actuosa est, cujusque agere est cogitare: ille dubitare nullo jure potest huic intellectum tribuendum esse, & voluntatem; & quidem primo loco *intellectum*, pro infinitate entis optimi maximi, amplissimum atque absolutè perfectum.

§. 2. *Intellectus Dei* nobis dicitur, quo seipsum adæquatè cognoscit & quicquid ab arbitrio suo dependet: cum enim cogitatio ejus perfecta sit, & intelligere seu cognoscere sit cogitare cum conscientia: necesse est, ut cognitio Dei sit seu & rerum à se productarum intelligentia cum conscientia. Hoc est, ut sibi conscius sit, quod quæcunque intelligit, comprehendat mente suâ tanquam sibi præsentissima.

Hunc

§. 3. Hunc *intellectum* (aut si cui potior placeat denominatio, scientiam hanc) Deo competere probamus 1. Quia *cognoscere cum conscientia* de ente *absolutè perfecto* negari non potest; cum illa ipsa scientia sit per se perfectio: ejusque negatio imperfectionem involvat majorem, sanè à Deo removendam; nisi ideam entis perfectissimi destruere velis. 2. Qui *ob primitatem* ante omnia existit, ac proin ut causa prima omnium concipiendus est, illum quid fecerit & facere voluerit intelligere admittendum est; atque actionum suarum habere conscientiam oportet: nisi eum brutum facere actorem velis. 3. Qui *ex causalitate mentis nostræ* innotuit, ut existens, & causa rerum intellectualium; ille nisi effectum dicas causâ suâ nobilior, etiam dicendus est intelligere & res novisse plus quam ulla creatura intellectualis, quam produxit. 4. Quando *ideam mundi* expendimus, uti se menti nostræ objicit, invenimus Deum, fabricæ auctorem *sapientissimum*, qui omnium rerum particularium ideis eam dedit proportionem, relationem ad se invicem, & harmoniam, ut evidentissime videamus nihil non ad suos fines & usus fuisse ex consilio destinatum.

§. 4. In longè alia abiit *Spinoza* (atheismi occulti & fucati conditor) qui *negans Deo* infinito (quem naturam naturantem appellat) *intellectum competere*, affirmat *intelligere* esse solum naturæ naturatæ: vid. Partem 1. Prop. 17 & 31. quare distinguit inter cogitationem absolutam, & *intellectum*, quem tantum certum cogitandi modum esse dicit; priùs Deo tribuit, posteriùs verò tantum singulis rebus cogitantibus. *Mysterium iniquitatis* in eo latet, quod per cogitationem Dei nihil aliud intelligat, quàm particulares cogitandi modos omnium hominum simul sumptos: Parte 5. Prop. 40. Hinc mentem humanam partem facit infiniti intellectus; quas numero infinitas, & infinitas ideas formantes, una cum cæteris rebus in universo unum facit aggregatum & Deum appellat. 1. Quasi verò *absoluta cogitatio* possit concipi sine intellectu, quem tamen præcellentiorum perfectionem in se esse negare non potuit. 2. Falsum & absurdum est, *singulares nostras ideas* & conceptus facere partes infinitæ cogitationis: quia ita in infinitâ Dei cogitatione invenirentur cogitationes mixtæ, contradictoriæ, piæ & impiæ, cæque infinitæ

tan-

tanquam partes, quæ simul sumptæ absolutam & infinitam cogitationem constituunt. Quod si ut modos concipiat, qui tamen sunt in attributo essentiali quod modificant, non potest tamen effugere, ut attributum ab istis modis suam accipiat denominationem, & sint in eadem ipsâ substantiâ, quæ per attributum suum constituitur. 3. Ita Deum fingit, qui nequidem ut natura naturans, seipsum intelligit, nec res à se immanenter in se productas: & causam primam, quæ nescit quid agat: quæ, quomodo consistant cum definitione Dei, qui dicitur ens infinitè perfectum, nescio; utque simul cogitatio nec se nec alia intelligens absoluta sit, planè non concipio. 4. Nec vera est hypothesis, alibi discutienda, præter Deum nullam aliam dari substantiam, aut cogitantem, aut extensam: quæ mundum Deum facit, & cum Deo identificat: quam sententiam postmodum refutabimus diligentius.

§. 5. Nec evadit absurditates per distinctionem in *naturam naturantem*, & *naturam naturatam*. Dum statuit naturæ naturantis, & naturatæ unam & eandem esse substantiam: ut in priori relatione eadem substantia concipiatur per sua attributa antequam consideres eam ut modificatam, in posteriori ut multis modis affecta: manente tamen in se unâ eademque substantiâ, quæ ut subjectum in se istas modificationes recipit. Adeò verba dat, istam distinctionem adhibens, prætereaque nihil.

§. 6. Hujus scientiæ objectum duplex est; hinc Deus ipse sibi, illinc res præter Deum illi obversantes. 1. *Deum novisse se ipsum* per intimam conscientiam sui, suamque infinitam perfectionem, infinitâ cognitionis amplitudine, demum infinitæ suæ naturæ consentaneum est. Nisi enim se cognosceret, nullam in operando sui rationem haberet: nec ideam sui menti nostræ inferere potuisset. Jam quod est in effecto, oportet ut formaliter aut eminenter sit in causâ: cumque Deus sibi magis sit præsens & perfectus in se, sequitur, ut Maximus se ipsum longè penitius cognoscat ac ulla creatura intellectualis. Cumque sit *simplex* modo simplicissimo: & cum infinita sit cogitatio, scientiâ infinitâ, non uti nos limitatâ. 2. *Deum novisse* quoque omnia extra se tanquam opera potentæ suæ necesse est; quia per  
can-

candem conscientiam sui novit quid agat, & quid agere velit tanquam causa omnium. Esse autem quicquam aut fieri Deo volente non potest, Deo id non intelligente? cum absurdum foret Deum non habere conscientiam voluntatis suæ; aut ejus voluntatem latiore esse intellectu. Uno verbo; nisi se cognosceret nihil sciret, quia ob ejus independentiam nihil cognoscit nisi ex se & per se. Et nisi omne productum cognosceret, aut producendum à se, non cognosceret essentiam suam in omni suâ actuositate.

§. 7. Hinc scientia Dei distinguitur in *necessariam*, quâ se non potest non cognoscere ut necessario existentem, sufficientiamquæ suam ad omnia, quæ contradictionem non involvunt: & *liberam*, quâ cognoscit omnia sua opera ab ipso producta aut producenda: quæ productio, cum ab ejus liberâ pendeat voluntate, libera dicitur, atque pro fundamento habet Dei decretum liberum, de rerum essentiis & futuritione liberè statuens. Nec *mediæ Jesuitarum* hic locus est ex necessariâ & liberâ utrimque participans: dum futuritionem rerum sub conditione decrevisse ajunt; si res constituatur in circumstantiis non definitis, sed arbitrio hominum relictis, aut contingentia rerum. Ast hæc cognitio potius conjectura, quam certa scientia est: & concipitur, ut à rebus dependens. Facitquæ Dei cognitionem discursivam seu dia-noëticam: quæ imperfectiones in Deum non cadunt. Imò qui futuritionem ante Dei decretum statuunt, fatum Stoicum introducunt, sc. nexum rerum à Deo independentem. Objiciunt alterutrum contradictionem verum esse, alterutrum falsum, etiam antecedenter ad decretum: ergo id obtinet etiam in re quâlibet; ut sit futura aut non futura. Sed quoniam ante decretum Dei ne quidem res, aut rei determinata natura concipi potest; ne quidem locus datur conceptui de subjecto, cui per modum prædicati futuritio applicari potest.

§. 8. Hinc attribuimus Deo *omniscientiam*: quia nihil est, aut concipi potest, quod ipsum lateat: omne enim ens est aut Deus ipse, aut creatura à Deo dependens in fieri, esse, & operari: quod si ergò cognoscat se, & omne opus suum: nihil superest, quod à cognitione ejus possit esse remotum: quin hoc ipso esset à Deo independens, atque ita Deus ipse. Adde, quod sublatâ

F

ullius

ullius rei scientiâ, tollatur omnis; cum in hoc universo non tantum omnium par ratio sit; sed & propter omnium inter se nexum ignorato uno non cognoscatur aliud, cum re ignoratâ conexum. Ut verbo absolvam, cum perfectius sit omnia scire, quam vel tantillum ignorare; absurdum esset Deo infinite perfecto ullam tribuere ignorantiam.

§.9. Neque metuendum est, ita fore ut intellectus Dei à rerum multitudine & varietate obruatur, aut pluribus rebus intentus, minor sit ejus attentio ad singula, quod in hominibus ignorantiam & confusionem parit. Hæc enim in Deo locum non obtinent; cujus intellectus cum sit simplex & infinitus, infinita simul, seu omnia & singula sine molestiâ comprehendit, idque unico & simplicissimo actu: si enim ita non comprehenderentur, non existerent; quoniam existunt per & secundum voluntatem Dei, quæ sanè ejus intellectu latior non est: cumque omnia simul velit Deus etiam propter rerum nexum, quem habent à voluntate Dei, necesse est, ut conscientia voluntatis ejus cognitionem rerum sub eâdem latitudine sub se contineat.

§.10. Huc revocamus etiam omnium futurorum *præscientiam*; sive ea concipias ut necessariò, sive ut contingenter, seu ut libere futura: quia ea omnia novit in decreto, cui hanc futuritionem debent, eam determinante divinâ voluntate; à quâ etiam omnis eorum nexus & consecutio pendent. Sane res præter Deum spectatæ cum indifferentes sint ad existendum vel non existendum, seu in suo conceptu solum possibilem existentiam includant; non habent in se causam futuritionis, nec eam continent in suis ideis: nec semet ex statu nihili educere possunt; cum nihili nullæ sint actiones. Quare futuritionem cum habeant extra Deum futura; eam habent à voluntate Dei decernente, & ab omni causâ externâ independente. Objiciunt quidem adversarii certam illam futurorum præscientiam futuris contingentibus & liberis inferre necessitatem. At hoc dictum consequi negamus: quia præscientia non est causa futuritionis, sed decretum voluntatis; ergò neque est causa necessitatis; neque alio modo res futuras spectat, aut repræsentat, ac futuræ sunt: cum respondeat objecto uti est, aut erit; quæ igitur contingenter aut liberè erant fu-

futura, ut tali modo futura respicit præscientia. Omnis ratio in eo fundatur, quod divina præscientia non determinet res ad futuritionem, sed Dei decretum, quod præsupponit præscientia; & per conscientiam decreti novit ad futuritionem in decreto determinatum esse. Adde Boëthii dictum: *quid postulas ut necessaria fiant, quæ divino lumine lustrantur, cum ne homines faciant necessaria esse, quæ vident?*

§. II. Hujus perfectissimæ Dei scientiæ proprietates variæ sunt.

1. Quod sit *actus purus* sine ullâ intermixtione *potentiæ*, quasi successivis actibus transiret à cognitione hujus ad aliorum perceptionem: aut à non cognoscente hoc & illud, ad cognoscentem: quia hoc sine *mutatione* & *cogitationum successione* fieri non posset: quam utramque ut imperfectionem à Deo removimus. Quare ille unico actu & ictu illa omnia, totumque rerum ordinem ab ipso in justâ serie constitutum, simul non solum vult, sed etiam perlustrat: quod ipsi propter infinitatem intellectus facile est. Adde & *simplicitatem* Dei non permittere, ut modi accidentales cadant in Dei naturam: quod fieret, si Deo accederent cogitationes novæ, à prioribus aliæ.

2. Dein cognoscit omnia per simplicem intuitum *noëtice*, non per collectionem logicam *dianoëtice*: quoniam haudquaquam à posteriori argumentando ad interiorum rerum perceptionem assurgere potest, quæ à priori ipsas rerum ideas formavit. Sanè à priori quæ dicitur *cognitio perfectior* eâ est, quæ à posteriori acquiritur; & argumentativa ignorantiam, hæsitatiõnem, & perplexitatem involvit: imò & molestum inquirendi laborem exigit; quibus ens absolutè *perfectum* minimè subjacet. Imò discurrendo post exactos demum labores exactam rerum notitiam acquireret: undè non sine mutatione in melius per novum scientiæ incrementum ad majora assurgeret: quod est contra Dei *immutabilitatem*.

3. *Immediata est* & illa Dei scientia; non tantum quia Deus sui & suarum actionum sibi intimè concius est; verum præfertim quia nullius imaginis corporeæ utitur ministerio, nec præviâ eget informatione, quæ ejus cognitionem faceret dependentem. Adde quod voluntas Dei omnes rerum ideas, veritates, nexus, futuritiones, necessitates & contingentias ipsa determinaverit, quæ omnia in decreto suo in-

tuetur. 4. Est quoque Dei cognitio rebus perceptis *adequata*, ut nihil in rebus eum fugere possit; quia etiam nihil est, quod non ab ejus voluntate pendeat, & ab ipso volente acceperint res: nec quicquam vult, quod non omninò perspectum habet. 5. Tandem etiam *constans* est, sicuti Deus ipse; ut nunquam alicujus rei oblivio eum corripiat: ita enim notitia rei in ignorantiam abiret, atque ipse mutaretur in pejus; quod est contra ejus immutabilitatem, necessariam existentiam, ac æternitatem.

## SUBSECTIO IV.

*De Voluntate Dei.*

§. 1. **P**ost intellectum Dei sequitur *ejus voluntas*; quæ est ipsa essentia Dei actuositatis spontanea, quâ in se ipsum tendit, ut bonum absolutum, & circa res extra se de earum essentiis & futuritionibus statuit pro suo lubitu. *Voluntatis* est propriè judicare, & approbare aut improbare, nec non amplecti aut averfari; quæ est in homine modus cogitandi, tendentis in rem, ut bonam, aut eam à se avertentis, ut malam: seu agnoscentis ut veram, & abjudicantis ut falsam. Ast in Deo, à quo modos removimus, est actus Dei vitalis, qui æque ac intellectus sub attributo absolutæ cogitationis continetur, eique pro infinitate essentia divini simplicissimo modo inest: non per modum facultatis, sed meri actus.

§. 2. Sicuti Dei essentia & existentia revera ab ejus actuositate vitali non differunt; sed solâ mentis abstractione distinguuntur: ita ejusdem *intelligere* & *velle* sub ejus vitâ, seu cogitatione perfectissimâ comprehenduntur, ut haud quaquam realiter inter se distincta, sed quæ in Deo identificantur: ut distinctio hic etiam non sit nisi mentis nostræ abstractio: ut intelligere sit rem percipere cum conscientia: quæ perceptio, relata ad rerum veritatem & bonitatem, aut falsitatem & malitiam, in ista connotatione est & ipsa voluntas Dei judicans, & acquiescens. Varietas ergo est in objectis, secundum id quod iis verè aut benè inest cogitanti præsentibus: quæ res tantum quoad Dei spontaneam tendentiam relationem dicit, atque adeò identitatem intellectus & volun-

luntatis Dei non tollit; quoniam ista mentis abstrahentis operatione simplicitati Dei nullum creari præjudicium penes nos ratum est.

§. 3. Hanc voluntatem seu volitionem in ente maximo & dignissimo (id est, Deo) nobis esse agnoscendam constat. 1. Quia *voluntario agere* est omnium perfectionum, quarum ideam habemus, *perfectio nobilissima* & plane absoluta, concepta cum & sub ratione perfectissimæ spontaneitatis, quâ sponte & pro lubitu agit: est enim inter quasvis alias perfectiones summa, actionum suarum per supremam quandam *αὐτεξουσίαν* liberrimum esse dominum, à nullâ causâ externâ aut brutâ naturæ necessitate coactum ad aliquid operandum. Ac proinde libera illa voluntas, seu spontaneitas in ideâ *entis* summæ *perfecti* præ cæteris comprehensâ est. 2. Nexus, qui inter scientiam & voluntatem intercedit, etiam postulat, ut quæ quis novit cum scientiæ conscientiâ, ea etiam agnoscat pro rei dignitate & bonitate, quam in eâ observat; ad quam attendens ens intellectuale, etiam tendit, & fertur tanquam ad rem bonam, quod voluntatis est. Hoc verò multo magis & eminentius in Deo locum habet, cujus intellectus, quo perfectior est, ita etiam distinctius rerum in objectis veritatem & bonitatem cogitationi ejus absolutissimæ repræsentat, quæ dum probat bene vult. 3. Sine hâc voluntate ne *causa prima* quidem concipi potest, cujus agere est *cogitare*, & cum effectu agere est cum efficacîâ velle; quæ enim suam originem Deo debent, non ex necessitate naturæ operanti, procul dubio ab ejus arbitrio prodeunt: quoniam res non proveniunt, quia Deus eas novit & intelligit: sed quia eas vult.

§. 4. Quare longè aberrat *Spinoza*, Deo infinito cogitationem tribuens perfectissimam sine intellectu & voluntate, atque *de voluntate* æque, ac (uti vidimus ante) de intellectu statuens, quod tantum in mente cujusvis particulari locum habeat: verum cum crassus & pudendus ille error iisdem nitatur fundamentis, quæ à nobis cap. de intellectu Dei, *eversa* sunt, nil attinet hic acta agere, & cramben recoquere.

§. 5. Prout autem in conceptu intellectus divini potissimum *objecti* ratio habita est: idem nunc est observandum in conceptu divinæ voluntatis, cujus *objectum* est omne volitum: dividi ta-



men potest in *primarium* & *secundarium*: illud est ipse Deus, seu essentia divina; hoc vero, quicquid concipitur fuisse, esse, aut fore præter Deum. Illud dicitur *primarium*, quia illi præsens est apud conscientiam, ut primum & maximum bonum, ab omni aliâ re independens. Hoc verò *secundarium* dicitur, quia ejus omnis bonitas à bonitate Dei dependet, & valdè limitata est.

§. 6. Nemo dubitet Dei voluntatem tendere ad se ipsum 1. Quia Deus in genere *entis* & *bonorum* est *optimus maximus*, qui se ipsum qua talem adæquatè & intimè novit: quæ scientia cum conscientia ipsi cogitanti rem valdè gratam exhibere, in quâ sibi complaceat, & acquiescat evidens est: dum videns se omnem realitatem absolute possidere, sibi videt nil deesse quod desiderare possit: atque ita amat se ipsum, & sibi concius est acquiescentiæ, quæ ipsam beatitudinis ejus rationem formalem exprimit. 2. Quia se ipsum respiciens ut Deum independentem ac sibi ad omnia sufficientem, novit se ut operantem extra se, ita tamen ut rebus extra se non indigeat: & res extra se, ut non possibiles nisi per suam potentiam; ut ratio operandi ipsi alia esse non possit, quam gloriæ suæ manifestatio: ergo ratio maxima non potest non in operando sui rationem habere, & res producere propter se, quod voluntatis Dei est.

§. 7. Objiciunt Deistæ, quod si divina voluntas ratio esset, cur Deus creaturas velit, oportere ut se habeat ad eas sub ratione finis earum: adeoque istæ creaturæ essent media ad finem istum. Sed utrumque clamitant absurdum esse. Si enim creaturas spectes ut media, facere te Deum à mediis dependentem. Sique ut finis spectetur, eum poni aut ut finem *cui*, aut ut finem *qui*: non ut *finis cui* respici potest, quia creaturæ Deo non acquiruntur, à quibus nulla in eum utilitas redundare potest. Nec ut *finis qui*, cum non acquiratur omnibus creaturis; quoniam per plurimi fruitione Dei destituuntur. Respondeo 1. Creaturæ non sunt media, ut Deus per eas se ipso fruatur: sed ut sese ipsis communicet: nisi enim creaturæ essent, nihil esset, cui suam bonitatem communicaret: quo casu ipsæ Deo non important ullam dependentiam, sed à Deo ipsæ omnia dependenter accipiunt. 1. Quod  
ad

ad *finem cui* attinet, non absurdum est, sub istâ ratione Deum respicere: non quod à creaturis aliquid perfectionis intrinsecè recipiat: sed quod se in creaturis assimilando ab iisdem honorem accipiat: seu magis & magis inter illos ut summum bonum innotescat ac declaretur: quod est quasi bonum extrinsecum. Ergò hoc sensu rectè vult creaturas actuales propter se ipsum, ut finem: cum & ipse sit actus earum finis ultimus, seu summum bonum agnoscendum, quærendum, & glorificandum ante omnia.

§. 8. *Objectum voluntatis Dei secundarium* est quicquid fuit, est, & erit præter Deum: neque illa extra voluntatis Dei arbitrium constituta sunt: quia à Deo in esse, fieri, & operari dependent; ac pulcherrimus universi ordo, unà cum admirandâ naturæ in tantâ partium vicissitudine constantiâ, testatur causam prudentissimam ex consilio agentem. Sane oportet ut mundi Rector sit universi arbiter, cujus ad imperium & mentem omnia stantve caduntve. Hæc autem *voluntas* se extendit ad omnia ad existendum destinata; si enim aliquid esset aut futurum esset, nolente Deo, non à Deo foret, sine quo tamen eorum quæ sunt, aut erunt, nihil esse potest.

§. 9. Secundum hanc objectorum diversitatem voluntas Dei *alia est necessaria, alia libera*. *Necessaria* est, quia semet intuens Deus sibi in suâ sufficientiâ & absolutâ perfectione complacet: ac *necessaria* dicitur, quia objectum suum ita intime sibi præsens habet in natura sua; ut sine hac cogitatione nequidem Deus concipi possit. *Libera* est voluntas decreti, quâ de possibilibus statuit: atque libera dicitur, quia versatur circa res ab arbitrio Dei merè pendentes.

§. 10. Aliàs *voluntas* Dei distinguitur in voluntatem *signi*, & *beneplaciti*. Hæc est & concipitur ut ipsâ Dei complacentia decernens de rerum futuritione, & approbans seipsum & quicquid sibi quodammodo simile est. *Illa* verò, quæ *signi* dicitur, per aliquod *signum* indicatur, & inter homines manifestatur: cujus pars etiam est voluntas præcepti: Signa enim ista ad numerum quinarium referuntur, atque jam olim hoc versiculo comprehendebantur.

Prædicat, prohibet, permittit, præcipit, implet.

§. 11. Hic

§. 11. Hic inquiritur, an voluntas *præcepti* & *decreti* non sæpissimè pugnent inter se: quia quæ vult voluntate *præcepti*, sæpè videmus non fieri: atque ita Deum in decreto noluisse fieri per eventum constat. Sed hæc facillè conciliamus animadvertendo quod *voluntas mandati* nihil aliud dicat, quam velle Deum obligationem creaturæ rationalis: *decreti* verò velle ipsum permittere ut homo singularis obligationi suæ non respondeat: aut aliquandò si mandatum sit positivum, velle obligationem durare ad tempus, donec eam ipse solvat.

§. 12. Qui voluntatem Dei distinguunt in efficacem & inefficacem: absolutam & conditionatam: antecedentem & consequentem, &c. ut libertatem arbitrii ab omni necessitate eventus liberent, frustra sunt, & multas imperfectiones Deo adscribunt; quare nos nullam voluntatem decreti agnoscimus, quæ non sit efficax, absoluta, & antecedens, ut in cap. de decreto Dei, videbimus non aliam admittendam esse.

§. 13. Ut autem hanc *Dei voluntatem* concipiamus tanquam essentia divinx consonam, & supra voluntatem creatam longe eminentem, concipi debet 1. Ut *actus simplex*, id est purus, non ex potentia in actum transiens, nec per modum facultatis in Deo obtinens; ne Deum compositum faciamus ex subjecto & accidentibus, aut actibus multis & sibi mutuò succedentibus.

2. *Infinita* ejus natura etiam fundamentum est, cur voluntas Dei sit amplissima, sese uno eodemque actu tendens ad omne volitum; sc. se ipsum, & omnes res universi, etiam in omni rerum nexu; idque sine ullo labore, incommodo ac molestia. Hoc exigit etiam rerum innumerabilium, etiam minimarum, quæ simul existunt, dependentia in esse & perseverare; imò & omnium quæ fuerunt, sunt, atque erunt nexus, & concatenatio inter se, quæ etiam ab arbitrio Dei pendent.

3. *Liberrima* quoque est Dei voluntas; quatenus à nullâ causâ extra Deum determinatur, idque propter essentia divinx independentiam. Nec obstat, quod voluntatem aliquam *necessariam à libera* paulo ante distinxerimus; cum ibi respiciamus tantum Dei necessariam existentiam, eamque efficere, ut voluntatem Dei in quantum se ipsum respicit, non possimus à conceptu Deitatis remo-

removere. Alias ea ipsa Dei voluntas, quâ se amat, est maxime libera libertate complacentiæ & approbationis spontaneæ. Interim inquiritur in *voluntatem Dei*, ad creaturas tendentem (quam *liberam* diximus, quia in iis solum novit possibilem concipi posse existentiam) an eas voluerit velitque Deus *libertate indifferentiæ*? Nos, si quis per indifferentiam Dei intelligat Dei voluntatem in decernendo non fuisse determinatam ab objectis in decreto spectandis, agnoscimus, quod omnia, quæ decreto objiciuntur possible in se ad futuritionem concipi debeant tanquam indifferentiæ; nullam, ut fiant, necessitatem in conceptu involventia, aut Deum ad statuendum aliquid cogentia.

Si quoque per indifferentiam libertatis Dei quis intelligat sufficientiam Dei, quâ nullius rei extra se indigus, non opus habuit alicujus defectus implementum extra se quærere, ac propterea de productione creaturarum deliberare. Hâc etiam relatione Deum egisse libertate indifferentiæ agnoscimus. Quæ tamen non extendenda est eo usque, ac si positâ voluntate de manifestandâ gloriâ, ejus libertas non fuerit determinata à decentiâ suâ, quæ non admisit ut aliter vellet, quam quod ejus gloriæ & virtutibus sit consentaneum. An verò Deus ad creationem ipsam, & gloriæ suæ manifestationem ita fuerit indifferens antecederet ad decretum consideratus, ut decenter potuerit & non creare, seu non velle gloriam suam manifestare, problema est, quod inter viros doctos ventilatur, ulteriori disquisitione dignum. Dissidentes hic videas Cl. Wittichium beatæ memoriæ, & Cl. Roëllium.

§. 4. *Æternam* quoque esse æterni Dei voluntatem seu volitionem etiam urgemus, quia Deus actus purus est, nequaquam ex non volente in volentem transiens: quod ipsum etiam se extendit ad voluntatem decreti: nisi enim æterna esset, caderet in Deum mutatio, quod absonum: vel saltem cogitationum successio, & actus anteriores ac posteriores, cogitationes se mutuo insequentes: quas imperfectiones à Deo removendas esse, sub titulo de æternitate Dei evicimus. Si quis vero insitet, hanc sententiam omnem Deo in volendo indifferentiam eripere: cum status indifferentiæ necessario ante determinationem rerum, decreto factam, concipi debeat. Repono (a) Indifferentiam illam adhuc

G

esse

esse in quæstione. (b) Nec consequentiam procedere, cum ad rem sufficiat prioritas ordinis, nec præcisè exigatur prioritas temporis. Imò sufficit nobis indifferentia libertatis, in quantum excludit determinationem ab objectis, aut à necessitate naturæ, vel etiam à postulato indigentia: cum determinatio facta concipi debeat ab æterno Dei beneplacito, gloriam suam manifestare volente, idquè modo sapientissimo & prudentissimo: sine quo decreto Deum ne quidem per momentum existitisse concipimus.

§. Tandem etiam *immutabilis* dicenda est Dei voluntas, qui ipse immutabilis est in se, & cogitationes suas non mutat. Hoc faciunt tantum, quorum *θεωρεῖται φρονιδες* sunt σοφώτεροι; quod in Deum non cadit, quia perfectionis incrementum dicit, quale quid ens perfectissimum non recipit. Qui nullibi erroribus obnoxius est, ita uno actu & ictu omnia perlustrat, ut quid gloriæ suæ conducatur, teneat optimè. Hinc vult, quod optimum est, nec anterioris consilii aut voluntatis poenitentia subiacet; quasi in priori decreto ex postliminio cognoscere possit, aliquid minus congruè definitum, nunc revocandum & corrigendum: aut illi in tempore quicquam evenire possit præter opinionem, quod ab æterno non præviderat: aut incommodum non prævisum illi obijci posset, quod remove illi haud esset possibile: ut hominibus aliquando fit. Verùm reclamationem infinita Dei sapientia, & independens arbitrium, quo rebus in causarum subordinatione justum nexum, pondus, & mensuram ipse adstituit: nulla enim ei occurrere impedimenta minus prævisa possunt, quæ prioris consilii executionem impediunt, aut Deum ad consilii sui mutationem impellant: quoniam hæc eorum potentia ad impedimentum faciendum à Deo ipso ordinata esset, nec unquam possit potentia Dei esse major.

## SUBSECTIO V.

*De Potentiâ & potestate Dei.*

§. I. **P**ost discussam materiam de voluntate Dei, confero me ad pertractationem *potentiæ ejusdem*; quæ proximæ considerationis est: uti enim Dei intellectus rerum ideas format & percipit,

cipit, voluntas autem decreti eas definit, & possibiles quas vult in esse futuro constituit: ita potentia actiones Dei transeuntes fundat, quæ possibilem existentiam in actualem transire faciunt. Philosophi *potentiam activam* (nam passivæ hic nullus locus est) principium effectivum vocant, in quantum ab eo actiones procedunt: sive in eâ agendi vis & virtus latet: quare potentia se habet ad efficientiam, ut principium ad operationem ipsam, in quantum sufficientiam ad aliquid faciendum dicit. In Deo itaque principium illud effectivum est ipsa Dei sufficientia, relata ad possibilem rerum existentiam, ut transeant in actum, in quantum considerantur, ut nondum productæ.

§. 2. Cumque ea *potentia in Deo* ita concipienda sit, ut conceptus ejus simpliciter Deitatis nullum creet præjudicium, atque Deus maneat actus purus, definitur esse *ipsa Dei essentia actuosa, quatenus sufficiens est ad ponendam quamcunque rem sibi coexistentem*. Adeoque non debet concipi ut aliquid medium inter Deum & effectum, atque sic à Deo emanans: quia ista emanatio aliam postularret potentiam, cujus vi ista emanatio progredereetur, & sic in infinitum. Nec concipi debet ut habitus, ab actu distinctus, & ab alio in actum deducendus, cum sic mutationem & successorem in Deum indicaret. Sed ut actus simplex à parte Dei, cum ipsa ejus essentiâ actuosa idem.

§. 3. Nota potro *potentiam omnem*, sive ea in rebus creatis, sive in Deo spectetur, planè aliquid respectivum aut relativum sonare: quoniam relationem infert ad effectum, qui nondum productus est & ut producatur causâ eget. Illa relatio in causâ, à quâ speratur effectus, supponit aliquid absolutum, in quo fundatur. Ita *res extensæ* sine motu consideratæ sunt inertes, quæ dum nihil efficere possunt, nihil valent, nihil potentia habent. Sed in motu dicuntur aliquid posse, quatenus motum in alia corpora transferre possunt. *Res cogitantes* se longè aliter habent, earum intellectus non habens implicatam voluntatem ferè se habet, ut corpora sine motu: *voluntas* verò, quæ fertur in objectum, cum imperio, ut aliquid fiat, cum motu in corporibus eatenus conferri potest: in quantum voluntas ad imperium suum effectum consequi solet. Verum  *finita voluntas* in creaturis

multa frustra cupit, quæ extra ejus potestatem constituta sunt. Alia res est in *voluntate infinitâ*, cujus voluntas imperans nunquam frustra aut sine effectu est. Hinc etiam non malè *potentia Dei* ab aliis dicitur *efficacia voluntatis Dei imperantis effectum, considerata ante rei productionem*.

§. 4. Cumque illa *potentia Dei infiniti* sit, etiam ipsa infinita sit oportet: unde hæc ejus potentia etiam dicitur *omnipotentia*, in quantum voluntas imperans nunquam potest esse frustra, aut ab objecti difficultate limitari, quo minus res ut existat volita ejus imperio respondeat. Quicquid enim vult facit, adeoque & facere potest. Imo potentia ejus objectum dicitur *omne possibile*, etiam non futurum, in quantum concipitur ut possibile; atque cum nihil eorum concipiatur, ut sufficientia Dei non ad illud extendatur: sane Deus rectè *omnipotens* dicitur.

§. 5. Hæc omnipotentia Deo concedenda est, partim ob ejus infinitam essentiam, partim ob ejus illimitatam sufficientiam: eaque probata est ipso opere creationis, & probatur adhuc opere quotidianæ providentiæ; dum omnes res hujus universi, non nisi in conceptu suo possibilem existentiam includentes, planè actu à Deo in fieri, esse, & operari dependent: undè omnes gentes ex operibus Dei (si attendant) *æternam ejus potentiam* facile colligere poterant.

§. 6. Huic Dei omnipotentia non derogant *impossibilia*, quæ Deus non posse dicitur: cum potentia tantum sint *possibilia*; prout illa omnia dicuntur, quæ contradictionem non implicant: quæ enim contradictionem implicant nulli omnino, ac consequenter nec Dei potentia objici possunt. Talis autem contradictio est, quandò in una enunciatione ea conjunguntur, quæ ita comparata sunt, ut unius essentia alterius essentiam tollat; ita ut alterum extremum ab altero evertatur. Hæc verò *repugnantia* alia est à parte Dei, alia à parte rei. Quæ à *parte Dei* repugnare dicuntur, pugnant cum Dei naturâ explicata per quævis alia attributa ab ejus voluntate distincta: uti cum Deus dicitur se ipsum abnegare, & mentiri, aut contra decentiam suam quicquam facere non posse. Hoc cum non à Dei impotentia, sed à plenaria perfectionis suæ abundantia derivandum sit, ejus omnipotentia nil

præ-

præjudicat. Quæ vero à *parte rei* repugnant, supponunt essentias rerum constitutas non posse simul esse & non esse, aut admittere prædicatum essentiæ rationem formalem tollens, ac simul manere, quod erat. Monendum tamen ne faciliè declarem esse impossibilia, quæ nobis occurrunt ut difficilia; quoniam multi rerum modi à perceptione nostrâ remoti sint: adeoque, nisi repugnantia sit in terminis manifesta, licet dubitare si nondum teneamus aliquid tale adesse: sin verò videamus tale quid, nobis per causas inexplicabile, mirari: undè & *admiranda* Dei statuenda est potentia.

§. 7. Quænam verò sit *radix possibilitatis*? anxie à Philosophis disceptatur: idque occasione distinctionis inter potentiam Dei *absolutam*, & *ordinatam*. Illa *absoluta* meram Dei *sufficienciam* dicit, quatenus ejus vi id omne fieri potest, quod in ideâ intellectus divini nullam implicat contradictionem. *Ordinata* Dei sufficienciam notat ad illa certa possibilium genera actuanda, quæ futura per liberrimum suum decretum constituit: adeoque hic, quæcunque Deus vult futura, cum *posse* dicitur. Sed dubitatur, an non ista Dei voluntas, futura definiens, potentiam ordinando eam ita limitaverit, ut dicendus sit non amplius omnipotens: quippe qui facere non potest, quod decrevit non facere. Quare notandum verum esse, quod fieri non possint, quæ Deus ut fiant noluit; quia Deus noluit causa existentiae seu productionis ipse esse, licet posset; neque voluit ut causa ejus extra ipsum ad hoc admittatur. Sic ergò *res suâ naturâ possibilis* (si referatur ad absolutam Dei potentiam) dicitur ob negationem causæ fieri non posse: quæ tamen, si Deus voluisset esse ejus causa, fieret. Quare Deus extra decretum de futuritione rerum concipitur plura posse; quam per decretum fieri definivit: ut efficacia ejus concipiatur latior, quam actualis ejus efficiencia, dum concipiuntur multa *possibilia nunquam futura*: seu non futura, quæ tamen in suo conceptu contradictionem non involvunt: quæ cum in ideâ suâ tamen *possibilem existentiam* involvunt, *possibilia* dicuntur. Quare cum respectu potentiae Dei absolutæ ea *possibilia* audiant, visum est multis radicem possibilitatis agnoscendam esse in non repugnantia ad existendum: quam si concipiant ante Dei intellectum



lectum & voluntatem, planè errant; possibile enim ante existentiam est ens rationis, & ante perceptionem intellectus Dei nihil; habet enim non aliud esse, aut aliam realitatem, quam ideæ in mente Dei: quod esse repræsentativum non habet à se, sed à mente Dei, ideam istam formante; quæ relata ad causam per denominationem externam solum dicitur possibilis à potentiâ causæ, cujus solâ efficientiâ à non esse ad esse transferri potest. Ut ergò omnis difficultas evanescat, dicendum Deum voluisse duplicem rerum ordinem; Alium, qui pertinet ad *rerum essentias*, earumque proprietates, actiones & effectus, qui mihi est à voluntate Dei de formandis per intellectum, & definiendis rerum ideis; Alium, qui pertinet ad *rerum futuritiones* seu earum existentiam, jungendam cum earum essentiâ, ut essentia ideæ aliquandò transeat in actum; qui ordo pendet à voluntate Dei, rerum futuritionem determinante & definiente. Undè nobis distinctio nascetur in decretum Dei quoad speciem, & in decretum quoad exercitium rerum. Ordo prior est particularis, seu certum genus rerum spectans: alter verò est universalis totius universi. Hinc jam oritur nova possibilium distinctio, ex quibus alia sunt, quæ non repugnant ordini particulari; alia, quæ non repugnant ordini universali; inter quæ comparatione institutâ, dici potest multa esse possible, quatenus non repugnant ordini alicui particulari, quæ tamen sunt impossible, si referantur ad ordinem universi. Possibile autem genus posterius non potest distingui ab iis, quæ ab æterno erant futura: ea enim quæ facta sunt, fiunt & postea fiunt, ab æterno qua talia divinitus constituta sunt.

§. 8. Sed intueamur rem penitiùs, *res, cujus possibilitatem inquirimus*, prout facit subjectum quæstionis, habet suum esse cognitum per formationem ideæ suæ in mente divinâ, quæ ejus essentiam delineavit pro lubitu suo; secundum quam rei fit definitio, atque percipitur in suâ naturâ. Ejus esse possibile à parte rei est relatio ejusdem naturæ per ideam cognitæ, ad existentiam possibilem, quæ invenitur in sapientiâ & prudentiâ artificis, eam ita formantis, ut in istâ ideâ nulla inveniatur repugnantia. A parte causæ sufficientia, in efficaciâ voluntatis suæ constituendâ, ad rem conceptam producendum. *Voluntatem Dei hic à parte*  
Dei

Dei non differre ab ejus potentiâ, quis negat? Deumque per *voluntatem imperantem* operari, & res extra se producere ex ejus naturâ spirituali constat; ergò quod possit ita cum imperio efficaci velle, est potentia seu efficacia voluntatis Dei; quæ sola hic spectanda est: res enim propriè non fiunt, quia Deus eas intelligit; sed quia eas existere præcipit.

§. 9. Potentiæ divinæ discussionem sequitur *Potestatis Dei consideratio*, quæ jus est statuendi & disponendi de rebus pro arbitrio, cum futuris tum factis. Ille enim nulli tenetur voluntatis suæ definiens reddere rationes. Hoc *Jus* illi non nascitur ex contractu, quoniam illud ab aliis ipsi non est concessum: neque ex creationis aut alius generis beneficio ipsi est acquisitum: sed fundatur prorsus in ipsa *Dei eminentia & summitate*, quâ cætera omnia habet infra se, ipsi naturaliter subordinata, ita ut propterea ejus voluntas sit unica justitiæ regula. Creaturarum dependens existentia est quidem conditio, sine quâ ista potestas actu exsequente exerceri non potest: ac beneficia qualiacunque quâ talia proportionatam quidem gratitudinem requirunt, atque eum, qui beneficia accepit, gratitudinis debitorem faciunt, ut fundens jus repetendæ gratitudinis: non tamen auctoritatem ejus exigendæ conferunt, quæ non est nisi rectoris, & in eminentiâ confidentis. Prius ergò potestatem auctoritativam fundans est infinita naturæ potentissimæ, sapientissimæ, & sanctissimæ præstantia, à quâ non potest non dependere, quicquid præter ipsam est, aut esse potest. Per creationem quidem produxit subditos, quos in eo rerum ordine fecit, ut essent. Sed *potestas* ejus concipitur ut *creatione prior*, juxta quam in decreto statuit pro suo beneplacito: jam ab æterno definiens æque rerum naturas, ac earum futuritiones. Adde quod *independens* naturâ, leges dare possit, non accipere; ut per summitatem & primitatem omnia habet sub se, adeoque in potestate suâ.

§. 10. Ex istâ *potestate* profluit *dominium Dei* in omnes res præter ipsum existentes, illudque absolutissimum, prorsus independens & incommunicabile. Prout ergò Dei potestas est legitima, quâ quis in re sibi subordinatâ utitur pro voluntate; ita legitimum est *ejus dominium*, quando pro potestate suâ in res sibi sub-

jectas

jectas agit, eamque exercet: ut præter voluntatem suam nullam agendi rationem habeat; quæ ipsa illi justitiæ norma est.

§. 11. Juxta hanc potestatem dominium exercet, leges præscribendo, quas vult, non solum naturales, sed etiam positivas, si ei ita visum sit; ac distributionem bonorum etiam indebitorum, auget & minuit absolutâ suâ voluntate pro suo beneplacito. Hunc regem constituit, alium servum, & vile mancipium; ipse auctor vitæ & necis.

§. 12. Dico *absolutum esse illud Dei imperium*, quippe qui nullis legibus aut conditionibus, aliundè ipsi præscriptis, limitatus & restrictus est; quoniam supremus ab inferioribus leges non accipit; ut sola ejus voluntas nobis ad obediendum satis esse debeat.

§. 13. Imo *independens Deo independenti* etiam competit dominium, quippe nullâ ratione extraneâ illi acquisitum, sed simpliciter naturale; non ab alio superiore constitutus, nec à subditis electus, neque ex aliquo priore natus hæres, sed à se ipso *Dominus*, qui hoc dominium nec usucapione, nec præscriptione obtinuit, neque ab aliquo adversario vi vel potentiâ majore jure belli extorsit, neque pretio sibi comparavit, aut laboribus & industriâ sibi promeritus est: sed ut agens liberrimum ipse crexit sibi, res in subjectione naturali sub suo imperio pro suâ potestate produciens.

§. 14. Adde hoc Dei dominium esse *incommunicabile*, ut non possit illud cum absolutâ potestate transferre in alium; quia propter gloriosam ejus suprematam, quam solus possidet, solus eo jure naturali gaudet, quod transferri non potest sine sui ipsius exauctoratione; quâ ex ordine suprematatis transiret in ordinem subordinatorum: quo in casu nunquam ipsi volenti in hoc universum locus esset: quod reverà esset transire in ex-Deum. Aut si ad dominium socios adsciscere posse ens supremum quis putet: ille ad caput *de unitate* docebitur, Deo, qui ipsi autoritate & potestate illimitatâ pares sint, planè adjungi non posse.

§. 15. Quæ indè oriuntur quæstiones; an Deo competat *potestas mutandi legem naturalem? annihilandi omnem creaturam à se conditam? aut etiam excrucianti & affigendi hominem innocentem?* Paucis absolvendæ sunt, dicimusque potestatem divinam

con-

concipiendam esse absolutam hoc sensu, quod nec leges aliunde accipiat, nec ad rationes agendi teneatur: nihilominus cum Deus se ipsum abnegare non possit, eum ipsum sibi legem esse, ut non possit quicquam velle, quod ejus naturæ, virtutibus, aut gloriæ adversum est, constat. Ita 1. *Legem*, quæ continet delineationem sanctitatis, cujus ipse exemplar est, *mutare* non potest, propter sanctitatis rationem in Deitatis sanctitate fundatam, ut nunquam reprobare amorem sui, & approbare odium sui in creaturis rationalibus salvâ suâ decentiâ possit. 2. *Annihilare omnem creaturam etiam rationalem* licet possit per conservationis suæ subtractionem: non tamen de eâ re aliquid expectandum esse Sapientia Dei & Constantia jubent; imò nec ordo, immutabili decreto semel constitutus, patitur. 3. *Hominem innocentem affligere & excruciare*, si solum explorare eum in officio gravioribus velit laboribus, esse potestatis Dei indubium est: sed eundem sub ratione poenarum à se amovere & in tenebras æternas præcipitare prohibetur per voluntatis suæ intrinsicam bonitatem, sanctitatem, & justitiam; quas virtutes celebrare in creaturis rationalibus, & quidem ut sibi gloriosas, unica creationis ratio & finis est.

## DE VIRTUTIBUS DIVINÆ VOLUNTATIS.

### C A P. II.

#### *De Virtutibus Dei.*

§. I. **V**OLUNTATIS *divinæ* nunc porro quædam q. affectiones nobilissimæ (quas *virtutes* vocamus) sunt perpendendæ, à quibus *supremus rerum dominus*, jure ut optimus denominatur, qui maximus est. *Virtus* humana est *amor* rationis cum studio id agendi, quod ratio postulat: cujus dictamen homini lex est: & cujus opus in genere morum bonum honestum dicitur. *Dei* autem *virtus* est ejusdem laudatissima voluntas, cum tendentiâ ad conservationem ordinis, quem ipse instituit, ut maxime rationalis.

H

§. 2. Dif-

§. 2. Differt tamen *virtus Dei à virtute humana*. *Virtutes enim creaturæ rationalis sunt accessorie qualitates*, quæ uti abesse possunt, ita quoque gradus intensiōnis & remissionis admittunt. In Deo vero est *ipsa perfectissima Dei voluntas*, constanter, quæ sibi conformia sunt volens, & à parte Dei ipsam ejus essentiam constituens. Homo *dictamen rationis* ut legem Dei accipit: *Deus legibus non subjicitur*: sed ipse est summa ratio: qui dum necessario sibi in se ipso placet, non potest non sibi complacere in eo, quod sibi ut summæ rationi est congruum: & contra fugere, quod ipsi est adversum.

§. 3. Conciipiuntur istæ *virtutes ut affectus* Deo agenti, ejusque operibus adhærentes; quod pro intellectus nostri modo fieri notandum est; Ita tamen ut omnes imperfectiones affectuum humanorum à Deo amoveantur; quæ ex conjunctione mentis cum corpore, propter concomitantes spirituum animalium motus impetuosiores, oriuntur: adeo ut in Deo sint pacatæ volitionis variæ terminationes, ad varia objecta, diversimodè constituta, undè varia profluunt effecta, propter quas varias relationes simplicissima Dei volitio varias accipit denominationes.

§. 4. Illas Dei virtutes ad has quatuor nos revocamus, nimirum, ejus *Veritatem, Bonitatem, Sanctitatem & Justitiam*; de quibus singulatim paucis agendum erit nobis.

## S E C T I O I.

### *De Veritate Dei.*

§. 1. **P**RIMO loco sese nobis offert *VERITAS DEI*; quæ singularis divinæ voluntatis perfectio est, *quæ cum creaturis suis rationalibus ideam rerum communicat, rerum veritati consonam*. Assumo (quæ jam ante probata sunt) ens supremum se ipsum novisse intimè uti revera est: ac præterea res omnes extra eum, quarum ideas ipse formavit; quæ intellectus divini infinita amplitudo est. Revoco etiam mihi in memoriam, quod quæ Deus, qui falli non potest, nec à vero aberrare, de se, rebusque aliis notificat, id profluere ex voluntate sua, quæ cum sit veritatis amans, non

non communicat cum creaturis suis rationalibus, nisi quod novit, & certissimè novit verum esse.

§. 2. Sanè Deus mendacii aut erroris auctor esse aut fieri minimè potest, ut falleret in communi omnes, quas ipse condidit, naturas intellectuales. 1. Quia *veritatis* sibi cognitæ, sive necessariæ, sive dependentis *amorem* exuere non potest, propter approbationem, quâ ideam sui ut perfectam, & alias à se formatas pro suo beneplacito non potuit non respicere cum complacencia. Rerum veritas est, quod sint id, quod sunt: *idea veritas* est, quæ cum rebus convenit: *Dei veritas*, quod veram rerum ideam in creaturis intellectualibus imprimat: qui cum veritatem probet, & in eâ sibi complaceat, non potest non eam amare. 2. Quia se *ipsum abnegare* non potest; id est, non aliam de se dare ideam quam veram; cujus repræsentamen menti objiciat Deitatem falsò; quod esset suo loco idolum proponere adorandum, ens imperfectum ut perfectum. Neque alienam de operibus suis contra mentem suam injicere potest opinionem: quâ creaturæ destituerentur suâ relatione, quam habent ad gloriam Dei manifestandam. Ita enim aliquid vellet contra voluntatem suam primariam, quâ constituit finem suum; qui nullus alius esse potest, quam manifestare gloriam suam: cujus abnegatio igitur esset finis operum suorum destructio: quod maximè absurdum est. 3. Qui aliquem fallit, id facit aut ex propriâ ignorantia, aut ex malevolentia: neutrum de Deo summè perfecto dici potest; *ignorantia* enim foret imperfectio intellectus Dei & excluditur per conceptum omniscientiæ, Deo assertæ. *Malevolentia* foret imperfectio voluntatis Dei: neque cadit, nisi in imponentes, ac meuentes.

§. 3. Concipitur autem *Deus communicare veritatem* per manifestationem naturalem, aut revelatam: hæc ultimam Theologus naturalis quidem agnoscit ut possibilem, & per famam intelligit ut jactatam, atque aliquatenus examinat: sed non admittit, nisi cum transitione ad religionem revelatam. *Manifestationem naturalem* autem vocamus rationem (quæ in mente humana index est veri & falsi, nec non boni & mali) in quantum eam invenimus Deo auctore nobis inditam: novimus enim per inti-

nam nostram conscientiam nos ita à Deo creatos esse; ut quæ mens clarè & distinctè perceperit *vera aut bona* esse, non possit non affirmare aut eligere: atque eorum opposita negare & respuere. Cumque ea mentis natura extra potestatem nostram sit constituta, haud dubium est eam etiam cum istis legibus Deum habere auctorem. Ergò Deus se per istam rationem sub istis legibus ab ipso definitis manifestavit hominibus. Si enim ideæ istæ, quæ se maximâ cum luce & distinctè mentis contemplationi objiciunt, falsæ esse possent, ac mentem inevitabili ductu in errorem aut peccatum inducerent: sanè falleret nos ille, qui hominem ita condidit, ut aliter non possit. Ergò vera sunt, quæ Deus per characterem constitutum (ita vocamus claram & distinctam rerum perceptionem) vera esse indicat: & cum istæ ideæ ac notiones communes ipsius Dei immixta sint repræsentamina, Deus censendus est per ipsa veritatem manifestare, atque cum creaturis rationalibus communicare.

§. 4. Occultare quidem multa potest Deus ab intellectu humano, & occultat reverà, dum intellectui nostro fines atque terminos posuit. Sed de occultis nobis non est judicandum, atque ita iudicium suspendendo errorem & peccatum evitare oportet.

§. 5. Hæc *veritas Dei* includit etiam conceptum *fidelitatis Dei*, quâ fieri non potest, ut posito, quod aliquid futurum dixerit, aut aliquid boni promiserit in futurum, id non præstet: qui enim non tantum futurorum habet præscientiam, sed ipse de futuris liberrimo & immutabili decreto constituit, eamque voluntatem immutabilem cum infinitâ efficaciâ possidet; ille voluntatem suam explicans mentiri non potest: & eam ex decreto suo æterno patefaciens, propter immutabilitatem consilii ab exsequendo decreto recedere nequit.

## S E C T I O II.

### *De Bonitate Dei.*

§. I. **B**ONITAS Dei considerata inter virtutes Dei, non est ea, quâ bonus in se dicitur sensu metaphysico, seu quod idem, quâ ut perfectionum realium infinitarum possessor absolutus celebratur; sed spectatur relatè ad nos, ut *benevola voluntatis divine*

*vine tendentia ad extra, ad bonorum in creaturis efficientiam prona;* quâ (licet ipse creaturis ad beatum esse non indigeat) ipsas tamen quibusdam majoribus perfectionibus in tempore ornare, & beneficiis cumulare velit.

§. 2. Quilibet experitur in sese, quod *omnes realitates*, ad constitutionem naturæ suæ ipso actu concurrentes, sint considerandæ *sub ratione boni*; quoque istæ sunt plures & nobiliores, eò quoque perfectius censendum esse opus Dei: præprimis si creaturas referamus ad usum, quem præstant in relatione ad universum, dum mundi machinæ magis aut minus respondent. Hæc idea, quandoquidem à Deo omnium animis est indita; agnoscendum est, omnem bonitatem in rebus ex divinâ bonitate, id est benignitate & liberalitate, tanquam uberrimâ bonorum scaturigine, profluxisse.

§. 3. Habemus porrò quarundam perfectionum ideam, quæ si nobis adessent, insitum menti desiderium satiare possent: quæque absentes earum fervidum excitant appetitum. Has perfectiones in Dei omnisufficientis potestate constitutas, & nobiscum communicabiles si Deus velit, ex ejus amplissimâ & liberrimâ voluntate, nunquam non efficaci, nemo non sponte derivat. Imò earum spem aliquam facit, si quis attendat naturam nostram non solum esse conditam ad majora capacem; sed imprimis id præstat observatio regiminis Dei, gradatim multos perfectionum auctuario exaltantis, ac supra sortem primi ortus evehentis.

¶. Singularis illa *mentis* ad majoris perfectionis gradus concessa *capacitas* per experientiam constat: quoniam videmus ejusdem ordinis homines indies majus in intellectu lumen, in judicio acumen, in habitibus facilitatem, multa que alia assequi: ut reverà conslet hominem à Deo ipso ad majora esse conditum, quod non obscurum bonitatis Dei indicium est.

¶. Cumque omnis progressus ad majora assurgens etiam dependeat à Deo, nos singulis momentis quasi reproducente, uti nos prima scientia docuit: atque media, nisi Deo annuente, nullo successu huic nostro incremento respondeant: planè quod desideramus legitimè à Dei bonitate dependet: quæ independens cum sit, nemini quicquam ulterius debet, & rationem concedendi ea præter



manifestationem bonitatis suæ gloriosæ habere nequit : quod enim genuinum bonitatis Dei format conceptum est expendere, ut qui nulli debitor est, se multis beneficiis commendet, & inter homines quotidie ab hac virtute inclarescat.

§. 4. Hæc Dei bonitas seu benevolentia propter diversitatem relationis aliquandò novas subit denominationes, ita verbi gr.

1. *Longanimitas* dicitur, quandò homines respicit, qui ex quacunque defectione peccatores facti, non solum conservantur sub pœnarum, quas meruerunt, dilatione, verum etiam multorum beneficiorum collatione afficiuntur, quod divinæ *tolerantiæ* opus est.

2. *Gratia* verò dicitur, in quantum divina benevolentia homini indigno, imò male de ipso merito, beneficia adtribuit, ad ejusdem restitutionem facientia : quod cum Deo per omnimodam & impervestigabilem suam sufficientiam non debeat censi impossibile; suo loco erit inquirendum, num Deus salvo decentiæ & justitiæ suæ decore istam clementiam exercere possit?

3. Sequitur post gratiam *miseriordia*, quæ relatione ad hominem miserum factâ, novam facit denominationem; atque eandem notat benevolentiam occupatam in homine misero ex miserâ quâpiam conditione eripiendo, & ab afflictionibus, sub quibus gemit, planè liberando.

### SECTIO III.

#### De Sanctitate Dei.

§. I. TERTIO loco proposueram *Sanctitatem Dei*, quæ concipitur ut voluntatis divinæ tendentia ad id, quod in genere morum *bonum* aut *malum* dicitur, illud approbando, hoc verò reprobando.

§. 2. *Actiones* alias esse *bonas*, laude dignas, alias *malas*, in sese culpabiles, per intimam novimus conscientiam. Ista ex *virtute*, quæ est amor rationis cum inclinatione id agendi, quod ratio dicitur, has verò ex pravitate ratione destitutâ profluere, itidem per se cognitum est. *Sanctitas* autem exactitudinem & puritatem inclinationis ad bene agendum connotat: ut voluntas  
san-

*sancta* sit dicenda, quæ nihil vult nisi quod ratio dicat, & tantummodò eam ob rationem, quia ratio id dicat fini Dei & naturæ divinæ esse consentaneum. Hanc autem *sanctitatem* in Deo considerantes, in quo longè purior est, & exemplaris, definimus esse, *voluntatis Dei approbantis puritatem, quâ sese infinitè perfectum sibi que sufficientem ita amat, ut in se ipso acquiescat, & nil nisi propter se ad gloriæ suæ manifestationem statuere possit, ut legis rationem habeat, creaturis rationalibus observandæ.* Est ergo illa sanctitas consideranda in Deo ipso, ut complacentia Dei in se ipso cum ultimâ ac summè immutabili acquiescentiâ in suis perfectionibus, quas intensè probat. Dein est relatè ad creaturas racionales *voluntatis suæ* immutabilis planè tendentia, quâ id, quod naturæ & fini suo est consentaneum ac ipsum pro modulo suo exprimit, ut bonum probat: contra verò, quod ab istâ ratione abaudit, maximè reprobatur.

§. 3. Hanc *Sanctitatem* Deo naturalem esse asserimus quoque, his nixi rationibus; 1. Ipse enim Deus sibi ratio est, & rationis origo; qui quod verum est in se, non potest non affirmare, & approbare: ergo nec sententiam in mente creatâ, menti suæ in perceptione veritatis, ejusque agnitione cum approbatione bonitatis conformem rejicere, atque ut iniquam respuere. 2. Nemo non agnoscit *rationem* esse omnium perfectionum maximam, seu justum veritatis repræsentamen, continens ideæ cum re repræsentatâ convenientiam, etiam secundum ejus intrinsecam bonitatem. Cum autem Deus ipse ne quidem id, quod verum est, inter creaturas racionales abnegare possit, nec vero ab iis percepto contradicere; non potest etiam non rationem, quæ est in virtutibus, sibi consentaneam, probare; & rationis carentiam atque abnegationem quæ est in vitiis reprobare, idque propter ejus veritatem. 3. Cum *ratio*, quam amat virtus, fundata sit in Deo, nihilque dicet, nisi quod gloriæ Dei manifestandæ, ut fini omnis actionis, respondet, & in mediis ad finem istum promovendum nil faciendum admittat, nisi quòd eò directè ferat, ac naturæ Dei est consentaneum: à Deo sperni per amorem gloriæ suæ, quam solam intendit aut intendere potest, planè nequit.

§. 4. Ab hâc Dei sanctitate profluit, quod *lex* à Deo lata,

ty-

typum obligationis & officiorum creaturæ rationalis delineans, *non possit non esse sancta*: seu, quod idem est *sanctitatem Dei* proponat ut imitandam pro viribus; & tanquam exemplar quoad fieri potest respiciendum, in actionibus nostris. *Potestas* Dei legislatória sicuti continetur sub summâ Dei potestate & imperio, quâ voluntatem suam homini ut normam proponit semper religiose observandam, & nunquam impunè violandam: ita *legis* (seu voluntatis Dei hominem ad officia quædam determinata obligantis) ratio ac æquitas, à quibus commendatur, est, quod exprimat imaginem Dei: seu quomodo mentis sententiam circa verum & bonum menti Dei reddere conformem oporteat, ut ejus natura magis magisque perficiatur, Deoque assimiletur.

§. 5. Quæritur porro an antecedenter ad decretum Dei detur aliquod bonum morale, aut ejus ratio? atque respondeo quod fit: quia datur Deus ens necessario existens, & perfectus absolute, qui non potuit se ipsum considerare nisi ut bonum, & in suâ sufficientiâ ut exprimibilem: & qui non potest non gloriam suam amare, quam per conscientiam sui novit, ut amatu dignam. Est ergò in Dei intellectu perceptio sui ut boni naturalis, & amoris gloriæ suæ, ut boni moralis: quem in decreto respexit, ut in hominibus exprimibilem, futurum radium sanctitatis suæ, atque prototypon imaginis suæ, si ita velit decernere.

§. 6. Hujus *Sanctitatis Dei* quoque est, quod non jungat se cum creaturis rationalibus ad beatam fruitionem, nisi evadant ipsi in sanctitate & rectitudine pro suâ capacitate similes; hoc est, ipsum ut exemplar per aliqualem similitudinem expriment: non enim potest sibi placere in sui opposito, qualis est peccator: aut approbare, quod ipsi est planè disconveniens, uti est voluntas peccatoris, odio gloriæ divinæ se ab ejus amore avertens, ac perfectiones suas nil curando spernens: imò à modulo rectitudinis, lege suâ definitâ, recedens. Ipse enim, si ea non displicerent, hanc suæ puritati maculam quasi contraheret, ac si divina sua gloria ipsi non esset res tanti.

## SECTIO IV.

*De Justitiâ Dei.*

§. 1. **T**ANDEM ad *Justitiam Dei* progredimur, quæ est *voluntas Dei*, relatâ ad nexum inter virtutem & ejus præmium; nec non inter peccatum & ejus pœnam: ut dicat *constantiam voluntatis Dei, bene agentibus bonum, mala verò perpetrantibus malum retribuendi.*

§. 2. Concipitur jam Deus in imperio suo summo & independente ut Judex, cujus est de creaturæ rationalis statu ultimato statuere, quam ut legislator legi suæ subjecit: quippe quæ post exploratam obedientiam aut inobedientiam, approbationem aut reprobationem factorum habet expectandam, cum consequentibus approbationis aut reprobationis Dei ut supremi Judicis indicis.

§. 3. Estque illa *Justitia Dei* alia *remunerans*, quâ pro nexu, quem instituit inter virtutem & ejus præmium, bene agentes coronâ virtutum ornare constituit, & ratâ voluntate decrevit. Alia est *retributiva*, quâ male agentes, aut castigatione corrigere, aut ultimato pœnâ vindictæ afficere, ac in perditionem præcipitare ratum habet.

§. 4. *De Justitia Dei vindicativâ* aut potius *punitivâ* quæritur an sit arbitraria? an verò Deo naturalis, seu necessaria? ita ut Deus salvâ suâ decentiâ non possit peccatum commissum dimittere impunitum? Hanc quæstionem antequam decidamus, notandum nos res considerare secundum ordinem Dei jam statutum: & quidem in istâ hypothesi, quâ supponimus Deum voluisse creare creaturam rationalem (intelligendo per eam mentem ratione & conscientiâ instructam) cui Deum alias de se suisque perfectionibus insculpere ideas, quam quæ cum immutabili suâ naturâ conveniunt, haud potuisse, ex ejus veritate supra evicimus: nec alias quam sanctas leges, fini suo & naturæ suæ consentaneas, cordi inscribere etiam ex immutabili ejus sanctitate ostendimus. Restat ergò, ut inquiremus, an legis suæ sanctissimæ transgressores salvâ suâ decentiâ dimittere possit impunitos?

I

§. 5. Ne-

§. 5. Negamus peccatum impunè fieri, aut impunitum à Deo decenter demitti posse. 1. Quia veritas Dei non permittit, ut legem daret sine statutâ transgressionibus poenâ: quia lex, quæ transgressori multam aut supplicium non imponit, officium quod præscribit, repræsentat ut rem indifferentem: hinc Deus legem suam menti inserens, & cum ratione manifestans, id fecit cum insitione conscientiæ, ob commissum crimen peccatorem arguentis, ac poenam, si quis à regulâ rationis defecerit, transgressori intentantis: sine hoc enim Deus nobis veram rerum ideam non indidisset: jam verò qui poenam statuit peccatoribus, propter suam veritatem quoque eam transgredientibus infligere debet: alias enim non faceret Judex, quod ipse ut legislator se facturum per conscientiam nostram satis evidentè prædixerat.

2. Nota quoque, quod *premiùm* & *pœna* non possint non habere *rationem formalem laudis* & *vituperii*: cum itaque in peccatorem conferre præmiùm idem sit ac eundem laudare, & quasi ob rem benè gestam ei coronam imponere; sequitur quod Deus *per suam sanctitatem* id facere non possit, quippe quæ prohibet, ut malefacta ullò indicio approbet: ita enim talem laudare, præmioque ornare, esset peccatum amare; ac se ipsum, & gloriam suam, quam peccator neglexit, & ipse negligere: imò sui abnegationem approbare, quod sane in Deum Sanctum, judicem veracem, & se ante omnia amatorem cadere nequit.

3. Bonè etiam perpendendum est, *nexum inter virtutem* & *premiùm*, nec non *inter peccatum* & *pœnam* ita radicatum esse in ordine, à Deo convenienter naturæ suæ constituto, ut ipsa virtus sit ex parte exercitiùm fruitionis Dei; quippe radicata in amore Dei, qui amor ergà Deum est ipsa mentis in Deo, ut summo bono, delectatio: undè sequitur neminem non Deum amatorem eatenus jam tum Deo frui. Contrà verò cum peccatum in se contineat actualem meâis à Deo aversionem, cum summi boni contemptu: atque poena consistat in fruitionis Dei privatione, seu hominis à conjunctione Dei separatione; fieri haud potest, ut peccator non sit in statu separationis à Deo. Quare nexus ille necessarius, ipse terminis inclusus est.

4. Adde, quod conscientia, *victa Dei agens*, non solum nomine

mine Dei *testem* agat, sed & *Judicem*: quippe ex malefactorum convictione rodens, & sceleratum ad omnem de Deo cogitationem horrore numinis corripuens, mentemque hominis rei mirum in modum excrucians: qui cum omnem Dei memoriam sibi gravem sentit, & intolerandam, necessario præoptat, ut ideam Dei extinguere aut ab animo excludere possit. Cum autem Deus sese per conscientiam in nobis manifestat tanquam per vicarium suum, sequitur Deum non posse non concipi ut justum Judicem, qui peccatorem à sui fruitione excludit.

5. Tandem consideremus *Deum* (ut per historiam mundi constat) aliquando *exercuisse* judicium suum, atque pro jure suo à peccatoribus exegisse pœnas, postquam illi libero suo arbitrio abusi fuerant; ut factum per immisionem diluvii (cujus traditionis nō gentes quidem fuerunt ignaræ) constat. Nonne ex eo sequitur, quod qui aliquos peccatores actu rejecit, & suppliciiis suis subjecit, ipse ille Deus dicendus sit, id, prout eum decet, ex ratione egisse? Quod si verò Deus hos puniret, alios eodem modo reos non: sanè ex ratione non ageret, sed ex arbitrio: ratio enim, quæ in horum pœnâ valebat, infringeretur per aliorum dimissionem: quod de Deo cogitare absurdum est.

§. 6. Fateor me nondum rem omnem absolvisse: remanet enim adhuc dubium: *an non Deus*, antecedenter ad ullam conciliationem, homini reo possit *dare gratiam respicientiæ*, atque ita pœnitenti, quem à pertinaci distinxit, postea remittere peccata, eo ipso, quod eum factorum pœnitet, seque emendare studet. Verum si rem æquâ lance perpendamus. 1. Per istam pœnitentiam hoc solum efficeretur ut *judex haberet reum confitentem*, dum per suam conscientiam rodentem aliter non potest statuere quàm se pœnâ dignum esse; quod in foro justitiæ non absolvit reum, sed potius pœnam involvit.

2. Si Deus peccatori gratificaret donum talis pœnitentiæ, uti est in hypothesi, ille semet tunc *inimico suo communicaret*, ante reconciliationem: atque hoc ipsum esset communionem habere cum peccato, seu reatum non ægrè ferre; quod est contra Dei sanctitatem.

3. Imò sic idem esset respectu Dei peccator Deo conciliatus &

non conciliatus, id est, peccator & non peccator: supponitur enim quod remissio peccatorum (quæ est ipsa peccatoris cum Deo conciliatio) consequeretur pœnitentiam, & nihilominus pœnitentia foret donum gratiæ divinæ: atque ita Deus conferret gratiam aliquam, eo in rerum statu, quo concipitur offensus & non conciliatus, quod revera contradictionem involvit, & omnem notionem odii peccati in Deo destruit; quippe cujus testimonium est in averfione à peccatore.

§.7. Qui objiciunt actiones Dei ad extra esse Deo indifferenter liberas; atque inter eas etiam punitionem recenserunt, illi teneant canone isto non esse abutendum. Non cogebatur Deus hominem condere: nec eo condito peccatum permittere. Sed posito utriusque decreto ac eventu, non poterat aliquid facere contra suam decentiam, qualia sunt præcipere odium sui: aut non testari odium sui sibi displicere, idque per illationem supplicii.

§.8. Urgent etiam Deum posse pœnas differre, ac punire quantum vult & quando vult; ergò etiam pœnam planè non inferre. Sed sequela infirma est, & negatur. Non enim quæstio est de pœnarum modo, gradu, vel tempore: in quibus omnibus ex æquo atque sapienter dispensandis plurimum valet Dei clementia, & dominium. Interim id quod differtur, non aufertur, nec propterea eadem decentiâ auferri potest, quâ deffertur. Sed Deus potius tarditatem supplicii gravitate compensat, dum æquitatis inter homines ut Judex rationem habet.

### CAP. III.

#### *De Unitate Dei.*

§.1. **H**ACTENUS gloriosam Deitatis naturam in ideâ ejus contemplati sumus: nunc restat, ut inquiremus num *idea ista pluribus conveniat?* num vero *uni soli?* ut, qui pro *unitate Dei* contra polytheismum Gentilium militant, statuunt ens summum & independens, uti neminem habet se superiorem, ita etiam nullum habere sibi parem; cum ipso comparandum: quia noster *Optimus Maximus* omnes perfectiones *solus* infinito modo possidet. Non ergò hic tantum respicimus *unitatem* metaphysicam,

licam, quâ essentiam sibi propriam possidet, quo sensu omne ens unum dicitur, cum ista unitas etiam alias res sibi similes & secum existentes admittere possit, sed unitatem numericam, quâ ipse unicus & solus est in rerum natura Deus, ac præter eum & extra eum nullus alius.

§. 2. Hoc antequam adstruamus, notandus est hic Ben. de Spinoza: qui, dum *unitatem Dei* ex eo derivare tentavit, quod *unicam solum dari substantiam* probandum sibi sumpsit, reapse Deum unum aggregatum finxit, atque omnem rerum universitatem Deum esse dixit, cætera enim *entia particularia* (quæ à nobis ut singularia considerantur) tantummodò *modificationes esse unius ejusdemque substantiæ* perperam asseruit. Hanc suam sententiam cum ex definitione substantiæ inferre conatur (quam definit *ens per se subsistens*) ludit turpiter in oculis *per se*: quasi dicerent substantiam independentem, nihil extra se ad existendum egentem: cum tamen ex mente Philosophorum nihil aliud dicant, quam substantiam individuam seu singularem, ab aliâ distinctam & separatam, in oppositione ad accidentia, quorum esse est inesse in alio ut subjecto. Hinc dilemma ejus dolosum est, quo dicit (ut *nam dari substantiam probet*) quicquid est, *vel est substantia, vel substantiæ modus*: quod falsum est, si per substantiam intelligat id, quod independentem à causâ existit, atque ita ab ejus conceptu excludat res à Deo productas, atque ab ipso diversas: quoniam præter substantiam independentem & modos, sunt adhuc substantiæ dependentes à Deo diversæ: quod nulli non per conscientiam notissimum est. Quis non observat, mentem suam à mente socii diversam esse, quia cogitationem suam novit à socii cogitatione diversam, & aliquandò contrariam, nonne & singuli tantum propriarum cogitationum habent conscientiam? Quis non clare percipit substantias extensas, motu interveniente à se mutuo esse divisas, adeoque diversas: canem non esse equum, nec corpus quadratum esse rotundum? Imò probavimus substantias cogitantes esse diversas à substantiis extensis, quoniam nihil inter se commune habent: sicut etiam Deum ita esse incorporeum, ut omnis substantia corporea, per attributum extensionis concepta, dici debeat à Deo diversa: ex quibus sole meridiano evidentius est, substantias



tiasdari diversas, & individua innumera, à se invicem disjuncta atque diversa, quæ inter se identificari non possunt, ac propterea haudquaquam ad unitatem substantiæ revocari.

§. 3. Dicere, quod *entia particularia* sint *modificationes substantiæ infinite*, includit Deum modificatum, quem subiectis perpetuis modificationum mutationibus, etiam in minimis pulvisculis, ac quotidianis divisionibus: dum innumeræ universæ partes simul sumptæ Deum Spinozæ constituent; atque ita unum aggregatum sit, in suis visceribus mutabile in omnes formas, & maxime *instabile*; in quo *cogitationes* sunt per partes divisæ, in variis ejus partibus *diversæ, imperfectæ, pugnantes, peccantes, blasphema*: quæ tamen modi sunt, uni (ut ait) substantiæ tanquam subiecto in hærentes. Imò & contra partes Dei cum sint, quæcunque vides, non tantum omnes illarum imperfectiones, etiam culpabiles de Deo prædicantur, sed & res finitæ, ut modi Dei, fortiuntur prædicata à Deo, ut subiecto suo; atque dicendum quod lapis hic, & lignum illud, nec non quodcunque pomum putridum, sint affectiones Dei, imo ipse Deus, quatenus is constituit essentiam lapidis, ligni, aut pomi putridi: nam quæ naturali necessitate coherent, etiam naturali necessitate sunt unum: ita qui lapidem, lignum, aut pomum putridum adorat, Deum adorabit. Quæ suâ absurditate corruunt.

§. 4. Sed converto me ad *Polytheistæ Gentilium*, qui abortus fuit rationis, ad ideam Dei non satis attendentis; & in eo hærentis, quod concipere non poterant, quomodo res adeò diffusæ & innumeræ, ab unâ regi mente atque dirigi possent: quare diversis rebus diversos præfecerunt Deos. Quæ in re magnam produnt ignorantiam; si enim ideam Dei, ut entis infiniti, attentioni perpendissent animo, intellexissent totum hoc universum ab intellectu Dei infinito facile percipi tanquam unam ideam, quam adæquate perspicere uno actu Dei est: ut mundi indefinita amplitudo, rerumque numerus nobis innumerabilis, intellectus infiniti capacitatem non excedat. Accedat ratiocinium Lactantii L. 1. inst. Dei c. 3. sequenti modo ratiocinantis. „Qu putat, „hanc tantam magnitudinem non posse ab uno regi, fallitur: nec „enim quanta vis potestæque sit divinæ majestatis intelligit, si „exi-

existimat singularem Deum, qui mundum facere potuit, eundem regere non posse, quem fecit. At si concipiat animo, quanta sit divini hujus operis immensitas, quum antea nihil esset, tamen virtute atque consilio Dei ex nihilo conflatum, quod opus nisi ab uno inchoari perficique non poterat; jam intelligit, multo facilius ab uno regi, quod est ab uno constitutum. Dicat fortassis aliquis, ac fabricari quidem tam immensum opus mundi, nisi à pluribus, potuisse: quamlibet multos, quamlibet magnos faciat, quicquid in multis magnitudinis, potestatis, virtutisque posuerit, id totum in unum confero, & in uno esse dico: ut tantum in eo sit istarum rerum, quantum nec excogitari, nec dici potest.

§ 5. Temerarium fuisse illud hominum nil rite perpendentium figmentum vel inde constat, quod *præter causam Deitatem ita multiplicent*. 1. Quoniam *unicus Deus solus & sibi est universo* extra se constituto ad esse & perseverare *sufficiat*; *Sibi*, inquam, propter aseitatem suam independentem; *Universo* etiam propter infinitatem omnimodæ perfectionis, ac speciatim intellectus, voluntatis, & potentiae. Quare ipsi temerè adjungunt plures, quibus nec ipse, nec Regimen universi indiget.

2. Adde, quod ista *pluralitas Deorum* saltem *nullo argumento solido asserta* fuerit, aut probari possit. Temerè autem affirmari, quod sine ratione statuitur, per se constat.

3. Imo pluralitatem Deorum affirmantes ne ullâ quidem rationis specie certum Deorum numerum definire possunt, incerti planè an numerus eorum sit definitus, num verò indefinitus: utque ita nescii sint, cui aut quibus debitam venerationem offerant.

§ 6. Qui Deorum pluralitatem admittunt, illi statuunt omnes inter se pares, id est ejusdem infinitæ dignitatis ac perfectionis esse: aut alios aliis præcellentiores, atque uni summo subordinatos. Neutrum verò hæc obtinere nobis demonstrandum est.

§ 7. Plurium summorum Deorum inter se æqualitas & exacta similitudo pravissimas ob rationes rejicitur. 1. Quoniam unus absolutè perfectus & sibi soli sufficiens, nullius extra se indigus tantum in sui solius fruitione, beatus esse potest; ferri autem in aliud bonum ut summum extra se nec fieri noquit, nisi cum appetitu

petitu ejus, quod est extra se: atque ita ipse solus infinito suo appetitui adæquatè respondere non posset: proin in se solo non acquiescens in se *beatus* non esset. 2. Nec etiam nisi unus sit, inter plures summa *sanctitas* intemerata relinqui potest: aut enim illi plures coëxistentes se mutuo pro dignitate naturæ æqualis ac planè similis amarènt aut non amarent: si non amarent se mutuo essent mali genii: non enim amare absolutè perfectum, seu summum bonum, est negligere & contemnere quod absolutè bonum est: nec dubium est, quin entis summè boni contemptus contineat errorem in judicio, & impuram malignitatem in voluntate. Si ament se mutuo ut seipsos, quippe pares, non poterunt se ipsos solos respicere, ut finem creaturarum ultimum & ad eum omnia ordinare, quæ uni soli conveniunt: quin alios à fine suo & mediorum usu, quorum ob æqualem supereminentiam æqualis est potestas, non sine injuriâ excluderent. Sin verò mutuam quærunt gloriam, ut finem: tunc finis non erit indivisus, & simplex, adeoque non purus, & sic nequidem verè sanctus. 3. Etiam mera *Deitatis independentia* Deorum pluralitatem non admittit. Pone duos pluresve Deos, hujus universi productores & rectores; erunt isti hujus mundi causæ totales vel partiales; *non totales*; quia plures unius ejusdemque rei causæ totales coördinatæ esse non possunt: non etiam partiales, quia à se invicem in operando dependerent; dum unum opus inter sese dividendò unus ab alio reciperet auxilium. 4. *Spiritualis* cum sit natura divina; ejus operatio nulla alia est, quam quæ fit per *efficaciam infinite voluntatis*, pugnat autem mundum pendere à cujusquam arbitrio, qui noluit cum fieri. Ille autem, qui hoc universum condidit, id potuit inconsultis aliis, aut non? Si prius fieri potuit, & factum est, mundus solum dependet ab unâ voluntate. Si alterum requiritur; ut sc. cæteri Dii necessariò debeant assensum præbere, antequam unus quod vult consequi potest, oportet ut illa creatis voluntas non sit absoluta & independens, atque se solâ efficax, quippe ab aliorum arbitrio suspensa: quod à voluntate Dei alienum est. 5. *Intellectus Dei* infiniti cum sit infinitus, atque adeo omniscius, unus Deorum posset ideam mundi, quam formavit, & consilium suum circa regimen particularium rerum in mun-

mundo ab aliis occultare vel non. Si prius, cæteri non erunt *omniscii*: sin contra, quilibet alterius cogitationes ita penetrabit, ut singulorum cogitationes propriæ & peculiaris consilia à nemine eorum occulta esse possint, nemoque habebit suas cogitationes sibi soli independenter, id est nemo (ab alio separatus licet) à se & ex se sciet omnia.

6. Neque video, quomodò summa & *independens libertas domini* cum Deorum pluralitate consistere queat, ubi velle unius supponitur non esse velle alterius, & simul voluntas unius velle debet independenter à voluntate alterius. Concipe jam ideam mundi in mente Dei formatam ante creationem; unde illa? an omnes simul & seorsim ideam mundi apud se formarunt? & ita in ejus definitione consenserunt, ut ne in minimo pulvisculo differant? Cum tamen ista pendeant à mero formantis arbitrio. An omnes simul ex se decreverunt mundum illum creare? resque omnes futuras voluerunt in eadem rerum serie, & circumstantiis loci ac temporis? Sin unus fabricavit ideam istam ut primus inventor? an independens ejus voluntas debuit ad decretum futuritionis aliorum rogare suffragia? qui tamen liberrimus est independens rerum Dominus? Sanè imperium plurium cum æquali potestate efficit, ut nemini competat illimitata potestas autocratica, & independens ab alio.

7. Adde, quod *creatoris potentia infinita sit omnipotentia*, cui nemo resistere potest. Pone jam unum, ideæ universi formatorem, volentem ut res in ideâ constitutæ sic fiant in tempore: & dicas mihi, an cæteri Dii efficere possint, ut prioris consilium evanescat, ejusque potentia refrenetur? an non? Si alter alterius voluntati se opponere, & ejus potentia resistere possit, nemo eorum erit omnipotens, nulliusque potentia independens, multo minus absoluta. Sin cæteri cogantur sequi primi artificis ideam, eam approbare, & executionem consilii istius non possint suspendere, aut impedire: sequitur unum primum, summum, solum omnipotentem esse admittendum, atque eum esse primam mundi causam, tam in ideâ, quam in ipso opere.

§.8. Si quis dicat pluralitatem Deorum postulare, ut omnes idem intelligant, idem velint, idem cogitent simul & semel

K

prop-

propter planè simplicem infinitæ perfectionis possessionem, ut omne id, quod est in uno, sit etiam in altero. Ille tamen teneat, quod idem ita intelligere, velle, & cogitare simul, ut non sit una eademque numero cogitatio, plane non consistat. Foret autem ille consensus aut ex pacto, aut fortuitus, aut ex necessitate naturæ. Non *ex pacto*, quia illud non obtinet inter æquales, à se mutuo non dependentes, nec se mutuo egentes antecedenter ad fœdus, nec mutuam inter se commercium habentes, dum nemo ab alio aliquid accipere, aut sufficienti aliquid conferre vel adicere possit. Non *fortuito*, quia sic nulla cooperatio erit rationalis, & nullum inde pendebit in universi productione commodum: nam produisset omnis res talis, uti est etiam ad unius voluntatis nutum: ut cæteræ inanes, & sine fructu accedant. Neque *ex necessitate naturæ*, quoniam voluntas Deitatis relaxata ad opera externa est liberrima, sic ipsam independenter ab alio ad agendum determinans.

§. 9. Neque est, quod quis putet ob *pluralitatem perfectionum plures* faciendos *Deos*, quorum unusquisque aliam perfectionem possideat infinito modo: ut aliud sit numen *Justitiæ*, aliud *Bonitatis*, aliud *Potentis* &c. Cum *istæ* conceptus ultimam involvat absurditatem, perfectiones enim divinæ omnes tam arctum habent inter se nexum, ut haud quaquam divelli à se mutuo queant. Imo in titulo de simplicitate Dei probavimus jam ante, omnes perfectiones divinas in Deo revera unum idemque esse: ac per nostras solum abstractiones ita distinctè considerari.

§. 10. Fateor Sapientiores inter *Gentes*, Deorum pluralitatem admittentes, constituisse Deos majorum & minorum gentium, ut *unum* tamen inter majores agnoverint *summum*, consilii Deorum præsidem, hominumque Deorumque parentem. Hi Deum summum concipiunt, ut levamen ab opere molesto, & consilium in rebus difficilioribus apud socios adscitos quærentem. Verùm etiam illi graviter impingunt adversus ideam entis optimi maximi. 1. Illud enim cum *independens* sit, nullo modo aliunde consilium ad majorem sapientiam & prudentiam, aut auxilium ad suffulciendam suam potentiam acquirere potest: quippe major omnibus iisdem etiam longè præcellit sapientiâ ac prævalet potentiâ. 2. Propter *infinitatem suam* etiam nemo illi auctor esse sapientiæ potest, aut

aut levamen adducere in opere; quia intellectus infinitus noctice omnia uno actu perlustrans, & futurorum in decreto suo præscius novit, quid fieri decreverit: ut nihil illi sit dubium aut intricatum, communicatis consiliis perpendendum: ejusque potentia cum sit omnipotentia, solâ voluntatis efficacîâ aut jussu operans, etiam nullo labore gravatur, quasi ipsi levamen esset quærendum.


3. Nec *æternus* ille, omni successione carens, consilia capit in tempore; ac proinde in mundi regiminè consiliarios non adhibet: quia hoc sine successivis cogitationibus fieri non posset, quas conceptus æternitatis à Deo excludit.

§. II. Non quidem negamus Deum illum (quem summum appellant illi) eum constituisse in orbe ordinem, ut alias res propter alias constituerit, & rebus intellectualibus imposuerit certa quædam officia lege præscripta, quibus *potestas aliqua*, in inferiorum gubernatione & administratione exercenda, suis circumscribitur limitibus. Verum istæ potestates non assumuntur ab ipso, ut ipsi sint à consiliis aut auxiliis. Sed ut potestatem suam *αὐτοκρατορικῶς* gloriosius manifestaret: nihil enim ipsis conceditur lege, quam voluntatem principis facere, & obligationes impositas solvere: neque opere suo ministeriali Deo quietem procurant ab opere, aut levamen à labore; qui in omnibus vires perpetuò renovat, omnemque successum ipse dirigit. Quod autem juxta ordinem divinum res rebus respondeant, ut corpora in motu alia ex quiete suâ expellant, & unaquæque mens intra spheram activitatis suæ nonnulla cum effectu velit, & cum aliquâ potestate eligat, id non est in ordine ad Deum socios regiminis adsciscere: sed creaturas suis finibus applicare, & curare ut dependenter à se operentur.

LIBRI PRIMI  
THEOLOGIÆ NATURALIS  
PARS SECUNDA.  
DE  
DEO COGNOSCENDO  
IN OPERIBUS SUIS.

CAP. I.

*De decreto Dei.*

§. 1.  UI in primâ scientiâ *Deum* invenimus *mentis nostræ causam*, abhinc ex eâdem causatione eundem cognovimus esse *Deum* vivum & actuosum, & quod amplius, etiam operantem extra se, cui, quicquid præter ipsum existit, suam debet originem. Quæ autem ita à *Deo*, ut causâ primâ, profluxerunt, à nobis nunc porro spectanda sunt, ut *Opera Dei*, quæ istius causationis divinæ, seu operationum *Dei* effecta sunt.

§. 2. Hæc *operationes Dei*, quæ sunt ad extra, distinguimus in unam internam, & alias externas. *Interna* est, quæ *Decretum Dei* audit, concipiendum tanquam actio in *Deo* immanens, & à nostrâ cognitione quoad ejus definitiones naturaliter ante executionem à priori remota. *Actiones* verò *externæ* sunt relatè ad rerum existentiam *Creatio*, relatè vero ad earundem determinatam permanentiam & operationes *Dei Providentia*: quæ ultimæ se habent ad decretum *Dei*, ut propositi divini executiones: quarum interventu, quæ in decreto *Dei* occulta erant, in publicum prodeunt, atque ex statu futuritionis in actum transcunt.

§. 3. Hoc capite itaque de *decreto Dei* acturi, per illud intelligimus ipsam *Dei* voluntatem liberam, æternam, & immutabilem,

lem, pro suo lubito rerum (quas extra ipsum consideramus) naturas nexuque determinantem, & de earum futuritione statuentem, quo gloriam suam extra sese manifestet. Adeoque connotat Decretum Dei voluntatis ejus ad res extra se tendentiam, ut fiant tales, quales vult. Cumque extra Deum, cujus essentia sola includit existentiam, nihil sit, cujus essentia non concipi possit sine existentia: sequitur omnium eorum existentiam tantum esse possibilem concipiendam; & cum singulæ res tam respectu essentiæ, quem existentia planè à voluntate Dei dependant; Decretoria Dei voluntas propter duplicem rerum definitionem hinc essentiæ, illinc futuritionis, non malè à quibusdam distinguitur in decretum quoad speciem, & decretum quoad exercitium.

§. 4. *Decretum Dei quoad speciem* (quod circa rerum dependentium naturas aut essentias versari diximus) nobis est *ipsa Dei voluntas*, rerum singularium ideas definiens, per quam singularem & limitatam suam naturam acceperunt. Hujus respectu celebratur in Decreto Dei *consilium Dei*, in quantum Deus singulari sapientiâ & prudentiâ ideam universi ita præformavit, ut rerum naturas determinando, earumque relationes ad se invicem definiendo elegantissimus nexus harmonicus in omnibus persplendet.

§. 5. Hanc rerum à Deo dependentiam quoad earum naturas, in earundem ideâ repræsentatas, adstruimus. 1. Ex earum dependentiâ intrinsecâ: habent enim istam determinatam naturam in se & à se, vel ab alio: non à se, quia hæc est prærogativa solius Dei; ergo ab alio, qui ante creaturas existens per suam primitatem, & quidem solus cognovit jam ante, quid facere vellet: ille igitur harum idearum auctor est, qui realitates in ideâ cujusque contentas adstituit, circumscripsit, suisque limitibus inclusit. 2. Si quis ideas rerum concipiat, ut à liberâ Dei voluntate independentes, fatum Stoicum introducit, quo Deus ponitur ut in operando à rerum naturis dependens; qui in agendo legem ab ipsis accipiat. 3. Cumque ante voluntatem de formandis ideis rerum, & extra Dei intellectum nihil erant, atque ante existentiam nullum esse ideatum haberent: reverà Dei arbitrio



trio debent, quod formatæ sint à Deo, & quod ita formatæ sint: quæ Dei voluntas cum libera sit, & à nullâ re extra semet determinetur; sanè quicquid realitatis est in quacunquè ideâ, Decreto Dei de rerum essentiis constituendis, quo in certas species & classes relatæ sunt, debent.

§. 6. *Decretum quoad exercitium rerum* est ipsa Dei voluntas decernens, quâ rebus possibilibus sed ad futuritionem aut non futuritionem in sese indifferentibus certam futuritionem aut non futuritionem pro suâ potestate & libero beneplacito determinavit. Cum enim sola Dei essentia includat necessariam existentiam; cæteræ autem rerum ideæ solum possibilem contineant existentiam, per hoc Dei decretum concipiuntur ex statu possibilitatis transire in statum futuritionis, quando Deus definit, ut facienda, in fieri, esse, & operari aliquando ab ejus efficaci voluntate dependeant.

§. 7. Etiam huic Decreto Dei locum codimus. 1. Cum enim res traducendæ à non esse ad esse, ante Dei productionem extra ideam Dei nihil sint, aut saltem non habeant actualem existentiam, nec causam à quâ produci possint præter Deum: sequitur eas non esse producendas Deo invito, cujus agere cum effectu est velle: quare ante voluit omne illud agere, quod postmodum fieri videmus. 2. Nec in productione rerum consilium in arenâ cepit Deus, sed de eâ re decreto aliquo antecedente definivit ac determinavit, quid vellet fieri in tempore: cumque ob ejus simplicitatem, immutabilitatem, ac æternitatem non transeat ex non volente in volentem, oportet ut voluntas illa Dei decernens æterna sit, rerum existentiam anteverrens, & tamen earum futuritionem determinans. 3. Dic, age, quænam causa sit cur non tot sint futura, quot sunt possible? & cur ista futura alia aliis præcedant, alia sequantur? & non jam præterierint, quæ olim erunt? an alia est præter dominans illud primæ voluntatis in futura dominium? 4. Ipsa Dei præscientia certo destituitur fundamento, si res non habeant certam & definitam futuritionem per certam & immutabilem Dei voluntatem, quæ decretum quoad exercitium à nobis appellatur.

§. 8. Inquiritur porro, an hoc *decretum Dei* etiam sit ipse Deus? quod

quod quibusdam à veritate alienum videtur, aliis verò ut manifesta veritas perplacet: factam voluntas illa Dei decernens est ipsa essentia Dei actiuosa, uti Deus ipse est actus purus: etiam si multæ sint res decretæ, uti & multiplex rerum decretarum series longèque inter se diversa, simplex tamen est ille mentis divinæ ac volitionis actus, quo de omnibus Deus constituit. Nemo dubitat, quin objecta decreti divini sint res à Deo distinctæ, & extra Deum producendæ: ast infinita voluntatis divinæ amplitudo ea omnia facillè uno actu simultaneo constituit, ut una ejus volitio non sit causa alterius volitionis, licet una res volita sit causa alterius rei volitæ. Proindè cum Dei voluntas concipiatur sub variâ tendentiâ pro diversitate rerum objectarum, ac effectuum rebus introducendorum: non tamen propterea ab ejus simplicitate receditur, sed ei adscribitur solum varia relatio, quæ interim naturam subjecti haudquaquam immutat.

§. 2. Quandoquidem decretum Dei extendimus ad omnia futura, monemus interim illud esse distinguendum in effectivum & permissivum: quorum illud notat voluntatem Dei de rebus bonis & physicis in tempore efficaciter producendis: hoc vero designat voluntatem Dei de malis turpibus in creaturis rationalibus permittendis, sive non impediendis. Prout enim Deus mundum gubernat in tempore, ita etiam constituit ab æterno. Cumque permissio peccati in gubernatione Dei spectanda sit eum in modum, ne Deus auctor fiat peccati, quod lege prohibuit, hinc loci nihil monendum est, quam quod Deus etiam tunc sagat secundum æternum Decreti sui propositum.

§. 10. Nihil concipi posse ut futurum extra Dei decretum de rerum futuritionibus etiam ratio docet, quicquid alii contendant, qui contingentia, & actiones liberas creaturarum intellectualium Decreto Dei eximunt, & ut futura præter considerationem decreti existiment; eo quod ex eorum sententiâ determinatio decreti necessitatem futuritionis rebus inferat, quæ naturam contingentia & libertatis arbitrii destruit. Hinc decretum conditionatum sibi formant, quo Deus statuit quædam futura, si res ponatur in certis circumstantiis, quas tamen sub incerta futuritione relictas vehementer urgent. Nos contra 1. nisi omnia futura

ex

ex Dei voluntate decernente derivemus, nihil exindè derivandum putamus: eam enim rerum omnium deprehendimus connexionem, ut si vel tantillum huic divinæ volitioni subducas, ea, quæ ab illo subducto pendent, atque cum eo nexum habent, pariter subducere necessariò debeas. A re autem minimâ sæpè maxîma dependent. Cum verò in nexu rerum ubique ferè interveniat contingentia, & in omnibus actionibus humanis voluntas hominum libera, incerta erunt omnia, nihilque decreto Dei definitum erit certò. Eritque etiam incerta omnis Dei præscientia.

2. Futuritio non decreta, id est, non à Deo determinata, erit à Deo independens, adeoque eam haberent, fient postmodum à se, aut ab aliâ causâ extra Deum, ita ut eam ne quidem præsciret omniscius. Si enim eam intelligit & prænovit in causis ut possibilem, non potuit non circa futuritionis istius admissionem vel non admissionem aliquid velle. Neque concipi potest non intelligere potentiam suam, quâ possit istam futuritionem in actu impedire ac avertere: ergo non posset non illam velle impedire aut permittere.

3. Adde futuritionem ex causâ secundâ suspensam, quæ posito occurfu ex legibus naturæ operatur, etiam habere causam secundam à Deo in omni motu & operatione dependentem, quam se gubernaturum decrevit: adeo, ut Deus, legibus naturæ non alligatus (quas ipse liberrimè constituit) juxta decretum suum aliquandò miracula faciat, efficiendo ut consuetum effectum causæ secundæ non habeant. Ergo nulla futuritio, quippe à causa dependens, à causâ primâ independens concipi potest.

§. II. Neque ex certâ illâ ac determinatâ omnium quæ fiunt *futuritione*, quam rebus quibusdam possibilibus adstituit decretum Dei, destruitur rerum quarundem *contingentia* & *arbitrii* humani ac angelici *libertas*, sed potius confirmatur. Cum voluerit Deus, ut unumquodque fieret convenienter naturæ subiecti. Decrevit itaque ut contingentia contingenter, ac libera liberè fierent. *Contingentia*, quæ intrinsecam necessitatem non habent, & dum fiunt occultum cum causis secundis nexus habent, illum nexum, nobis occultum, tamen à Deo habent, quem

non

no solum nihil effugit, sed qui imprævisum nobis rerum occursum ad tale effectum ipse determinavit. Cum itaque contingentia futura nobis talia sint, non tamen propterea incerta sunt Deo, juxta decretum suum omnem motum ad rerum occursum gubernanti. Neque decretum Dei libertatem humanam tollit, quoniam illa non consistit in indifferenti contingentia respectu Dei: sed in rationali complacentia, quæcum voluit, ut creatura rationalis agat, ubi aliquid eam acturam definivit, salvâ intrinsicâ mentis spontaneitate.

§. 12. Quicquid clamitent nonnulli, decretum illud Dei, omnem rerum futuritionem determinans, fatalem introducere necessitatem; atque ita ex decreto Dei fieri fatum Stoicum, manet tamen hoc decretum fato Stoico planè esse oppositum: Stoici enim seriem causarum, rerum concatenationem insolubilem includentem, ac à Deo ipso ut invertatur impossibilem, statuisse dicuntur. Ast nostra sententia potestatem, quam fatum Deo eripit, Deo restituit. *Necessitas fatalis* ex æternâ rerum naturâ sine Deo profluit. *Necessitas decreti* extrinseca est, & certitudinem solum futuritionis ex entis supremi liberâ sed immutabili voluntate derivat, eo quod summæ sapientiæ decretum corrigi & emendari non potest. *Necessitas fatalis* catenam rerum & connexionem brutam facit. Decretum verò Dei, quæ nullam per se connexionem habent, liberè nectit: leges naturæ pro beneplacito statuit: neque se ipsum legibus istis absolutè alligavit, quin statuerit aliquandò effecta producere leges istas superantia: Sed ipsi videant, qui aliquam rebus ex sese tribuunt futuritionem citra Dei decernentis arbitrium: ne mundi regimen aut fatò Stoicorum, aut casui Epicureorum subjiciant.

§. 13. Inquiritur tandem, quid statuendum sit de decreto Dei circa *possibilia*, quæ non futura sint? & per ordinem constitutum à futuritione sunt exclusa? Aliis existimantibus voluntate negativâ esse non futura, quia de iis nihil definitum est, adè ut adhuc sit in potestate Dei, si vellet Deus, ea possibilia etiam nunc transferre in statum futuritionis, seu potius ajunt ea relicta esse in statu indifferentiæ ad futuritionem. Ast ista *potentia Dei ad decretam suam extendendum*, ut cætera possibilia relinquuntur in statu indifferentiæ,

rentiæ, considerata, ut distincta ab actuali decreto, ab æterno rato, à nobis non videtur admittenda; quia inferret compositionem in Deum ex actu & potentia, atque cogitationum successionem. Verum cum possibilia extra ideam Dei ab ipsius intellectu formatam nihil sint: sensus quæstionis tantum esse potest, an quæ esse ideatum habent in intellectu Dei cum existentia possibili, & non sunt determinata ad futuritionem, per decretum Dei non sint positivâ ejus voluntate ab ordine particulari hujus universi exclusâ: quod ego negandum esse non puto. Cum enim exclusâ sint, ut illis in ordine definito non sit locus (idquæ per arbitrium Dei, illis locum negans) intercessit positiva Dei voluntas, futuritionem reliquis in esse ideato perspectis negans.

## CAP. II.

*De Creatione Dei.*

§. 1. **N**UNC Dei opera porro uti externa sunt, spectemus; quia enim per decretum Dei res solum in mente Dei acceperunt ideam essentia & futuritionem, nihilque earum prodierit in publicum; futura ista debebant juxta illud mentis divinae propositum aliquando revocari in actum: undè opera propositum istud executioni demandantiâ vocantur opera Dei externa: quorum primum est *creatio*.

§. 2. Hæc vero *creatio actionem Dei dicit transeuntem*, quâ summus ille rerum artifex omnes extra eum res (cum cogitantes, tum extensas) ita produxit juxta decretum voluntatis suæ, ut ad futuritionem determinatæ transierint à non esse ad esse: quare causa prima hic concipitur rebus anteconceptis suum dedisse existendi principium.

§. 3. Hanc rerum particularium in hoc universo productionem vocamus *actionem Dei transeuntem* contra pseudophilosophemata Ben. de Spinozæ, qui eam quidem verbis agnoscit, re ipsâ tamen tollit & abnegat, dum ex eâ facit *actionem Deo immanentem*: nihilque agnoscit præter unius ejusdemque substantiæ æternæ modificationem, quâ res singulares à se mutuo, sed modaliter tantum

tum differunt. Hinc universum hoc Deum faciens, cui attributa infinitæ cogitationis & infinitæ extensionis cum infinitis aliis incognitis attribuit: omnes res particulares concipit, ut in Deo tanquam partes in suo toto esse considerandas. Verum, cum istius erroris hypothesein, *quæ est, tantum unicum dari substantiam, quam Deum vocat*, jam ante prostratam dederimus: satis evidenter demonstrantes substantiam extensam ad Dei naturam minime pertinere; & mentes, diversis cogitationibus imbutas, ac multis modis limitatas, ab ente infinitæ cogitationis maximopere distare: nunc inter res extensas & cogitantes nos invenire innumeras (immensum hoc universum constituentes, ut partes totum, quæ neutiquam ad Dei naturam spectant) tutò statuimus; Deliquè actiones (quæ porrigunt ad res, tanquam extra Deum constitutas) ergò non esse immanentes, sed transeuntes concludimus.

§. 4. Quæstio itaque nunc discutienda restat, num res istæ particulares ita acceperint existendi principium per causæ primæ productionem, ut ex nihilo tractæ sint ad primam existentiam? quod probamus nos. 1. Ex eo, quod res, *quarum essentia* non includit *existentiam necessariam*, sed *dicit solummodo existentiam possibilem*, si adsint, necessario debuerint ex statu possibilitatis transisse ad actualem existentiam; ac existendi principium accepisse à causâ primâ, cujus essentia sola necessariam existentiam involvit.

2. Cumque *res finita* seu limitatæ perfectionis non sint sibi ad existendum aut permanendum sufficientes, ipso actu à causâ superiore dependent: quare etiam necessario causâ suâ, à quâ dependent, sunt posteriores, ac proinde productæ, quæ sanè, ut existendi principium aliquando acceperint, necesse est.

3. *Fluxa rerum* omnium præter Deum *natura*, idem existendi principium postulat: investiantur enim in corporibus motus & in spiritibus cogitationum alternatio, quæ successione in conceptu suo includunt, ac æternitatem excludunt, cujus natura postulat esse simultaneum; omnis vicissitudinis expert.

§. 5. Verum ut singulatim res finita attingamus, primo loco res intellectuales expendamus; Nemo nostrum, qui sunt ex cogitantium classe, est, qui non per intimam conscientiam cogi-

tationum suarum teneat, nos ut res cogitantes existere quidem, sed & nuperæ originis esse, & proinde aliquando non fuisse. Neque nosmet ipsos produxisse, nec ex aliqua præexistente materiâ conditos esse, quia natura nostra intellectualis seu spiritualis est, omnis extensionis seu materiæ experta. Ergo spirituum productio vera creatio est, quæ immediata dicitur, seu planè traductio à non esse ad esse. Hæc mentis causatio jam in primâ scientiâ adeo fuit evidens, ut ex eâ primum argumentum desumpserimus, quo existentia Dei comprobata fuit.

§. 6. Si dein *ad substantias extensas* pergere placeat. 1. Notissimum est impervestigabilem earum varietatem à *motu* pendere, qui rebus materialibus in semet divisibilibus, eo quod partes habent extra partes, multimodam istam modificationem infert. Cumque motus sit inconstans & aliquid successivum, etiam *principium* acceperit seu *initium*, adeoque ab æternitate excludatur, oportet.

2. Præterea notandum, quod substantia corporea *ante motum* (ut ejus modum, considerata) nil dicat præter extensum in longum, latum, & profundum, seu molem inertem, sequitur ergo, quod *motus ab ipsâ produci non potuerit*, adeoque *motus* in substantiam corpoream *introductio causam* postulat à substantiâ corporeâ diversâ, quippe quæ se hic merè passivè habet. Imò ista *motus introductio* (si rem physicè, ut oportet, consideremus) *potentiam finitam longè excedit*, cum partes universi hujus extensi quiescentes à se invicem primum remove, sit infiniti roboris: adeoque *primum motorem* agnoscere oportet, cujus potentia sit infinita, & qui ipse sit infinitus. Nec est, quod quis excipiat mentem nostram finitam movere nutu suo organum hoc nostrum corporeum, cum potius ad ejus voluntatem sequatur motus vi ordinis divini, quam ut ipsa motus istius causa efficiens dicenda sit; cum ipsa ignoret quomodo iste motus fiat: qui enim nescit quomodo aliquid fiat, istius facti author dicendus non est: præprimis cum mens actionum suarum, quid & quomodo aliquid faciat, sibi sit conscia: cumque hæc modi productionis, quo motus ille fit, planè nescia sit; sibi etiam conscia est, illam ab aliâ causa pendere, à quâ etiam omnis ordo naturæ pendet.

3. Qui *motum* ita in suâ habuit potestate, ut suo ex imperio *suspensa fuerit omnis ejus determinatio*, quâ omnia mundi justis in locis & admirandâ proportionem producta sunt in initio: ille procul dubio *est auctor motus*: ast ille est *sapientissimus mundi artifex & conditor*, quem mero voluntatis imperio agere, quicquid agit, a libi ostendimus.

§. 7. Neque etiam *substantia corporea*, quæ est materia iners, merè passiva, censi debet *æterna*, & ab æterno sine existendi principio Deo coexistens: quasi à Deo ut causâ primâ nunquam producta fuerit. Quicquid hic velint in contrarium Philosophi multi Gentilium, quibus ante creationis principium præexistit *chaos*, seu rudis indigestaque moles: materiæ primæ creationem impugnant, ut primæ notionis axiomati adversam, quod dicitur *ex nihilo nihil fieri*. Nihilominus illos à ratione sub specie rationis deviasse satis evidenter demonstrari potest. Fateor, *Aristotelem* propter istud axioma fluctuasse, qui non satis attendit quo usque illud applicari debeat. Agnoscimus enim nihili nullas esse actiones, atque adeò à nihilo nihil produci; undè ipsi urgemus necesse esse, ut productio materiæ primæ causam habeat, quare Deum omnipotentem istius materiæ creatorem statuimus. Si sensus axiomatis sit, *nihil* etiam causam materialem, ex quâ materia prima oritur, esse non posse; quia nihil *nihil* confert, etiam hoc lubentes agnoscimus: ast fieri non posse per divinam omnipotentiam, ut quæ non præexistit materia, existendi initium accipiat, id nondum demonstratum est; & si illud axioma quid veri continet, tantum restrictionem potentia finitæ causarum secundarum dicit.

§. 8. Cæterum etiam *materiam primam non fuisse Deo cœternam* (id est sine existendi principio concipio non posse) ratio nobis satis evidenter dicitur. 1. Quia quod existendi principium non habet, ejus esse est necessariæ existentia, & ejus natura *vi sue sufficientiæ* subsistit; ast tale quid in materiâ primâ ante motus introductionem minimè omnium concipi potest, quippe quæ omniactivitate destituta nihil potentia habet, nisi passivæ.

2. Cumque omne æternum sit constans, incorruptibile & immutabile, æternitas ad materiam nihil pertinet, quæ divisibilis, mobilis, mutabilis, & corruptibilis est.



3. Quicquid est necessariæ existentiae, seu à se, nullam causam productionis agnoscens; id ita *independens* est, ut nullo jure alterius potestati subjici possit: & sic Deus materiam æternam potentiae suæ subjiciens invaderet potiùs; & quidem ex postliminio quippe independenter ab omni causâ existentem, sibi que sufficientem ut rem insufficientem ex quiete suâ turbans, quandò motum illi introduxit.

4. Imò sibi sufficiens esse ad existendum, & non ad modificandum, seu movendum, etiam contradictionem implicat manifestam: adeoque materiae primæ non convenit æternitas, quæ sine existendi initio & causa est.

§. 9. Quod autem *Epicurus* de Mundi origine tradidit; statuens æternum atomorum motum, atque *mundum ex fortuito atomorum confluxu natum esse*; id ipsa absurditate absurdius est, Deumque ab omni mundi curâ & regimine excludit. 1. *Atomos* enim in motu æterno fingens, *rem successivam facit æternam*, cujus existentia cum simultanea sit, omnem successionem excludit. 2. Nec fortuito casu mundum fuisse ortum, partium ejus concentus evincit; quod enim per accidens est, casu fit & temerè, neque ad formam concinnam & artificiosam accedit, nisi per artificem potentem & sapientem; quare danda est causa mundi, cujus fabrica sit longè optima ac stupenda, cuique omnia ad fines suos conspirant, qui sit faber sapientissimus; si quis enim hæc casu ita respondere sibi invicem dicat, idem est ac si literas hujus scripti ita confluisse ad doctrinam, quam tradimus, exponendam asserat. 3. Neque atomi, ut moleculæ similes unquam concipi poterunt per confluum accidentalem coire potuisse ad tam innumeram rerum diversitatem constituendam semel; multò minus ad tam constantem rerum conformationem & coherentiam, quæ nunc est. 4. Quis quæso ex accidentali atomorum confluxu derivet *principia seminalia vegetabilium omnium, & viventium, ac præprietis hominum, in hoc globo terrestri occurrentium?* qui fieri potuit, ut posito jam globo terraqueo, ex atomis nato, exinde hominis corpus organicum, ita mechanicè constructum, oriatur, ut omnia incedant mole, figurâ, & formâ instructa, prout usus partium requirit? & cùm non etiam hujusmodi similia corpora ex humo ex-

cres-

crescunt? 5. Cum *mens distincta sit à corpore*, quo casu junguntur? quo modo cooperantur? an atomi corporei cogitant? aut rem cogitantem in corpore organico sive mentem constituunt, cum ipsi sint omnis cogitationis expertes? 6. Omitto jam, quod omnia falsis nitantur hypothesibus de vacuo indefinitè extenso, de atomis seu corpusculis in se indivisibilibus; & tamen hamosis & ramosis; de atomis ut materiâ primâ conceptum motus in conceptu suo includentibus: quæ à physicis redarguuntur.

§. 10. Ast erunt etiam, qui *mundo aternitatem tribuant à Deo dependentem*, sed ita ut effectum ab æterno cum suâ causâ coexistenterit: quod iis videbitur necessarium, qui *æternum decretum* involvere *æternam voluntatis Dei efficaciam* expedientes, etiam inferre æternam efficientiam existimant: quasi quia voluntas Dei nunquam non efficax est, res volitæ semper voluntati Dei coexistenterint. Cùm contrâ Deus ab æterno unico & simplicissimo actu constituerit, atque ita voluerit, ut res ad futuritionem decretæ non essent ab æterno & omnes simul; sed in tempore & successive: adeoque voluntas Dei in eo suam exercet efficaciam, quod res non prodeant nisi in suâ serie & ordine, suis temporibus: quare si ab æterno prodiissent, non advenissent secundum divinæ voluntatis constitutionem: atque hæc est divinæ voluntatis efficacia, ut res per decretum futuræ, prodeant eo tempore & loco, quo prodire voluit ipse rerum & concacensationis earumdem unus & liberrimus arbiter.

§. 11. Sunt tamen, qui assumentes Deum creaturam potuisse producere ab æterno, in eo involvi, quod *creatura ab æterno existere potuerit*, affirmant. Hunc nodum ut solvamus, dicendum æternam Dei potentiam quidem efficere, ut quicquid in ideâ suâ contradictionem non involvat, in eâdem includat *possibilem existentiam*, atque adeo causam habeat in Deo ab æterno sufficientem, ut in tempore producat, quando illi ut prodeat visum sit. Ast contradictio est, ut quod *existendi principium* à potentia Dei accipere debet, illud sine initio *existentiæ* producat: & quod transit à non esse ad esse, id ante *existentiam* non fuerit non ens. Præprimis quando de naturâ rei est *existentiam* accipere successivam, quæ *simultanæ aternitatis non est capax*: cujus

ius proindè duratio per momenta numerabilis est in se, & in numero tenetur ab infinito creatoris intellectu.

§. 12. Hæc rerum productio tantæ est potentia, ut præter Deum unam solum causas non agnoscat: & vis ista creatrix creaturæ sit incommunicabilis. 1. Quia est ejus, *cujus potentia non differt à voluntate sua*, quæ efficacia nulli creatæ voluntati competere potest, ut enim res sint per & propter alicujus voluntatem, quæ imperium exercet in non entia; opus est tantæ profunditatis, ut ne quidem creatura ulla rationalis modum, quo id fiat, percipere possit: quod autem quis nescit quomodo fiat, & nequidem scire potest propter limitatam suam naturam, id nec fecit, nec unquam facere poterit. 2. Neque hic, ubi transitus fit à non esse ad esse, aut à materiâ inhabili ad corpus quodcunque formatum, ulla proportio est inter terminos à quo, & ad quem; ergò finitam potentiam quoque longè excedit. 3. Neque Deus in sollicitatem operis adsciscit, quorum operâ haud eget, quique illi nullum laboris levamen aut auxilium afferre possunt: quoniam ipse solo voluntatis nutu producit, quorum ideam uno intellectus actu comprehendit, atque ipse formavit: ut sine labore, morâ, atque ullâ virium delassatione faciat, quæ fiunt. 4. Qui ne sibi quidem sufficiunt, quomodo sufficient aliarum rerum productioni? in quarum essentias nullum cum habeant ipsi imperium; quid imperii & potestatis habere possunt in existentia earundem initium, seu principium, quas ne quidem ut causas instrumentales attingere possunt: quoniam in iis nulla aptitudo est in ordine ad subjectum, quod hactenus aut nullum est, aut ad productionem rei nullo modo aptum.

### CAP. III.

#### *De Providentiâ Dei.*

§. 1. SEQUITUR tandem ex ordine alterum Dei opus transiens, quod vocamus *Providentiâ Dei*: quâ denominatione usus est etiam Cicero lib. 2. *de naturâ Deorum*, ubi in hunc modum loquitur: *Dico igitur, PROVIDENTIA Deorum mundum & omnes mundi partes & initio constitutas esse, & omni tempore administrari.*

§. 2. Est

§. 2. Est autem *providentia Dei* nobis actio illa Dei transiens, quâ res productas in suo esse conservat, & in suo operari gubernat, convenienter decreto suo; ut finem suum assequatur. Respicit igitur rerum per creationem factarum cum perseverantiam, tum operationes, à Deo quoque post acceptam originem dependentes.

§. 3. *Conservatio* ista concipitur ut perpetua rei creatæ reprodu-ctio, cui unaquæque suam debet post primum existendi momen-tum perpetuationem usque ad terminum à Deo constitutum. Hunc Theologiæ naturalis articulum adstruimus. 1. Ex universali om-nium rerum à causâ primâ dependentiâ: nulla enim ratio est, quo minus, quæ in fieri à Deo dependent, ab ipso etiam non pende-rent in suo esse continuato, seu in perseverantiâ suâ: quippe in suo conceptu nullam existentiam necessariam, sed solùm possibi-lem includentia: non enim, quia jam sunt, sequitur in crasti-num futura: cumque præterfluant sine nexu cohærentiæ tempo-ralis, Deo perpetuò reproducenti debent, ejusque efficaci volun-tati, quòd ultra præsens permaneant. 2. Sanè *se ipsam creatura conservare non potest*: quisquis enim est, si eam in se vim experi-teretur, non pateretur, ut suæ durationi imponeretur finis, ne-que non majores sibi daret perfectiones, si quid in suâ potestate foret constitutum: ast jam creaturarum optimæ, rationales in-quam, sibi intimè sunt consciæ, quod frustraneis laborent desi-deriis: & inferiores extensæ se habent tantùm merè passivè. E-videns itaque est, quæ in esse primo à causâ primâ dependent, etiam in esse secundo seu perpetuando ab eâdem dependere. 3. Si *Deus omnia*, quæ creavit, etiam rursus per potentiam absolu-tam *annihilare potest*: sequitur, quod Deus, quæ manent, etiam positivâ voluntate conservata velit, ut vi istius voluntatis solùm maneant. Quoniam autem positiva Dei voluntas nunquam aliter quam efficax concipi potest, ut sit omnis futuritionis ratio; con-servatio omnium etiam merè suspensa est ab efficaciâ istius volun-tatis divinæ, quæ tendit in rerum permanentiam, quoad earum esse continuandum. Adde *annihilationem* aut *destructionem creatu-ræ* non fieri per actionem positivam, sed per actionis positivæ privationem; quoniam omnis actio positiva ad terminum tendit

M

po-

positivum; ut formaliter ad τὸ non esse terminari nequeat. Cum igitur privatio sequatur aliquid positivum antecedens, ante annihilationem rerum, positiva Dei conservatio, eas perpetuas admittere debet.

§ 4. Nec valet objectio, à *Dei omnipotentia* desumpta, quæ possibile fuisse Deo ajunt *creaturam producere independentem. Et istiusmodi constantia, ut suâ naturâ in esse perseverare possit.* Hanc enim perseverantiæ naturalis intimam constantiam non nisi à Deo accepisset (id est vi voluntatis Dei eam vim possideret) quia nihil habet creatura, quod non jussu voluntatis Dei acceperit. Quod igitur quis à Deo accepit, id non habet independentem à voluntate Dei: ut contradictio sit, constantiam possidere independentem, quam vi divinæ voluntatis acceperis, cum omnis ejus vis in divinâ voluntate primum suum habeat fundamentum. Nec fieri potest, ut vim à Deo acceptam, quantumvis magnam, invito Deo omnipotente, retineat: ita enim Deus suæ omnipotentia constituisset terminos, adeo ut non remansisset amplius omnipotens: quod est absurdum: quod igitur potest conferre, potest auferre: undè sequitur collatum beneficium Dei neminem unquam possidere posse independentem, propter contradictionem, quæ est in terminis.

§ 5. Altera providentiæ Dei actuositas est, quæ se tendit ad rerum creaturarum actiones; atque *gubernatio* dicitur; quæ est actio Dei transiens, quæ *efficax Dei voluntas omnes creaturarum actiones ita moderatur, ut eas ad agendum ipse applicet Et ad finem, quem intendit ipse, dirigat.*

§ 6. Hanc *Dei gubernationem* agnoscendam esse 1. Dei omni-moda à creaturis independentia postulat; dependeret enim Creator à creaturâ suâ, si mil quicquam ad gloriam suam dirigere posset, aut sese ad actionem eo pertinentem accingere non valeret, nisi postquam creatura jam se independentem ad actionem determinasset: oportet enim, ut causam primam independentem agentem non antevertant actiones creaturarum, nec Dei actiones moderentur, sed Deum cum omni subjectione ac dependentiâ sequantur, ut fiat causæ secundæ, quæ primæ subordinantur. 2. Neque, si actiones creaturarum essent futuræ independentes, Deus foret omniscius

scijs per præscientiam futurorum; cum futuræ istæ actiones plures (contingentes nempe & liberæ) nullam habeant in se futuritionis certitudinem, atque certam scientiam excluderent, si à dependentiâ divinâ excludantur. 3. Imò si Deus per actionem creaturarum determinaretur ad actionem suam, quotiescunquè aliquid vellet dirigere ad intentum suum in mundo, fieret sanè causâ secunda, quod est absurdum.

§. 7. Actiones, gubernationi divinæ subjectæ, pro duplici substantiarum genere, duplices sunt; substantiæ extensæ sunt *motus* corporei, substantiæ intellectuales sunt *cogitationes*. 1. *Motus* à substantiâ extensâ uti sunt distincti, ita extrinsecus solum ei introducuntur, cum res extensæ ad eos naturâ sint & indifferentes & inertes: itaque cum Deus sit *primus motor*, etiam omnis motus est conservator, & director. Præprimis si in tantâ motuum varietate elegantissimam mundi harmoniam & constantiam ita conservari videas, ne casus omnia susque deque inter sese permisceat atque confundat. 2. *Cogitationes* rerum etiam intellectualium à Deo terminari, & Dei imperio superiori subesse non dubitandum est: qui enim eas creavit & conservat, non potest eas ignorare, ut earum actiones non curet. Neque tantis præ cæteris instruere perfectionibus, ut in mundo Domini, non essent sub domino superiore constituti. *Intellectus* pendet ab ideis, quas ipse Deus objicit; & *voluntas* ita reproducitur singulis momentis à Deo, ut actiones ejus eopse sint omni momento sub Deo.

§. 8. *Minima* æquè ac *maxima* huic imperio divino subsunt: quia minima non possunt plus habere independentiæ quam maxima; quin statim maximis prævalerent intrinsicâ ad existendum & perseverandum sufficientiâ. Nec, qui sprevit ea creare, censeri potest infra dignitatem suam agere opus suum curando. Omitto jam, quod sapientissimus etiam in minimis quoad externam speciem exhibuerit ut plurimum maximum sapientiæ suæ specimen, si mechanicam rerum structuram per anatomem & microscopia introspicias: ut minima animalcula omnia in se contineant nutritionis, locomotivæ, & sensuum organa, quæ maxima.

§. 9. Nec audiendi sunt, qui cum Epicuro curam istam Dei  
M 2  
ajunt,

ajunt, enti beato & immortalis nimium creare negotium, atque non posse non turbare ejus felicitatem. Non perpendentes ab istâ curâ non occupari Deum infinitum, sine molestiâ omnia & singula intelligentem, & sine labore, quæ vult, præcipientem. Non mirum ita sentire *Epicurum*, qui Deo formam tribuit humanæ non abfimilem; eumque facultate humanâ metiebatur: aut qui Deum ita in cælo detinet, ut hisce inferioribus non nisi per ministros adfit. Verùm Optimum Maximum qui didicit omnipræsentem, omnisciam, & omnipotentem rerum causam esse; faciliè perspicit, eundem agere sine virium delassatione, aut animi perturbatione, ac proindè sine felicitatis detrimento.

§. 10. Nequè obijci potest hominem frustra agere, si gubernatio divina res ita determinet, ut necessariò fiant, quæ decrevit Deus. Id enim minimè sequitur; Deus enim qui finem vult etiam media voluit ad finem: & quem ad finem determinavit, etiam determinavit ad media, quæ per providentiam suam suppeditat. Is itaque ipse licet mediis non sit alligatus, quando ordinem naturæ transcendere vult, creaturis tamen nexum naturæ proposuit, ut ab ipso constitutum, & in naturalibus confirmandum. Ita qui cibum non fuit, inediâ moritur: & qui vulnus non curat, cum sanguinis effluvio animam exhalat.

§. 11. Quibusdam visum fuit *doctrinam de Dei providentiâ universali tollere rerum contingentias*, nisi eas divinæ determinationi eximamus, atque ita ab hac subjectione excipiamus. Verùm cum contingentia dicantur, quæ respectu nostri casu fiunt, dum nexum causarum non ubique assequimur; non tamen propterea contingenter fieri respectu Dei, qui omnia disposuit, dicenda sunt. Imò actio contingens eo ipso, quod imperfectior est cæteris, etiam præ cæteris prudenti Dei moderamine eget: ac in contingentium causarum connexionem maximè gubernationem suam comprobatur Deus, qui sæpissimè oportunitatem & improvisum hominibus confert auxilium, vitamque periclitantem huic prorogat, illi per inopinatum supplicium aufert: ac proindè prudenter multa futura ab humana sagacitate & perspicaciâ occultat.

§. 12. Ast saltem *actiones liberas* non esse Deo determinatè gubernanti subjiciendas volunt, qui *libertatem humanam* per talem  
Dei

Dei determinationem, eamque consequentem futuritionis rerum necessitatem, plane tolli ingeminant. Verùm istis hominibus reponimus, eam esse impervestigabilem Dei perfectionem, ut creaturarum libertatem (quam ipse creavit & conservat) sine ullâ læsione gubernet. Cumque arcana Dei determinatio non sit coactiva, sed rationi omni modo conveniens, potius dicendum est, quod quo magis voluntatem alicujus determinet ad aliquid volendum, eo ille liberior velit. *Nec ad libertatem præcise requiritur indifferentia mentis ad eligendum*; sed sufficit, si eligat quicquam cum complacentiâ rationali: ut quò plures ea habet eligendi rationes & causas, eam ad electionem determinantes, eò magis dicatur liberè & sponte suâ velle; cum ipsum velle sit cum determinatione judicii ultimi (quod practicum vocant) tendere in objectum, & nolle se ab eo avertere: nòsque ita conditi simus, ut bonum quâ bonum nemo respuat, malum autem quâ malum nemo expetat: quas leges in suâ gubernatione exactè conservat Deus.

§. 13. Si cuiquam tamen res videatur abstrusior, quam ut percipi facilè queat: id non adeò mirum videri debet; quia operatio entis infiniti etiam concipi debet fieri modo infinito, quem intellectus finitus secundum *διότι* assequi non potest, non magis ac traductionem rei à non esse ad esse. Quare regula Philosophi æquissima est, statuens *extrema, quorum utrinque veritas est manifesta, non esse neganda quoad ὄτι, etiamsi τὸ διότι nos exponere haud possimus*: oportet enim nos esse memores, nos intellectu finito versari circa infinitum, qui multa à nobis occultavit, sibi que soli omniscientiæ prærogativam asservasse agnoscendus est.

§. 14. *Haud consentaneum* Deum virtutibus censent alii, si Deus mundum curaret, ut peccatum esset in mundo, cum illud per ejus voluntatem non esset, si res humanas attenderet: cumque absurdum sit dicere *Deum voluisse peccatum*; absurdum quoque esse ajunt, si quis putet mundum gubernari per providentiam Dei. Verùm illam sequelam minimè procedere asserimus, quia relinquenda est Deo potestas creaturam rationalem explorandi in officio, & eam non impediendi in libertatis suæ abusu: sufficit, quod illa permittendi, ut peccata fiant, voluntas, non sit concessio veniæ ut homo peccet, nec licentia faciendi impunè quod quis contra leges



ejus perpetrat. Adeoque Dei *gubernatio permissiva* sancta manet, & per accidens ansam ipsi præbet suam ostendendi justitiam & sanctitatem, idque per judicium suppliciorum juste homini transgressori inferendorum: præprimis, quoniam novit ex malis illis moralibus elicere quod bonum est, atque ea dirigere in bonum finem.

Nec propterea auctor peccati est; quia solum *permittere* peccatum dicendus est; *non facere*: ut crimen sit committentis, & legem Dei violantis, quâ testatum dedit peccatum sibi displicere, seu illud a se graviter reprobari. Imo mali causâ efficiens nulla quærenda est, sed potius deficiens: quæ non est Deus, à quo nil nisi bonum esse potest, sed ipsa creatura bonitate suâ excidens; idque *sub culpâ* per abusum libertatis, quando privativè ab ejus opere aliquid abest, quod juxta legem Dei adesse debebat; omittere id, quod actionem inculpatam faceret.

Nec valet argumentatio, quod *unum contrarium* (*præsertim si sit infinitum*) *neccessario alterum totaliter destruat*, atque adeo, cum Deus sit infinitæ bonitatis ac perfectionis, fieri non posse, ut ulla in mundo sit sub ejus permissione malitia. Oppositum enim non excluditur ab altero opposito formaliter, nisi è subjecto, in quo alterum eorum jam existit: atque ita Deus per infinitam suam bonitatem & perfectionem omnem à se excludit malitiam: at propterea non tenetur omne, quod ipsi oppositum est, excludere è mundo: præsertim si permissio ista pro fine habeat majorem virtutum Dei comprobationem & glorificationem: qui, cum infinitus sit potentiâ, ab ullo opposito nil metuendum habet, sed potius ansam accipit demonstrandi in suppliciis justitiam, in avertendis pejoribus sequelis sapientiam, inque eliciendo ex malis bono fidem suam, ergà studiosos sui, quos per malos explorat, adversus illos tuetur, & sæpè in bonorum exaltationem, quæ alii contra eos moliebantur, convertit. Imò cum opposita juxta se posita magis elucecant: haud alienum est, ut bonitatis suæ illustrationem amans, non velit ista excludere, sed ut fiant permittere, at ne lædant ultra terminum refrænare, & oportunè ab iis triumphum referre.

§. 15. Tandem objicitur, quod, si Deus mundum gubernaret, fieri non posset, *ut mala bonis, & bona malis evenirent*, uti nunc in

in orbe pluries fieri nemo non observat. Sed notandum niti-  
 lùm hanc objectionem *ignorantiã diversimodi status, quem Deus*  
*homini præstituit*, sc. *explorationis*, qui est hujus vitæ; dum in  
 stadio decurrentibus athleticis similes sumus, qui propter coronam  
 decurrunt aut decertant. Et *remuneracionis*, qui est alterius se-  
 culi. Cumque liberrimo rerum Domino jus competat ante re-  
 muneracionem *explorare*, quos præmio ornare vult: *retributio jus-  
 titiæ divinæ* concipienda est, ut dilata in aliud seculum, quo  
 tarditatem supplicii gravitate compensabit æquus rerum arbiter.  
 Neque de viis Dei temerè ex uno actu statuendum est, cum sæ-  
 pè mali *tollantur in altum, ut lapsu graviore ruant*: & boni per angusta  
 deducantur ad augusta. Quicquid sit, hoc saltem notandum *mala  
 bonis* nunquam *verè mala* esse, sed materiam luctæ afferre ad felicem  
 explorationis exitum, ac legitimè decertantibus terminari in bo-  
 num. *Bona vero malis* oblata propter malorum ingenium, iis  
 abutens, facere ad mali ingenii detectionem, quo justificetur  
 eorum instans condemnatio, ut maneat virtuti præmium, &  
 sceleri supplicium; & utrumque conferatur potissimum sub stadii  
 finem, quando exitus acta probat. Hinc Croesus responsum Phi-  
 losophi retulit, *ante obitum neminem beatum dici posse*. Adde, quod  
 conscientia bona bonis, mala malis, illos absolvendo, hos rodendo,  
 locum primæ retributionis in hac vitâ obtineat. Hinc Juve-  
 nalis Satyra XIII.

*cur tamen hos tu*

*Evasisse putas, quos diri conscia facti*

*Mens habet attonitos, & surdo verberare cædit*

*Occultum quatiente animo tortore flagellum?*

*Pæna autem vehemens, ac multo sevirior illis,*

*Quas aut Cæditius gravis invenit, aut Rhodamantus,*

*Nocte dieque suum gestare in pectore testem.*

§. 16. Tandem notari velim *ab hujus dogmatis veritate pendere  
 omnem religionem*; idem enim est Deum negare, ac cum otiosum  
 fingere, quasi res humanas nihil curans omnia casui & fortunæ re-  
 linquat: ita enim homini nulla erit lex; neque virtuti præmi-  
 um sperandum, nec scelesti supplicium metuendum erit: ut om-  
 nia liceant, modo iudex politicus extra causæ cognitionem ex-  
 cludi

excludi possit Imò cum *dependentia* rerum intellectualium unà cum corporum conjunctione omnis *obligationis* nostræ sit *fundamentum*, vinculum omne sociale tollunt, qui providentiam Dei abnegant, & unicam vel sui vel societatis conservationem sibi assumunt in morum regulam; Dei in creaturas suas jus & imperium nullo modo considerantes.

## LIBER SECUNDUS.

DE

## DEO OBSERVANDO.

CAP. I.

*De Homine relate ad Deum considerato.*

§. 1.



RELIGIONEM naturalem strictiùs consideraturi, eam in primis suis principiis in antecessum perpendamus: ubi mutua Deum inter & hominem relatio, tanquam omnis observantiæ erga Deum fundamentum, evolvenda est. Quare ex *anthropologia* repe-

timus *hominem esse mentem corpori organico unitam*, atque adeò ex mente & corpore compositum: ita tamen ut menti competat in omnes suas actiones, ut & plurimas corporeas imperium, de quibus statuit pro arbitrio: agens enim *liberum* est, suæ libertatis & actionum suarum sibi intimè conscium, adeò ut rectum istius libertatis usum aut abusum per ejusdem conscientiaè justificationes aut exprobrationes manifestò in sese observet.

§. 2. Doctrina verò de cognoscendo Deo nos hactenus edocuit quemcunque hominem in fieri, esse, & agere eum in modum à summo numine dependere, ut illi originem & permanentiam suam, unà cum omnibus mentis corporisque facultatibus, quas cum conscientia possidet, in solidum debeat, tanquam universi

crea-

## DE HOMINE RELATE AD DEUM CONSIDERATO. 97

Creatori & Rectori. Ex quibus spontè profluit, *hominem* ita instructum uti est, *non esse sui juris*, sed *Dei creatoris* atque universi rectoris *πρωτα*, cui in ipsum plenarium competit & absolutum imperandi arbitrium. Quare sicubi homini pro potestate suâ juxta *legem agendi* officium præscribere velit supremus ille rerum arbiter: homo illi cum obligatione promptæ obedientiæ se submittere tenetur: quippe cui res est non solum cum ente supremo, adversus quod nihil valet: sed cum animæ parente, omniumque facultatum & perfectionum largitore liberrimo, in cujus potestate est à naturâ, eâque benignâ & potenti. Sanè *Dominus* noster est, qui nos eo modo habet sub se; ac *Legislator*, cui in omnes nostras facultates tantum juris competit; imò & *summum bonum*, ex cujus beneplacito suspensa est ultima nostra felicitas, quippe penes quem absoluta est sufficientia, perfectiones nostras benignè concessas, adjectione novarum si placeat augendi: & contra, eisdem detractioe quarundam imminuendi: id est, conditionem hanc nostram suo tempore meliorem atque ita beatam; aut pejorem & sic infelicem faciendi.

§. 3. Neque potentissimus ille rerum productor, supremum, quod illi naturâ competit, dominium potestatemque supremam plenario deponere, aut in alias creaturas transferre potest, ut nullum sibi in res creatas reservaret arbitrium; hæc enim si fierent, Deus mundi creator se suâ supremitate & dominio exueret, independentiam suam, & arbitrium suum, arbitrio Domini substituti submittendo, abnegaret: res ad gloriam suam compositas ac præsertim humanum genus (nihil circa hoc universum volendo) negligeret, cum tamen omnia in suo perseverare & agere à divinâ, id est, solâ omnipotenti Dei voluntate suspensa sint. Cum igitur creatura rationalis Deo conservatori & gubernatori non possit non subesse secundum naturam, quam accepit à Deo creatore, non potest non ei etiam subesse tanquam agens liberum, qualis conditus est à Deo; dum conscientia, quâ pollet, quamque etiam Deo creatori debet, illi vivus testis est, num in actionibus suis insitâ libertate rectè usus sit? an secus? Quare conscientia hominis, vicem Dei agens non solum testimonio, sed & iudicio, bene facta approbante, malè gesta verò arguente, notissimum in-

N

dicium

98 DE HOMINE RELATE AD DEUM CONSIDERATO.

dicium est, Deum voluisse humanum genus retinere sub dependentiâ morali, seu quod idem est sub obligatione officii, lege quâdam conscientiæ præscripti, & juxta normam legis dijudicandi.

§. 4. Accedit perpetua regiminis Dei experientia: homo enim cum nascitur, se inconsulto protrahitur in publicum, seque invito ut plurimum moritur, ita ut se ad solius Dei nutum in hanc mundi scenam introduci & exindè rursus dimitti sentiat. Non potest autem, qui ex Dei arbitrio venit reitque, considerari, tanquam sui juris, ut non sit supremi domini peculium, & servus; quo titulo ad colendum mundi imperatorem dignissimum & potentissimum obligatus est.

§. 5. Adde quod sapientissimi conditoris sufficientia, qua ad esse beatum nihil extra se eget, nullum alium operandi finem in amplissimo hoc opere suo, quale est hoc universum, admittat præter *gloriæ suæ manifestationem*; quâ artifex in suo opificio spectabiles suas virtutes admirandamque potentiam contemplandas objicit. Quibuscum si conferamus nullam præter solum hominem occurrere creaturam, contemplandi facultate instructam, necesse est, ut Deum dicamus finem operis sui noluisse per alias res assequi, quàm per hominem, quem solum fecit contemplando in rebus corporeis gloriam suam aptum spectatorem. Hic enim, & quidem solus est, qui intercedente corpore organico mundum hunc corporeum sensibus externis attingit, atque mente, quæ repræsentata percipiens, in iis profundam artificis sapientiam, immensam conditoris potentiam, & inexhaustam benefactoris bonitatem benignitatemque, & si quid amplius ad summum bonum commendandum desideres, observat, animadvertit & admiratur. Hic est, qui linguâ instructus & loquendi facultate, solus de his omnibus cum sociis differere, eosque ad communem contemplationem provocare, nec non ad attentionem & perceptionem rerum, quas quidam fortè nondum attigerant, invitare potest; atque adeò unicum & solum instrumentum, ad celebrationem gloriæ Dei compositum homo dicendus est, quo uti voluit, ut finem operum suorum attingat creator optimus maximus. Hæc autem relatio in obligatione humanâ omnis directionis

tionis præbet fundamentum; dum se ita creatum & eo in loco collocatum agnoscere debet, ut omnes suas operationes ad istum finem dirigat; propter quem & mundus conditus, & ipse in mundum introductus est, ut operum Dei pius spectator.

## C A P. II.

*De Lege Naturali.*

## S E C T I O I.

*De legibus primis universalibus, ut principiis juris naturæ.*

§. 1. **E**x consideratâ illâ relatione Dei ad hominem vidimus jam præter providentiam Dei physicam, etiam aliam *gubernationem* (quam *moralem* appellamus) agnoscendam esse, quæ creaturas racionales in genere morum spectat: posterior ex priori profluit: homo enim, intelligens se in alienâ potestate constitutum, eâque supremâ & infinitâ potentiâ munitâ, cui se subducere non potest; statim intelligit etiam se in istâ subordinatione voluntati supremi istius domini ita subesse, ut obligatus sit ejus stare arbitrio, leges accipere, & si quas superior illa potestas præscribit, semet ad istas componere, quod est se voluntati imperantis conformare; dum voluntas Dei, ubicunque ut manifestatio obligationis humanæ ad officium innotescit, rationem legis induat.

§. 2. *Lex* autem dicitur recti pravique index cum obligatione faciendi istud, hoc verò fugiendi. Hinc lex Dei nihil aliud est quam voluntas divina obligatoria, quâ non solum, quid rectè fiat, quid secus, indicavit humano generi, verùm etiam exegit, ut juxta illud indicium actiones suas componat, si cupiat ipsum experiri facta sua approbantem, & non sentire ipsum reprobantem. *Probitas* autem dicitur enixum sinceræ mentis studium faciendi, quod lex probat: seu (quæ ejusdem potestatis sunt) quod ratio, quæ nullam veritatem aut opere aut ore abnegare jubet, dicat.

§. 3. Solet autem *lex* illa distingui in *naturalem* & *revelatam*, ast cum hanc ultimam non attingat Philosophus, ex solis rationis principiis tantum sapiens, illa discutienda relinquitur Theologiæ revelatæ. Nostræ (qui Theologiam naturalem hic tradimus) considerationis nunc est sola *lex naturalis*, quæ ita dicitur, quia natura humana non sine ejus indicio formata est. Alias jure *lex rationis & conscientiæ* audit; quia mens cum conscientia creata, omnem rationem recti pravique, in meris notionibus communibus fundatam cernit, atque ex iis omnem obligationem humanam ad conscientiam derivat & in apertum protrahit.

§. 4. *Dari autem talem legem naturalem*, hominum animis sub lumine conscientiæ insculptam, quæ recti pravique index sit, 1. *Ex communibus notionibus manifestum est*: ex iis enim norunt omnes, quid in alienis actionibus laudandum & vituperandum sit; & quidem ita, ut omnes in suo judicio hic consentiant. Nisi enim recti pravique indicium & ratio omnibus esset communis, non posset obtrectator sibi polliceri eventum, quem intendit, dum accusatum ex allegatione criminum diffamare, omnique inter homines existimatione exuere sibi proposuit: In quibus tamen eventum quoque obtrectantium scopo respondere docet experientia, nisi accusatus impactum crimen in tempore à se amoliri possit. Huc spectat etiam omne Censorum studium, & Satyricorum labor: qui Catones agunt, & in vitiosos virgulam stringunt censoriam: quorum successus ex eadem profluit hypothese, quod nemo non ex communibus notionibus laudanda à vituperandis discernere queat. 2. *Accedit ipsa conscientia*, vicem Dei agens; dum normam judicii de propriis nostris actionibus in sese manifestam videt, legem nempe benefacta approbantem, ejusque transgressiones damnantem: unde & ipsa innocuos accusationibus absolvit: reos autem arguit, rodit, & miseris ictibus transverberat.

§. 5. *Lex ista conscientiæ*, supponens hominem esse agens liberum, mentemque habere in corpore organico, tanquam instrumento suo, cum imperio agentem, commodè eruitur, si ejus indagacionem incipiamus à principiis obligationis humanæ, quæ mihi sunt leges primò primæ.

1. Pri-

1. Prima lex esto, *vitam ex ratione, non ex passionibus esse instituendam*: cum enim menti ex institutione creatoris competat prioritas dignitatis præ corpore, & munus regentis, oportet ut mens imperium suum factum tectum conservet, atque sic actiones suas cum elicitas, tum imperatas *ex rationis dictamine* derivet: non vero *ex passionum impetu* quicquam incipiat: quoniam vita *rationis* est, agere quod ratio ad lumen conscientiæ dicitur: *passionis* agere quod cæcus passionum impetus suadet, sæpè cum conscientia postmodum *αλογία* exprobrante & arguente. Nemo autem dubitat rationem nobis à Deo esse inditam ad vitæ gubernationem, idque est inter communes notiones; atque adeo quod ratio ad lumen conscientiæ dicitur, id demùm verum & justum est, auctore Deo. Contrà *vita ex passionibus* sæpè rationi contraria est, atque adedò irrationalis, facitque, quorum postea nos pudet, arguente conscientia. Quare rationis est *passiones* ad rationem castigare, subigere, & imperio mentis ac conscientiæ intra terminos coërcere. Constat ergo faciendum esse non quod passio, sed quod ratio jubet, & passione utendum, quando solum suadet, quod rationi non est contrarium.

2. Altera lex sit, *licere homini, suis facultatibus instructo, id omne agere, quod est in facultate suâ, modo Deus per voluntatem suam imperantem terminos constituendo, id non prohibuerit*. Sanè facultates, quas possidet homo cum in mente tum in corpore, à Deo habet, & quidem ad usum atque insigni cum utilitate: quare istas ex mente Dei ad usum revocare licet, & sicubi intra terminos constitutos manet, in actum perducere: ut sic liceat, quod à Deo non prohibetur: & limitatio potestatis, sit in ipsâ lege, legitimum ejus usum recludente.

3. Tertia lex esto, *finem Dei seu operum Dei etiam debere intendi ab eo, qui se agnoscit opus & servum Dei*: ut istæ actiones laudandæ sint, quæ ex intentione gloriæ Dei proveniunt, & ad eam ut finem Dei ac operum ejusdem sunt compositæ, quare rectum non est, quod eum finem non intendit, aut ad eum promovendum ineptum est. Nota per hanc legem servari omnem veritatem, in ideâ Dei conspicuam: ut virtutis sit veritatem ex eâ agnitam nullâ cogitatione, verbo, aut opere abnegare,



quod non potest non rectum esse: vitii autem esse, vel ullam veritatem ideæ Dei obscurare, ac sub pravâ intentione, aut perverso opere Deo quicquam detrahere, quod sanè pravum est, & nunquam non vituperandum: quoniam istarum veritatum abnegatio implicat ideæ Dei destructionem, quantum in nobis est, atque etiam gloriæ Dei ejusque celebrationi directè opposita est. Oportet ut & porrò animadvertamus hâc lege constitui facultatibus nostris terminos, quos excedere non licet: sc. facultatibus non esse utendum, ubi earum actiones gloriæ divinæ præjudicarent: ibi enim voluntatem Dei prohibitivam constare, ubi lex conscientiæ pandit, factum aliquod gloriæ Dei, quam unicè ipse ante omnia amat, contrarium & oppositum, atque ita injuriosum fore.

## C A P. III.

*De Legibus particularibus.*

## SUBSECTIO I.

*De officiis nostris erga Deum, ex istis principiis derivatis.*

§. 1. **P**OSITIS verò istis generalibus, restat ut ex istis rationis principiis, ac justo ejus dictamine cæteras leges speciales derivemus, quæ officia humana definiunt, uti ergà Deum, se ipsos & proximum, seu vitæ socios versantur.

§. 2. Officia Deo debita secundùm rationis dictamen & conscientiæ legem sunt *pietatis* studia, quæ nihil aliud est, quàm observantia rationis in dictatis ejus de officiis erga Deum; quæquæ ostendit diviniæ majestati & supremitati consona præstanda esse.

§. 3. Hujus prima lex est; *Deum omnibus facultatibus nostris & viribus summoperè esse glorificandum*: cum enim ex lege generali finis Dei & operum ejus etiam debeat esse finis noster, & eo loco, quo est apud Deum: atque ad eum finem vires & facultates aptas à Deo acceperit homo, ratio dictat eas ad id esse applicandas summoperè & ante omnia; præsertim homini Dei servo, & ministerio Dei obligato: qui cum Deo nihil utilitatis afferre potest, utpote infinite perfectò & beato, nihil restat, in quo Deo ministerium præstare possit, quam in hoc solo, ut glo-  
riam

riam ejus agnoscat, & ejus patefactionem promoveat, quæ in solidum glorificationis Dei definitio est: cui includitur. 1. Ut homo spectator universi constitutus omnem adhibeat *diligentiam* in contemplando & attendendo, ut in artificio Dei artificis sapientiam, potentiam & benevolentiam, aliasquæ Dei virtutes & perfectiones clare perspectas habeat, & ex veritate teneat omnem supremitatis Dei dignitatem, quæ gloriam Dei constituit. 2. Ut veritates istas pro suâ dignitate *juste* existimet, eas in Deo cum admiratione existimando, venerandoque; & præcipuè cum lætitiâ in suo Domino, mundi governatore, perlustrando, quò in solius hujus Domini favore omnem suam felicitatem repositam esse firmiter statuatur. 3. Utque numen illud pro suâ præstantiâ omni modo celebret; id est, omnes actiones suas cum elicitas tum imperatas, omnesque sensus & affectus hoc studio occupet, & ex hoc consilio dirigat. Oculos in mundi contemplationem sanctiorem intendat: aures dictis de gloria Dei testantibus recludat: aliisque sensibus experientiam virtutum Dei ulteriorem capiat. Cumque etiam *lingua* sit maximum glorificationis Dei organum, cogitationibus nostris intendendis, & cum sociis vitæ communicandis aptum; glorificationis Dei haud minima pars erit sententiam mentis & existimationem animi, quam de gloriosis Dei virtutibus concepimus, externo sermone depromere, sive ad solius mentis expectorationem, si solus fueris, sive ad Dei commendationem, si inter socios degas, quos ista ignorantes si sint docemus, aut nobiscum sapientes ad rei piæ contemplationem, nobiscum repetendam, invitamus.

§. 4. Altera lex est: quod *homo huic Domino*, tanquam servus ad gloriæ ejus ministerium constitutus, in omnibus aliis *debeat ut legislatori obsequium & plenariam obedientiam*. Imprimis, quoniam lex ejus est ipsum rationis dictamen, *spontaneitas* postulatur in istâ obedientiâ maxima, & *alacritas*: præsertim quoniam lex ista clementissimi regis est, quæ nil postulat nisi quod æquum & justum est, atque recto animi desiderio consentaneum: virtutum enim, quas præscribit, natura ædificativa est, ulteriorem animi perfectionem promovens; uti contrâ peccatorum natura est destructiva, hominem intimè deturpans & corrumpens, ea quoque post  
se

104 DE LEGIBUS PARTICULARIBUS.

fe trahens, à quibus naturale & sanctum desiderium maximè abhorret, à quo vel leviter animadvertit damnum, quod infert.

§. 5. Lex tertia fit *Deum debito cum metu & desiderio prosequi*, eò quod summus ille mundi rector non solùm legislator est, verùm etiam *justus judex*, qui obedientibus præmium, refragantibus verò pœnam constituit, quibus testetur illos sibi placere, hos displicere, eò quod eorum obsequium approbet, horum renitentiam reprobet. *Conscientia* iterum ad partes vocetur, quæ dicit nos ad actionum nostrarum rationes teneri, vicemque Dei agens benè agentem exhilarat; contra autem officium suum negligentem, aut transgredientem multis malis terrefacit, omnemque pacem mentis perturbat, ipsa suis opprobriis haud superandis molesta. Quare *timor Dei*, perpendens malum pœnæ nexum habere cum vitâ in peccatis, necessarium est homini frenum, quod eum à transgressione legis cohibeat. *Iustum* verò *boni desiderium*, observans inter bonum desideratum & officium ritè præstitum nexum esse, homini calcar est ad vitam juxta voluntatem Dei diligenter componendam: bonâ conscientia homini probo *spem* boni futuri faciente.

§. 6. Quarta lex esto: *debere hominem Deo bono & benevolò amorem ac devotionem*. *Amor* est boni alicujus præsentis arcus complexus, cum desiderio & studio, ut in ejus viciniâ & conjunctione illud sibi habeat semper præsens, & se ipsum communicans. Hic quandò ad Deum tendit, eundem respicit ut summum suum, & unicè sufficiens bonum; quod quandò considerat ut sibi conjunctum, & mens ejus sibi est conscia, non potest non in eo statu gaudere, & sorte suâ esse contenta, atque sub boni istius fruitione curare, ut beata ista unio illi sit constans. Unde etiam profilit studium huic unicè in omni suo opere placendi, quod ad constantem istam unionem necessarium est requisitum. Ast, quia benignus ille conditionis nostræ auctor in hac vitâ spectatur, ut qui in futurum possit, si velit, eam uberioribus beneficiis adhuc reddere feliciorè, & post mortem planè beare, *Devotio* nascitur, quâ homo Deum amans se totum Deo devovet; ejusque arbitrio submisse committit.

§. 7. Tandem accedat quinta lex: quæ homini sub Deo mundi

di rectore, *in adversis præscribit tolerantiam, & in prosperis gratitudinem*, ex singulari mentis humilitate præstandas. Hæ virtutes oriuntur ex consideratione supereminentiæ infinitæ Dei beati & liberrimi, qui nulli quicquam debens liberrimus bonorum suorum dispensator est, nullique tenetur ad rationes. Huic sanè competit jus servos suos arduo in opere & adversis explorandi, seu quam in ipsis posuit animi fortitudinem in publicum protrahendi: quòd, cum per infinitam Dei sapientiam bonis tendat in bonum, ratio dicat, ut propterea amor noster in Deum non sit minor: sed eò magis ad constantiam illi adhærescens: non obmurmuret dispensationi Dei, sed certamen illud æquo & æquali subeat animo. In prosperis verò gratiarum actio est benevolentiae Dei singularis professio, quo supremo mundi rectori testimonium cedimus, quod omnem nostram fortunam ejus debeamus providentiæ, omnia clementer & præter debitum cedenti. Ex his etiam nascitur rebus in dubiis *fiducia*, sibi persuadens, quod quamdiu homo respondet fini suo, ita Deo placeat, ut eum tanquam peculium suum sibi in eventu conservatum velit.

## SUBSECTIO II.

*De officiis ergà nosmet præstandis.*

§. I. **C**UM menti insit cogitatio cum conscientia, non potest non & semet ipsam habere pro objecto: cumque ei insit facultas sibi & corpori de necessariis prospiciendi, etiam cura sui ad ipsam spectat, quatenus sibi multorum defectuum implendorum conscia est: ut suum esse & melius fieri omittere nec possit, nec debeat: quia homini appetitus ad utrumque tanquam instinctus naturalis à Deo insitus est, ut quod sibi bonum intelligit, non possit non desiderare, & si media videat ad hoc apta, in potestate suâ constituta, iis utatur: adeò ut ipsi hic curandum sit ne specie bonitatis decipiatur, & ut mediis legitimis utatur: undè leges aliæ sunt referendæ ad curam sui: aliæ, quæ temperantiæ sunt, ad legitimum mediorum usum.

§. 2. Ad curam sui, quæ legitimum continet amorem sui, alia lex mentem spectat, alia corpus, dùm utriusque esse & bene esse

O

se

se quærit. *Mentis natura*, quatenus immortalis est, nihil ad existendum & perseverandum extra Deum aliundè recipit, aut sibi comparare potest. Sed quantum ad ejus melius esse attinet, potest studiis suis sibi comparare incrementum cognitionis, alacritatis, spontaneitatis, & tranquillitatis; per certa media quærendo, ut cognitio intellectus excresecat in sapientiam: facultas judicandi pergat ad prudentiam: electio voluntatis affurgat in spontaneitatem ad officium: & conscientia cultus augeat ipsi animi pacem ac tranquillitatem: in quibus omnibus est perfectionum suarum amplificatio, affurgens gradatim ad beatam conditionem. Cum contrà deficere possit suâ culpâ, & ruere in omnia contraria. Postulant autem hæc, ne mens semet decipiat, aut decipi patiatur: est quidem illi instinctus ad suum bene esse: sed sæpè specie boni deluditur, nisi intelligat verum suum bonum extra Deum non esse quærendum: cui ut occurrat deceptioni, quærenda est ipsi *sapientia*, quæ est veri utilis & utilioris certa atque intima cognitio: *prudencia*, quæ est prompta discriminis, etiam latentis, ad mali evitacionem prævisio. *Spontaneitas* autem consistit in alacri voluntatis ad officium exsequendum imperio: quæ omnia crebris actionibus etiam transeunt in habitum; & perpetuo rerum examine comparantur. Neque *bona conscientia* sine studio & perpetuâ ejus consultatione ad optatam serenitatem evehitur. Ad felicem hanc conditionem menti procurandam, ut facultates mentis applicemus, nihil prohibet, ergò licet. Instinctus naturalis nos impellit Deo auctore, ergò convenit: & interesse gloriæ Dei nos obligat; adeoque necessarium est: ita ut, si patiamur nos ab hoc studio (nosmet eum in modum perficiendi) à segnitie quadam naturali, aut carnis concupiscentiis abduci vel decipi, nosmet ipsi in culpâ simus neglectæ tantæ nobis salutis, & gloriæ Dei: quæ eò magis promovetur, quò mens enumeratis instructior est, dum istis incrementis homo aptior Deo servus constituitur.

§. 3. Respectu corporis, quod menti organum & habitaculum est, eidem incumbit huic de omnibus prospicere, quæ ad vitam & sanitatem sunt necessaria. Notissimum est corpoream illam molem, motu intestino agitaram, perpetuò diffilure, & dissipari, interituram eisdè, nisi ablata extrinsecus adductis & ei ingestis restitueren-

tuerentur: ac injuriæ aeris amictu & tegumentis à nimio incurfu arcerentur. Nunc patet Deum nos in hoc mundi theatrum introduxisse, omnibus necessitatibus copiosè & affatim instructum, imò multis nec facilè enumerandis modis omnibus corporis membris & organis respondens: ita colores & figuræ oculos, aëris undulationes infinitis modis modificatæ aures, florum & aromatum effluvia nares, succi ex variis rebus elicitum palatum, & multa sui generis tactum afficiunt: sunt infinita ore sumpta, quæ hoc corpus alendo conservant, aut succos medicè corrigendo, ubi laborat, restitunt: amictus ejus ambitum fovet; & nihil est quod homines ad usum non applicent: cumque id non prohibitum sit, licet. Hæc cura menti (cui imperium competit in applicationem facultatum) competit, quo usque functiones animales ejus nutibus subsunt. Fateor esse functiones, quæ mentis imperio non sunt subjectæ: ita sive illa velit, sive nolit, per vellicationes fibrillarum incitatur ad cogitandum de corporis hujus affectione, in fame, siti, aëris intemperie, aliisque malis aut incommodis, quibus solum remedium in cibo, potu, amictu, aut rebus medicis inveniri communi experientiâ edocta est, nec sine illarum rerum usu molestum sensum à se avertere potest: cumque quoad ingratas istas perceptiones se habeat merè passivè, & iste instinctus sit à Deo, eam cogente, ut in lis corpori prospiciat ex rebus præ manibus positis: sanè index voluntatis divinæ est, ut eam curam non negligat. Adde quod in hoc theatro, tot mediis affluente, non sit homo constitutus, ut merè *spectator*; sed etiam ut *usufructuarius* rerum divinarum, aliquatenus in hominis potestate & sub ejus facultate constitutarum, quas manibus attingere, & ad quas se pedibus admovere potest; terrasque conferere arboribus & frugibus, nec non armenta & greges prospicere pascuis; quæ omnia ad supplendos corporis defectus utilia sunt, & sine quibus homini festina mors incumberet. Quæ certò indicant Deum humano generi in ista omnia dominum concessisse. Ergò iis uti non solum licet, dum nihil prohibet sed apertè concessum est, ut officio conservandi sibi hoc corpus cui tanto cum affectu etiam per instinctum divinum coheret, etiam faceret satis. Quare mens pro suo imperio in actiones impera-

## 108 DE LEGIBUS PARTICULARIBUS.

tas, & dominio in creaturas cæteras efficit, ut *conservationem sui*, quantum est in potestate suâ, applicatione mediorum *promoveat*: Accedit & nova obligatio, quod mens ita corpori sit affixa, ut sine ejus bonâ constitutione munera sua imperturbatè exsequi non possit: adeoque curare debet, ut hoc organum sibi ad solutionem obligationis suæ suâ culpâ non fiat ineptum: nec se ab isto legitimè expedire potest, manendum itaque ipsi est in hâc statione, donec à Deo revocetur. Quare curandum est ut ad terminum suum perstet, & sibi, atque adeo etiam respectu ministerii sui ergà Deum, & Deo habile maneat instrumentum.

§. 4. Accedo nunc ad *leges temperantiæ*. Est autem *temperantia* voluntatis, sanctè imperantis, virtus, quâ mens sese à rerum terrestrium, nec non suarum facultatum abusu, lubens abstinet, suasque actiones ad *leges temperantiæ moderatur*. Hujus itaque munus est, res terrestres ita ad usum revocare, & actiones mentis imperatas ita dirigere, ut limites suos non excedat, ne ad illicita seu prohibita ullo modo pergat.

§. 5. Est autem prima temperantiæ lex, *res terrestres, corpori ejusque vitæ animali conservandis utiles, non ultra modum adhibere*. Huc respicit Verficulus.

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines*

*Quos ultra citraque nequit consistere rectum.*

Hujus autem modi norma est, ut tantum rerum externarum assumat mens, corpori applicandum, quantum, ut aptius menti in officio faciendo fiat instrumentum, requiritur: quod autem è contrà organum hoc magis destruit, quam conservat, mentique ad officium ineptum constituit, ut potius ab eo ad tempus confusionem, quam auxilium recipiat; id sanè *modum excedit*. Stationem, Dei arbitrio designatam, tueri debet Dei servus, eandemque legitimè obire; illud, rerum, ad vitæ conservationem facientium, concessio usui sedulo incumbendo, ac ne quid desit prudenter curando, quò usque ea in legitimâ suâ potestate constituuntur: hoc verò, ab iisdem rebus auxilium, non verò impedimentum, in solvendis obligationibus exigendo præstat. *Abusus* fit rerum earundem, quotiescunque in corpore motus concitant, mentem obruentes, atque eam ad vigilandum adversus tentationem

num insidias ineptam reddentes; qualem officii neglectum post se trahunt *gulositas, ebrietas, cæteræque voluptates, Dei peculium Deo inutile* reddentes, utpotè, muneri Deum, ut benefactorem nostrum, glorificandi impar.

Huic accedit etiam altera moderaminis norma, quæ hominem, ut rerum externarum usufructuarium (quoad potestatem applicandi) restringit, præcipiens, *Deo solo, ut summo bono, fruendum esse homini, cæteris omnibus verò utendum tantum, prout ad usum concessa sunt.* Cùm enim fruamur summis, quæ ultimato adeoque propter se amanda & quærenda sunt; utamur verò, quæ tanquam media data sunt, non propter se & primo, sed propter alia eaque potiora expetenda; tenendum, ad beatitudinem nos perducere non posse, quod ad altius aliquod impetrandum à nobis investigandum est. Sic utimur tantum mediis, quæ propter aliud ordinata sunt, sed fruimur cum omnis desiderii terminatione bono summo, ad quod omnia cætera nos adducunt, si rectè applicentur. Error autem est, si quis ordinem invertat: seque ita voluptatibus, ex rebus terrestribus percipiendis, immergat, ut Dei (qui solus propter se & ut summum bonum expetendus erat) obliviscatur. Hoc enim modo acquiescendo in rebus externis cum neglectu & extinctione amoris Dei, res inferiores loco potioris & summi boni substituuntur; & quod propter se quærendum erat in classem inferiorum detruditur: in quo vitæ genere omnis rationis abnegatio est, atque ea, quibus ut mediis uti ratio docet, amantur & quærentur ultra modum; non ad usum, sed ad fruitionem. Imò error committitur turpis, & menti irreparabile damnum inferens; contrahit enim insana ista animi electio culpam *contemptus Dei*, bonorum omnium terrestrium largitoris, bona inferiora uberrimo eorundem fonti præponendo: & *ultimæ ingratitude*, media ad gloriam Dei ordinata, contra finem suum naturalem invertendo, eaque datoris honori (multis nominibus ei debito) opponendo: quæ studia non possunt non aberrantem felicitatis sectatorem aliquando præcipitare in ultimum miseriæ barathrum: quandò conscientia post perspectam fugacem rerum electarum indolem, & spem elusam, objiciet menti, ut se ipsam turpiter deceperit. Ergò in tempore curandum,



## IIIO DE LEGIBUS PARTICULARIBUS.

dum, ut istis rebus tantum utamur, non fruamur: id est, ad ita vivendum, ut Deo vivas; & per ea aptiores nosmet ei sistamus servos.

§.6. Secunda temperantiae lex est *moderari affectus, ut rationi inserviant, non praecurrant, aut praecoccupent.* Ἄλογον est, animi passiones & affectus, quotquot sub mentis imperio sunt, quando mentem extimulant ad aliquid cupiendum dictamini conscientiae contrarium, non statim subigere, & rationi submittere: neglecto enim rationis & conscientiae dictamine, passionum sequi impetum, vita brutorum est, atque homines, quasi per metamorphosin, in bruta convertit. Quare ita agentes contra omnem dignitatem humanam turpiter peccant, seseque indignum in modum abjiciunt. Adde, quod se nec Deo servant ad utile ministerium, quia ita se rationi opposites, se voluntati Dei opponunt, dum finem operis Dei oppugnant. Accedit etiam quod semet per istas passiones illegitimasque affectiones *ab-ripi* non solum, sed & *decipi* patiantur gravissimam in causam: quoniam istae malum specie boni involventes, voluntatem praematuram in assensum trahunt, propediem post larvæ detractionem detestandum: hinc scelesti, remoto deceptionis involucro, suam deplorare fatuitatem seram coguntur poenitentiam, accedente etiam conscientiam, suis interim rationibus mentem malefamam excruciante.

Sunt, fateor, passiones & affectiones in homine homini naturales: nec exigitur vita sine passionibus, quae Stoicorum insania est. Ast interim *non vivendum esse ex passionibus*, dictabat nobis lex generalis: sed habendae sunt suo loco, ut sub mentis imperio fiant stimuli virtutis, justum animi consilium sequendo, & imperata rationis ad executionem promovendo. Proinde mentis officium est, curare, *ne passiones corporis antevertant iudicium rationis*, illudque est tamdiu ex imperio voluntatis suspendendum, donec in foro conscientiae constet, quid ratio doceat æquum & rectum esse. Interim prudentiae est omnes affectionum impetus & insultus ita cohibere, ut frangas, sicubi ἄλογα suadeant: & cum ab intemperie corporis pendent, omnia adhibenda sunt media & remedia, quae illis fomentum subtra-

DE LEGIBUS PARTICULARIBUS. III

trahant & subducant : à quo enim observatum est animi mores sequi temperamentum corporis, didicimus diætam adhibendam esse, ad temperamenti istius moderamen promovendum, & immoderatas istas extimulationes frangendas. Quorum spectant eorum labores, qui de passionibus animi scripserunt.

§.7. Tertia mihi temperantiæ lex est, quæ jubet, *facultatem prolificam etiam ita moderari in utroque sexu, ut voluptas quoque rationis terminos non excedat.* Auctori naturæ debemus, quod utrique sexui sua concessa sint organa, quæ ad speciei propagationem sunt accommodata, & stupent Anatomici in eorum indagine tantam animadverti naturæ artem ac providentiam, ita diversa in utroque sexu respondent suis finibus. Cum igitur ista facultas à Deo concessa sit, licite in actum deducitur; modo intra terminos, quos ratio in foro conscientiæ præscribit, maneat. Docet nos experientia copulam viri cum muliere sociâ adjunctam habere singularem voluptatem, quæ grata passio est: quare & licet prolem quærere cum voluptate; sed non ex voluptate, ad promiscuos concubitus impellente, quod brutorum, non hominum est: imò ne quidem omnia bruta sequuntur.

Verùm cum *questio prolis ad conservationem speciei destinata sit,* cui debemus & ipsi nostram originem: atque Deum, mundi rectorem, habeat ut stupendum in modum concurrentem, quippe corporis organici exactam formationem dirigentem, illique animam rationalem ad ejus gubernationem adstituentem, fatendum est rem iudicam non esse copulam illam prolificam, sed primi momenti, & omnium actionum humanarum naturalium dignissimam. Exigit igitur ratio, ut in isto opere etiam *Dei habeatur ratio,* illeque ut ad illum actum placidè concurrat, serio rogetur: dum prolem quærens, se ut instrumentum Dei considerare oporteat, quo ad peculiū suū sibi multiplicandū uti constituit, qui inter homines regem agere decrevit. Hæc qui in opere isto considerare negligit, non tantū officio suo deest, sed ex voluptate bruto cum impetu agens mentem corrumpit, & castitatis ornatu miserè privando, Deo admodum difformem facit, non quærendo quod Dei voluntati & fini operis consentiat.

Ca

*Castitas* itaque, quæ hisce incunabilis *γένησι* debet suam, quæque mentis ex ratione viventis singularis ornatus est, nihil aliud dicit, quam *amorem puritatis*, quam in *scopo* & *mediis applicandæ facultatis prolificæ, aut suspendendæ, exactè conservare constituit animus*. Negat puritatis amor aliud quærere per facultatem prolificam, quàm ut progenies, nobis substituenda, adsit, Deo digna: adeoque huic, si ad id vocetur, incumbere per legitimum connubium. Qui aliter instituunt, se servos facere voluptatum, & maculam contrahere, cujus ipsos per conscientiam puderet, perpendunt; undè non sine causâ Deum pudorem fecisse castitatis violatæ comitem sentiunt, ac præprimis voluptuosos horrere conspectum sanctitatis Dei agnoscunt. Hinc omnem copulam, quæ non quærit prolem Deo consecrandam, utpotè scopo concessæ facultatis istius contrariam, abhorret: non nisi foeminam sibi sociam, ad hunc finem aptam adsciscit; ut nec foemina socium, quam virum probum. Semet voluptati mancipare, quâ se debito Deo servitio ineptum faciat, fugit. Accedit, quod in *quæstione seminis* propter Deum suscipiendâ; *sibi etiam illud piè educandi & curandi officium incumbere* agnoscat, ut etiam proles sua sit ad Dei gloriam: quod cum per promiscuum concubitum fieri haud queat, etiam illud detestatur, ut à castitate abludens. Sic se abstinet non solum à congressu cum brutis, aut sexus similis; sed etiam ab omni scortatione, aut conjunctione prolem dubiam faciente. Multum sanè à scopo aberrarunt gentes, scortationem ut rem licitam pronunciantes: idque sub prætextu, ac si cuique imperium in proprium competat corpus, atque ejus interventu quæstum facere concessum sit. Minimè attendentes etiam *corpus nostrum* Dei esse, & *rationi submissum*, ut eo utamur tanquam instrumento Dei, ad honestam propagationem generis humani, & generationem organi mentis, sanctè dirigendo, quod nunquam contra finem nostræ existentiz applicandum est.

SUB-

## SUBSECTIO III.

*De officiis erga vitæ socios præstandis.*

§. I. **R**ESTANT nunc, quæ vitæ sociis debemus, officia: quæque Dominus in eâ relatione cuiqui homini ut *servo suo* imposuit obligationes. Tenendum est hominem ex jure naturali homini ad auxilium obligatum esse, & ad communis obligationis sub Deo promotionem teneri quemcunque. Hujus officii fundamentum duplex est; hinc omnium inter sese æqualitas naturalis, communibus necessitatibus subjecta. Illinc æqualis omnium sub communi Domino subordinatio, in communi à Deo dependentiâ fundata.

§. 2. Ex æqualitate naturali omnium hominum inter se sequitur regula, *tantum homini socio competere juris in te; quantum tibi competere in eum ex ratione derivas*: adeoque quod tibi necessitatis tempore *auxilium* postulas, aut quocunque titulo tibi fieri velis: id etiam ipsi in simili necessitate offerendum, ac cupienti præstandum esse putes. Hinc canones, *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*: & è contra; *quodcunque fieri vis tibi, cura id alteri præstiteris*. Sane verissimum est nos homines nasci, ut alienâ ope & manu indigi, qui sibi ne quidem ad minima sufficientes perirent ab utero, nisi manus obstetricis eos expedirent & de multis prospicerent. Ita quoque constituti sumus, ut nemo se solo vivere possit; tantæ etiam vitæ sunt necessitates, ut homines coacti fuerint curas inter sese dividere & opificia, sibi-que invicem mutuare operam, & opificia inter sese commutare: hinc alius agros curare & arva, alius gregem & armenta, alius culinam, alius architectonicam elegit; hic calceos confuit, alius vestes: nec unus omnibus artibus par est. Porro homines in societatem, foedere politico firmandam, coëgit hæc necessitas: quæ foedera mutui sunt auxilii: cumque hætenus præcaria videantur mutua ista auxilia, intercedente demum foedere cum obligatione suscepta, factum est, ut nonnulli politici hominem in statu libertatis (antecedenter ad foedus politicum, aut qualemcunque societatis contractum) concipiant ita sui juris esse, ut nisi sponte velint ad

P

nulla

## 124 DE LEGIBUS PARTICULARIBUS.

nulla erga proximum officia teneantur. Undè prædictos canones demum ex contractu & fœdere prædicto omnem vim suam acquirere existimant. Hinc in statu libertatis homini nihil incumbere præter sui & salutis suæ curam statuunt, etiam cum damno proximi promovendam.

§. 3. Hinc est cur etiam in alterum obligationis fundamentum oculos nostros conjiciamus, ex quo officia nostra ergà vitæ socios etiam in statu libertatis antecedenter ad fœdus politicum derivemus: quod jubet me *hominem mihi æqualem & in vitæ socium à Deo datum agnoscere ut meum sub communi Domino conservum*: quippe in eadem mecum à Deo dependentiâ viventem, in eodem mecum statu constitutum: ut falsissimum sit vel ullum esse hominem in statu libertatis spectandum, qui plane sit sui juris: cum respectu Dei, originis nostræ auctoris, nemo non patiscatur summæ majestatis mancipium: Cui non solum officium debet venerationis, sed & curæ rerum, quæ ejus gloriæ quoque respondeant, sicubi quicquam ad hoc præstare valeat. Cum proximus, ejusdem Domini mecum sit conservus, ac peculium, illi propter communem Dominum, *debeo*, sicubi in statu necessitatis meo eget auxilio *quicquid ad ejus esse & bene esse conducere poteris*. Ut mihi juxta cum omnibus vitæ meæ sociis nomine Dei incumbat, quicquid Dei est in ordine ab ipso statuto conservare, nec pro nostro arbitrio ex isto deturbare. Hinc est, quod transitus ex statu libertatis in statum associationis politicæ homini nequaquam relinquat facultatem se ab omni officio dispensandi, & quascunque leges pro arbitrio consentientium suscipiendi; quoniam ne vel minimo statuto nobis dominio Dei præjudicare licet. Quod contra pessima quorundam Politicorum principia propè observandum est, homines in statu libertatis ita sui juris esse dicentium, quasi ne quidem sub Deo essent, nec leges essent divinæ eos obstringentes; qui tamen gloriam Dei ullâ in re abnegare, & quæ sunt domini Dei independentis humano arbitrio subicere æternâ lege immutabiliter prohibentur. Imo in regno Dei morali lex est; *cuique nostrum pro viribus curandum esse, ut conservus noster communi Domino frugi servus sit*, qui in communi societate & coopératione ad opus Domini non est turbandus, aut

aut impediendus, sed collatâ operâ confirmandus.

§. 4. Nunc igitur eos, qui nobis in vitâ hâc sociali à Deo objiciuntur, distinctius spectemus, ut ordine non nihil diversos. Cum alii spectandi sint ad se invicem relati in subordinatione, alii in merâ coordinatione.

§. 5. Agnoscendam esse *quandam inter homines subordinationem, divinâ voluntate & arbitrio introductam*, dubitare nequit, qui nos infantes esse natos tenet: & parentum gubernationi per Dei providentiam submissos. Nascimur sane nudi, imbelles, omnium rerum indigi, nobis ne quidem ad unam necessitatem sufficientes, & artium ac scientiarum rudes atque ignari: ut nisi Deus parentum animis istam, quam sentimus, σοφίην indidisset, quâ in curandis & educandis liberis infandas lubenter absorbent molestias parentes, singuli cum halitus principio vitam exuerent, & propediem univertum genus humanum extinctum videremus, neglectum à parentibus. Quanti igitur nobis æstimatur, quod vivamus, tanti faciendus est ille Dei ordo, cujus sapientiâ & beneficio nostra genesis & educatio istis legibus circumscriptæ fuerunt. Hinc profluit obligatio divinum hunc ordinem agnoscendi, atque parentes tanquam organa Dei in iis omnibus exosculandi, qui sub Deo molestam istam obligationem prolem Deo quærendi & educandi solvunt. Hinc *lex de honorandis parentibus* ut justa & æqua suspicienda est: cum istos honorare nihil aliud sit, quam, in hâc adorandæ gubernationis Dei parte exoptatissima Dei instrumenta piè agnoscere: iisque pro ordine à Deo instituto velle subesse: beneficia ab iis cum debitâ animi gratitudine accipere: præcepta scientiarum & pietatis, utpotè ad nostrum commodum & decus facientia, ubicunque legi conscientiæ sunt consona, lubentes admittere, atque si casus ita postulet magnâ animi spontaneitate ἀντιπαλαργεῖν.

§. 6. Ex hisce sequitur *eodem modo honorandos esse, qui parentum vicem agunt*. Constat per experientiam, ut, intercedente divinâ providentiâ, aliquandò liberi minorenes orbentur parentibus, iisque substituendi sint tutores, qui parentali cum potestate muniti parentum curam suscipiant & adimpleant: quos casus non sine Dei arbitrio intercedere indubium est. Accedit pat-

rentes aliquando non esse pares omnibus officiis, familiæ præstandis: hinc jubent in partes venire & vices suas agere, se peritiores: quales sunt *artium & scientiarum periti, pietatisque doctores*, transferentes in illos aliquam paternæ suæ potestatis partem. Hi quoque ut parentes vicarii cum honore subjectionis sunt excipiendi; quippe qui præcipua humanitatis ornamenta in nos conferunt. Ex eodem quoque principio potestas magistratus nata est, cujus omnis auctoritas ex paternâ potestate originem cepit: cum enim singulæ familiæ sub parentum umbone adversus multimodas injurias extrinsecas tutæ consistere non possunt, semet foedere politico inter sese associarunt, atque *in prudentiores & potentiores* tantum de parentali potestate transfulerunt, quantum ad salutem reipublicæ postulari notabant: quæ cum etiam sub Dei providentiâ ex ratione facta fuerint, pro instituto Dei habenda sunt: quare omnes istæ partes paternæ potestatis in singulis præfæctis debito cum honore atque existimatione agnoscendæ sunt.

§. 7. Extra istam relationem homines se mutuo respiciunt, ut inter se pares sub Deo coördinatos, communis peregrinationis comites, Dei creatoris & gubernatoris arbitrio nobis à latere adstitutos, & nobiscum in viciniâ cum multiplici commercio viventes: quibus unumquemque nostrum duo capitalia debere officia etiam ex ratione constat, *justitiam* nempe & *amorem*.

## EXCURSUS PRIMUS.

### *De Justitiâ ejusque præceptis.*

§. 1. **J**USTITIA (quæ primo loco occurrit) est *spontaneitas voluntatis humane, jus suum cuique tribuendi*: quæ virtus seu sanctioris animi sententia radicata est partim in æqualitate, partim in æquitate. *Æqualitas* in eo conspicienda est, quod cum omnes homines certo respectu sint ejusdem inter se conditionis, ut quilibet habeat mentem corpori junctam, & unusquisque eundem habeat Deum creatorem & dominum, omnes quoque eandem habeant ad Deum relationem. *ib eadem lege obli-*

obligati ad Deo fidele præstandum ministerium. Quilibet etiam ad dotes mentis & bona corporis eandem habet relationem, quoniam eorum natura iisdem instruitur ad præstandum officium mediis, & iisdem beneficiis perficitur: hac dotati à Deo propterea simili jure gaudent. *Æqualitatis* vero est, ut quod Deus, liberrimus donorum suorum dispensator, voluerit *jure* donationis suæ *alterius esse, id nemo dicat suum esse, aut invito possessore sustineat cuiquam eripere.* Hoc enim esset Deo velle eripere imperium, & de administratione providentiæ Dei Deo litem movere, atque cum eo contendere: cum itaque par in parem non habeat imperium, sed utraque pars hic sub communi domino subjaceat, sub communi potestate superioris posita à naturâ: singulis domini superioris arbitrio standum est, qui nulli debitor est, id est Dei.

§. 2. Hinc sequitur *legem justitiæ esse indispensabilem*, atque jus omne humanum, quod factum tectum servare justitiæ est, *fundari in jure potestatis divinæ liberrimæ*, quo munera sua distribuit uti vult: ut non possit cuiquam jure eripi, quod Deus cuiquam concessit. Homini justus itaque est socio suo conservo, & supremi regis peculio nullam inferre injuriam, id est, nemini aliquid auferre aut detrahere, quod jure, à Deo concesso, possidet: id enim contra omne jus & fas censetur, si invito possessore à quocunque tentetur, dum justo titulo ex dono Dei possessor est.

§. 3. Dico *invito possessore*, quia communiter volenti non fit injuria; nisi tamen forte ille volens in assensum pertrahatur. 1. Circa rem, in quâ sui juris non est: uti sunt *vita & castitas*, utramque enim homo Deo factam tectam servare obligatus est. 2. Aut falsis lenociniis decipiatur, cum quis inter stipulandum proximo aliquid spondet, quo focii expectationi in eventu non respondet, undè illi querela nascitur fraudulentæ deceptionis: quod cum tibi fieri nolis, alteri ne feceris.

§. 4. Prohibet *justitia* primò *injuriam inferre conservi vitæ* per cædes & vulnera: jus enim vitæ & necis soli Deo competit. Qui vitæ proximi arbitrium ad se rapiunt, ut quenquam ex suo beneplacito stare aut cadere velint, non solum imperium, quod in parem non habent, invadunt, sed & prærogativam, quæ soli majestati divinæ competit, sacrilegè sibi assumunt. Nemo enim



## 118 DE LEGIBUS PARTICULARIBUS.

tantum juris in peculium Dei & conservum suum sibi arrogare ullo titulo potest, qui ex Dei sententiâ æque ac socius propter communem subordinationem & dependentiam stare debet. Dei est hominem ad stationem suam vocare & inde revocare; atque adeò nemini licet illi in hâc parte regiminis sui obmurmurare. Quando ergò observamus, *odium*, *invidiam*, & *iram* abripere aliquando homines ad scelus homicidii committendum: curandum est ut *odium* charitati, *invidia* contentationi, & *ira* mansuetudini cedant; hominesque in istis casibus sibi spatium deliberandi de suis obligationibus concedant.

§. 5. Nec secundo loco cuiquam permittit *alterius violare pudicitiam*, sive per promiscuos concubitus, sive per stupra: per violatam enim castimoniam summa conservi fit injuria; cum deus ab iis tollatur, quod Deus iis cum facultate prolificâ dederat ad quærendum semen Dei. *Pudicitia* vocatur illa castimonia, quia mens ab ea non recedit, nisi cum *pudore*, quem conscientia facti infligit. *Qui vim infert*, violat conservæ corpus, quod Dei est: & prolem negligit, cui honesta debeat natalia, & piam curam. *Qui scortum adsciscit*, meretricem ulterioribus voluptatibus immergit, quibus magis magisque à Deo alienatur, atque organum corporis menti ineptum reddit, ad debitum Deo servitium præstandum. Hinc etiam conscientiam istius lædit, quam in consensum sceleris pertraxit: vel saltem, ut decebat, à turpitudinis consuetudine non revocare conatus est. Imo *peccat in socium aut sociam congressus* qualiscunque homo, ad debitum educationis auxilium, proli excitandæ præstandum, constantem cohabitationem non suscipiens: quam communium liberorum susceptio, & studiosa piaque educatio postulat. Peccatque in prolem, Deo consecrandam in peculium, qui semet matri subducit, & indivulsam societatem negat.

§. 6. Tertia injuriarum species, cum justitiâ pugnans est, quæ *legitimam socii possessionem ipso invito ad se rapit, nullo veri juris titulo*. Qui hominem in orbem, variis vitæ necessitatibus instructum, creator mundi & humani generis introduxit, illi, cum facultate res applicandi ad usum, Libertatem concessit ea occupandi, quæ nondum occupata, per manum providentiæ suæ obijciuntur.

## DE LEGIBUS PARTICULARIBUS. 119

ciuntur: hinc ita occupata tanquam donum Dei, sua dispensantis, in potestatem primi occupantis transeunt. Hinc jus proprietatis in donatione Dei gratiosa fundatur: ut *meum sit*, quod per divinam benedictionem mihi accedit: & porro *meum legitime fiat*, quod volente possessore legitimo, ad me transit, cum anterioris juris renunciatione; Deo etiam hanc potestatem legitimum possessoribus concedente, ad conservationem commercii inter homines necessariam. Primum itaque jus proprietatis & possessionis peculiaris ex rerum divisione ortum est, cum homines terras incognitas quærentes, eas inter sese partiri, atque sortes suas colere instituerunt. Alterum verò ex necessitatibus (dum ipsis superflua cum deficientibus venirent commutanda) originem cepit, ratione suadente, ut homines ita mutuos defectus inter sese adimpleant. Filii, parentum pars, illis per mortem decedentibus, eorum locum naturaliter occupant, jure successionis, & ab iis dotes accipiunt adhuc superstitibus. Tenendum tamen supremum rerum arbitrum non ita hominibus concedere peculium, quin sibi servet jura repetendi: secundum quod principium opes auget & minuit, hos ditat, alios depauperat, fortunam humanam gubernando pro arbitrio; unde à primâ divisione valde inæqualis hominum conditio subnata fuit. Jam verò peregrinationis socios & communis Domini conservos jure suo defraudant, qui clandestinè (quod *furtum* audit) aut publicâ vi (quod *rapinæ* nomine venit) ad se transferunt invito possessore, quæ divina clementia voluit alterius esse.

§.7. Tandem etiam socio itineris & commilitoni injuria fieri potest per *detractionem bonæ famæ*: *bona fama* enim inter ea bona recensenda est, quæ quilibet *pius* & generosus *supra omnia vitæ commoda censet*. Est autem ea verum societatis gluten; nisi enim quis eam possideat, malè audiens, nemo cum illo rem habere velit; atque ita à bonorum hominum consortio excluditur, qui pro minimè bono habetur: ita ut nemo ejus operâ velit uti, aut ejus auxilium ad usum admittere, vel etiam beneficium in illum collocare, undè sæpè ad perniciem usque deprimitur negligiturque. Quare per *detractionem bonæ famæ* redditur servus Deo *inutilis*, dum ejus *charismata non admittuntur inter bonos*, nec de-

desiderantur. Sanè propter Deum viri boni bona fama conscientiose servanda est, atque ejus dona commendanda sunt, ut iis inter conservos prodesse & Dei gloriam propagare possit. Hinc maxima fit homini injuria, cui per *calumnias* & petulanter efficta *mendacia* crimina impinguntur falsò, aut ex levioris erroris, aliàs tegendi, nimia exaggeratione merita obscurantur, ut in aliorum odium incurrat, & à sociis vitæ deseratur.

## EXCURSUS SECUNDUS.

### *De Charitate proximo debitâ, ejusque præceptis.*

§. 1. **J**USTITIÆ *charitas erga proximum* superaccedat, oportet: *justitia* enim vix ultra requirit, quam ut neminem lædas, nec ullum defraudes, contenta, ut in societate humana, fide agamus & innocentia: Ast tenendum, quod obligatio naturalis se latius diffundat; & homini etiam qualiacunque humanitatis præscribat officia, ex singulari ergà proximum charitate derivanda.

§. 2. Est autem *illa erga proximum charitas*, benignæ ergà socios voluntatis pronitas, quâ, ut organa sint Dei Deo gloriosa, sibi que in obligationibus præstandis auxilia utiliora, eorum *esse* & *bene esse* cum gaudio agnoscit, aut promoveri præoptat, si quicquam in iis desit. Undè, si quid in sua potestate esse auxilii animadvertit, etiam pro virili impendere paratus est.

§. 3. Hujus charitatis principium est, quod homo rationalis teneat, *se non sibi uni* & *soli natum esse*: quare etiam, *sibi soli vivere* haud cupit, dum ordinem, divinitus institutum, hic reverenter agnoscit, qui propter omnimodam Dei sapientiam in eo pellucens ei etiam perplacet. Huc tendit, quod generis humani vinculum, ad societatem *colligans*, ex *statu æconomico* profluat; ita enim conjungitur mas & foemina per matrimonium ad mutuum auxilium, ita parentes prolem, quam quærun, cum obligatione ad educationem accipiunt: huc faciunt sanguinis & affinitatis necessitates. Omitto jam *facultatem sermocinandi*, quæ tota indicat hominem ad commercium cum aliis ordinatum esse &

& ad mutua consilia. Adde, *necessitatum varietatem* efficere, ut homo singularis sibi soli ad omnia non sufficiat, undè coacti sunt homines de mutuis auxiliis inter se pangere fœdus, quod vocamus politicum, Deo dona sua ita dispenfante, ut non omnia possimus omnes, hic robore corporis, ille præcellentiâ intellectus aliis præcellit: hic ad opificia, ille ad artes natus videtur: hic manu, ille prudentiâ valet, ut sibi & aliis prodesse possit. Nisi itaque homines parati essent ad mutua auxilia, totum humanum genus propediem exstingueretur: eleganter Seneca. *Societas nostra, lapidum fornicationi simillima, quæ casura, nisi invicem obstarent: hoc ipso sustinetur.*

§. 4. Ast ante omnia ad humanitatis officia tenemur *propter Deum*, cui nos toti obstricti sumus: cum enim homines omnes *ex æquo Dei* (ut communis Domini) sint *peculium*, ad gloriam majestatis ejus propagandam instructum, etiam ut conservi tenentur commune opus promovere, etiam inter sese; nemo enim Deum plenario glorificat, nisi qui eum sociis etiam commendat, & cognitionem gloriæ ejus inter conservos multiplicando propagare haud desistit. Nemo justam Dei rationem habet, qui conservo, in opere communis Domini laboranti, ubi solus non sufficit, opitulationem denegat: aut qui peculium Dei, ubi quicquam valet, non conservat, & ut indies magis sit Domino suo utilis, promovere ad majora non conatur.

§. 5. Cum primarius hujus charitatis affectus sit *benevolentia*, legitima charitas ante omnia judicium fovet de vero bono, ut favcat rectè: ac probè distinguit inter bonum fruendum & utendum: quodque ex sanâ ratione in purâ conscientiâ agnovit ad summum spectare bonum (intellige fruitionem amicitiae Dei) quò conservus Dei secum beatus est, id hoc illi gratulatur: sin ad illud socius itineris nondum videatur pervenisse, id illi apprecatur & præoptat. Quod verò censuit inter *bona utilia* (sive ad mentis ornatum, sive ad corporis commoda pertineant) in quantum ad promovendum illud summum bonum faciunt, ut amicitiae Dei amplius sit particeps, & Deo magis ad gloriam: hoc omne etiam cum favore prosequitur, cupiens ut quilibet ex peregrinationis sociis abundet ad salutem.

## 122 DE LEGIBUS PARTICULARIBUS.

Distinguit etiam inter bona *honestâ*, *utilia*, & *jucunda*: ita ut nunquam de bono socii utili & jucundo sit sollicitus, nisi simul sit *honestum*: quâ in re *castitas amoris* consistit; ratio enim jubet præoptare (quæ vera *φιλανθρωπία* est) ut quilibet homo *probus* sit, & quicquid ei accedit ad probitatis pabulum ei tendat: quicquid vero illi deest ad jucundum probitatis exercitium, illud ex voto acquirat. Ita lætatur cum gaudentibus, officium suum præstantibus, & diligentiae præmium reportantibus; luget cum lugentibus. Hinc longè ab *invidia* & *πικραίσχη* abest. Quod si *scelestus*, aut *hostis* illi occurrat in viâ, optat ipsis sanam mentem in sano corpore; ut resipiscant & ad saniora consilia redeant, quo cum bonis & probis numerari possint, semet legibus Dei ad justum finem subjiendo.

§. 6. Huic benevolentiae cohæret proximè in amore *beneficentia*; quæ *tendentia charitatis* est, ad bona verè talia cum egestate aut necessitate extremâ luctantibus pro viribus conferenda; & omnia *urbanitatis* & *humanitatis officia* in proximum, cui prodesse potest, *præstanda*; sive casus oris exigat studia, sive operum *auxilium*. Quare leges beneficentiae sunt, ut *beneficus intercessione apud Deum* pro talibus oret, & *apud potentiores patronum* agat, quo liberalitate suâ, aut favore potenti defectus adimpleant. Ipse interim *solatio* dejectos animos erigens, & *consilio* ad agenda prudenter dirigens. Quod si ipso opere minus valentibus etiam succurrere valeat, partem operis assumit, & quæ defunt instrumenta aut mutuo, aut dono confert; Præprimis miseris levamen adducit, pauperibus victum, ægrotis remedium, exulibus hospitium, nudis amictum, aliisque male se habentibus ex misericordiâ bonum oppositum suppeditando, quousque facultates illi sine neglectu propriæ familiæ & obligationis id permittunt.

§. 7. Obtinet etiam hic locum *amor amicitie*, quæ est charitatis quoque fructus singularis, *artiores cum sociis electis conjunctionem* ad mutua officia quærens, *contractam fideliter observans*, *raptam verò facili animo restaurans*. Hujus radix cum sit *animorum* & *studiorum consensus*, honesta est, quæ non obtinet nisi inter probos, & honestis sulca incedit conditionibus. Hinc licet *φιλανθρωπία* debeamus ad oblatas occasiones omnibus promiscuè ho-

hominibus, amicitiam non debemus nisi probis ad conjunctionem pronis. Quare electio intercedit, prudenter instituenda, quæ probandi sunt, ad amicitiam admittendi. Contracta autem colenda est *pacis & concordie* studii, ne lites aut sententiarum diversitas animorum distractiones pariant, curando: est enim *pax* mutua animorum sub mutuis amplexibus bene ordinata tranquillitas, quæ alter alterum cum singulari mentis acquiescentiâ munus suum imperturbatè exercere finit: nullumque impedimentum in cursu suo objicit. *Concordia* autem est, sententiarum de fine & mediis comparatis consensus & harmonia. Ut idem velle, idemque nolle demum firmam faciat amicitiam. Nec patitur eam facile rumpi per offensas intercedentes; hinc *studium complacendi* amico, evitando quod illi jure displiceat; illinc *mansuetudo*, quæ singularis animi placiditas, æquabilitas, & continentia est, mentem, ne facile irriteretur aut iram concipiat, cohibens. Cui cohæret *inimicus* quæ facta in se benignè interpretatur, nec delatores injuriam exaggerantes ad fidem statim admittit. *Longanimitas*, quæ justam iram à præcipitante ultione avertit. *Tolerantia*, quæ ne quidem ex gravioribus offensis & molestiis exacerbatur. Quas virtutes etiam erga alios homines, lites nobis moventes acrius, & probra objicientes, exerceamus, ut eos lucrifaciamus nobis & Deo, oportet. Si porrò rumpant animorum conjunctionem alii, charitas jubet, ut in offensis simus *exorabiles*, & *in accipiendâ satisfactione faciles*: contenti amicos ad sanam redire mentem.

§. 8. Cæterum amicorum est, consilio & operâ invicem fideliter succurrere, arcana non revelare, de periculis studiose mone-  
re, & malevolorum fraudes detegere: aut si tacitè avertere possint, id in antecessum tentare. In studiis laudandis se mutuo excitare, atque aliquandò salvâ temperantiâ & honestate cum iis frontem exporrigere, quo acerbiora hujus vitæ mitigentur, & quilibet à refectione ad officium alacrius redeat. Absentes verò aliis amicorum studia commendare, & eorundem bonam famam adversus calumniantes testimonio veritatis tueri.

## CAPUT III.

*De spe vitæ melioris, & ejus opposito.*

§. 1. MELIORA homini præ iis, quæ in hac vitâ possidet, à Deo inoffenso speranda esse, plura suadent: modò *mentis nostræ immortalitatem* ut dogma fundamentale intemperatam servemus, prout in primâ scientiâ edocti sumus. Eam pauci olim negarunt, illique minorum gentium philosophi, cum *Epicuro & Plinio* (Hist. Nat. L. VII. cap. 55.) Vanitatem, commenta, puerilia deliramenta & dementiam per sarcasmm vocante, *si quis superstitem à morte animam, aut sensus alicujus participem esse credat.* Contra vetustissimi quique Chaldæi, Ægyptii, Hebræi Græcique & Latini ferè omnes unanimi docuerunt consensu, *animas à Deo creatas immortales esse*; quod Augustinus Steuchus l. 9. de perenni philosophiâ adstruxit. Verissimè Hierocles Pythagoreus *improbos fuisse*, qui aliter statuebant, indicat, ubi ait. *Non velle improbum animam suam immortalem, ne ad conspectum æqui illius judicis pœnis torquendis veniat; itaque (addit) se ipsum potiùs morte condemnat.* Quod quam verè dictum sit, vel inde constat; quia animarum cum corpore interitum cupientes, non tantum omnem à morte spem atque metum extinguunt, omnemque numinis cultum & religionem evertunt, sed etiam, quicquid inter homines probitatis, virtutis, justitiæ & honestatis est, radicitùs exstirpant, cum procmio rationem tollentes, cur anima velit corpori ingrata sectari, aut carni ægrè facere & adversari. Sanè, qui præter præsentia nihil spectat, totus explendis carnalibus desideriis deditus, non poterit non in ejusmodi delectationibus ultimum sibi quærere bonum, atque id cordi habere, ut in voluptatum istarum fruitione, quam fieri potest, diutissime superfit, & a nemine turbetur.

§. 2. Evicimus *animæ naturam*, quia *spiritualis est*, ac nihil cum rebus extensis commune habet, esse planè *indissolubilem*, id est, indivisibilem, ut in partes resolvi, quas non agnoscit, non possit; nec in varias particulas disjungi. Neque etiam *ejus vita*

in-

*intellectualis* (sicuti vitæ animali cum dissolutione corporis fieri solet) diffluere dicenda est, quia toto cœlo à motibus corporeis differt, & tota mentis natura in solâ illâ cogitandi actuositate consistit, ut eâ sublatâ ipsa mentis tollatur substantia. Quare, ne ullum quidem patet adversantibus effugium, quam ut ad ejusdem *annihilationem* confugiant, quæ saltem Deo creatori non est impossibilis: agnoscendum quidem nihil à Deo productum, ipso invito remanere posse: ast nec eo, ut maneat, volente, sibi vitam mentis abolere & in nihilum abire posse, etiam apud eos constat, qui Deum animarum creatorem agnoscunt: qui verò id non agnoscunt, annihilationis conceptum ne quidem formare possunt, quippe quam natura nescit, & extra conceptum omnipotentia divina impossibile esse ratio evincit. Restat itaque quæstio, num annihilatio, quæ respectu absolutæ Dei omnipotentia tantum est possibilis; respectu decentia divina etiam admitti possit? Nos enim eam mentis annihilationem Dei virtutibus haud consentaneam esse clarè videmus, atque eo respectu haud possibilem, seu potius nullo modo expectandam. Prout etiam nullum annihilationis exemplum observatum est in hoc mundi universo unquam. Prohibet inquam profunda *Dei sapientia*, quæ nihil frustra agit, ut creaturam adeò nobilem, uti mens humana est, condiderit, ut ad pristinum nihili, ut ita dicam, statum reducat: nugantis enim ingenii est, & tempus inutiliter fallentis, facere ut destruas, & agere cum eo exitu, ut nihil egeris; sanè *nobilius Dei νοῖσμα mens* est, quam ut hoc nobilissimum virtutum speculum ita destruat Deus, quasi ex omni operis scopo exciderit, & productum inutile præter mentem factum cum poenitentia laboris antea acti plane projicere velle possit. Inspice modo operis decus & elegantiam: & *observabis in mente humana intellectum*, qui ab excellentissimis *objectis* percipiendis nec læditur, nec debilitatur, ut sensus corporei, sed potius ab iis perficitur, & supra femet ipsum reflectitur: quique quoad *modum* cognoscendi universalialia à singularibus abstrahit, eaque immaterialiter & universaliter speculatur, præteritorum & futurorum rationem habet, illaque cum istis comparat, & quod ex usu fuerit colligit. *Observabis porro in eadem mente voluntatem* cum intellectu conjunctam,



Etiam, quæ uti intellectus in omne verum, ita ipsa in omne bonum fertur, operum Dei pulchritudine & admirando quod in singulis resplendet artificio delectatur, & libertate instructa est, quâ suas specificat actiones: cæterum regina facta in hoc corpore, cui in plurimas actiones corporeas, & omnes affectus commendatum est imperium. Quis non agnoscit creaturæ istius supra reliquas præstantiam? quis non notet, ut proximè authorem suum referat? Itane parum prudens fuerit creator, ut eventum operis non præviderit? atque ita frustra laborare voluerit? Quasi sibi placuerit in eo, ut nugas agat; destruenda & in nihilum redigenda ex nihilo protrahens? Prohibet etiam, ut Deus ita vias suas instituat, ejus *ultima constantia*, & consiliorum alibi probata immutabilitas, cum haud poenitendâ decretorum ejus sapientiâ collata. Si enim Deus *animarum annihilationem* vellet, ista voluntas vel foret decreti, vel poenitentiaæ antecedaneum consilium mutantis: est prius non obtinet, quo finem operis definivit gloriæ suæ consentaneum, opusque dignissimum ad finem maximum: non posteriorius, quia ordo institutus per decretum immutabile constans est, & poenitentiaæ in Deo nullus est locus.

§.3. Ut autem de istâ Dei voluntate immutabiliter definitâ amplius erudiamur, *expendenda est*, quam omnium animus indidit Deus, mentis creator, *conscientia*, in quocunque homine vicem Dei agens, nec frustra de Deo testificans. Hæc autem, hominem malè agentem accusans, & officium præstantem absolvens, illos poenarum metu ad omnem mortis memoriam terret; horum animos serenat: atque ita Dei nomine nos docet, animam cum corporis destructione non mori, sed ab organo isto separari, ut ad Deum redeat, rationes actionum suarum illi ut Judici supremo datura, qui adhinc pro merito de futuro ejus statu constituat.

§.4. Positâ itaque animæ immortalitate, sequitur *mortem hominis* nihil aliud esse, quàm *mentis humanæ ex corruptibili hoc corpore emigrationem*: quæ vitæ vicissitudo necessario conditionis suæ involvit mutationem, sive in meliorem sive in pejorem, pro summi numinis favore conservato, aut justâ irâ in se concitatâ.

§.5. *Deum à morte meliora velle dare amicis suis*, qui fidelium fer-

servorum munitus præstiterunt, & ad sublimiorem conditionem, quam quæ fuerit hujus vitæ, evehere, colligere licet 1. *Ex nobilitate mentis*, quâ hanc vitæ conditionem longè superat: quæcunque enim bona huic peregrinanti in hâc terrâ oblata sunt, ferè omnia tantùm spectarunt ad hujus corporis sustentationem, aut placidam mentis in eo inhabitationem; eaque ferè ex terrestribus solùm attingit, quæ cum brutis habuit communia: ast cum altiorum rerum capax sit condita mens nostra, atque hæc inferiora nihil ad mentis ulteriorem ornatum conferant: sequitur seculum post hanc peregrinationem destinatum esse, ad bona menti offerenda, quæ ampliori ejus capacitati sunt accommodata, cum mens à molestâ corporis hujus curâ liberata, se sentiet ad novam conditionem, eamque merè intellectualem, vocatam. Rectè igitur adstipulante conscientia spondet sibi amicus Dei, ex hâc inferiori conditione decedenti, se migrantem ad Deum cum experturum, ut naturam suam amplius perficientem, cujus tunc post corporis curam propriæ futuræ sunt vices.

2. Idem *ex ipso animi desiderio*, quod infinitum est, & bonum infinitum anhelat, comprobatur adhuc magis. Neminem latet animi desiderium in hâc vitâ bonum non invenisse extra Deum, quod sitim animæ extinguere potuit: quippe cui nec tempus, nec locus, nec vita, nec voluptas, nec honos, neque imperium, aut denique ullum aliud bonum, quantumvis maximum, satisfacere potuerunt, ut in iis acquiescere potuerit. Nec Deo ipso ita frui adhuc licuit, ut satiata non desideraverit ætatiorem, & remotis impedimentis liberiores fruitionem. Cognitionem nobis dedit valde limitatam, voluntatem longè ampliorem, desiderium verò, ut diximus, infinitum, non nisi infiniti fruitione satiandum; quod non poterit nisi cum ultimâ intellectus dilatione perfici: undè eam conditionis suæ perfectionem cum suâ ex corpore tenebricoso emigratione sperat, quam hic in vitâ nemini concedi animadvertit. Nunc verò cum latissimum illud mentis desiderium ei inhæreat ut stimulus diligentia in Deo observando: illudque ab ipsa manu Dei fuerit animo humano insculptum: credi non debet Deum tale desiderium adimplere non velle, ne quidem in servo suo fideli: foret enim tunc homini, etiam Deum

colenti, solum in tormentum, & æternum cruciatum; quia fitis foret nunquam satianda, & spes inanis, hominem eludens, quo à Deo vexetur in æternum: quod à Deo bono, infontem non ita puniente, alienum censeri debet.

§.6. Verum ut ultimum illud argumentum ab insito illo menti appetitu (ad Deum ut solum bonum summum, cum satietate fruendum) desumptum magis stringamus: notamus *appetitum istum frustra esse non posse*; 1. Quia *rectus est*, & ab ipso Deo ne quidem reprobabilis: nititur enim recto de Deo iudicio, quo statuit mens (Dei fruitionem desiderans) nusquam bonum verum fruendum inveniri nisi in solo Deo; qui unicum est omnium perfectionum sperandarum principium: quod cum verum sit, & ipsi Deo admodum gloriosum, signum mentis est, Divinæ voluntati & sententiæ conformis. Nec per sanctitatem Dei, qui sibi similem & gloriam suam amat, fieri potest, ut appetitus tam sanctus, Deoque glorificus non inveniat approbationem divinam, per ejus exultationem comprobendam. Accedit 2. Quod *desiderium* illud etiam *consentaneum sit inexhaustæ Dei bonitati*. Cum enim Dei bonitas menti facultates dederit intellectus & voluntatis: atque is sit inter utramque nexus, ut bonum, quod intellectus percipit ut bonum, voluntas nunquam reprobet: omnis fere beatitudo humana consistit, ut intellectus ad promptiorem & evidentio rem veritatis & bonitatis cognitionem ampliori capacitate dilateretur: quo voluntas in boni percepti amplexus sine hæsitacione & erroris periculo ruat. Conveniens est divinæ bonitati, ut & illud donorum auctuarium cupientibus concedat, quod homines gradatim etiam in hac vitâ ad cognitionis incrementum adducere experimur. Cum itaque mens à corpore recedens, in cogitando perseveret, & rerum ideas cum augmento lucis sæpè didicerit sub Dei providentiâ intueri; fieri non potest, ut Deus amicis suis ideas lucidas, quibuscum ad eum transeunt, non conservet, & ubi adhuc erant tenebris utcunque involutæ, non novæ lucis auctuario, quantum satis est ad beatam voluntatis in conjunctione cum Deo delectationem favendam, collustret: hoc unum enim est, quo homo ad beatum cum Deo commercium perfici possit: sc. ut Deus ideam sui in mentis intellectu in plenâ

nâ luce collocet, quandò mentem è corpore migrantem sibi in majori, ut ita dicam, viciniâ admovet.

§. 7. Neque contra valet objectio, quæ opponit, animam in cogitando admodum dependere à corpore, atque adeo in statu separationis justo destitui operandi organo: per experientiam enim constare, ut mores animi sequantur temperamentum corporis. Verum notandum eos, qui ita instituunt, confundere puram mentis intellectiōnem cum imaginatione: utut verum sit, quod mens, quamdiu est unita corpori, dato certo spirituum animalium motu, percipiat alias atque alias imagines rerum corporalium circumjacentium: nec tamen etiam negari potest eas pro maximâ parte ita esse confusas, ut mentis ratiocinium magis perturbent, quàm adjuvent, nisi intercedente ejus judicio attentiori corrigantur: ab elusionibus enim istius imaginationis ut plurimum in errores pertrahitur anima. Quare potius concludendum erat, mentem ad purè intelligendum eo fore aptiorem, quo magis ab imaginum perceptionibus erit liberata: quandò enim illas ideas, quas solas Deus ipsi ad contemplandum objiciet, purè intuebitur, clarior erit & facilior omnis ejus perceptio, quia purior, & ipsa à passionibus ex corpore assurgentibus minus perturbata promptius præstabit officium: motus enim spirituum animalium in hac vitâ sæpius animam interpellant, & bonas cogitationes interrumpunt, nihilque ad rerum spiritualium contemplationem modificandam aut purificandam conferre possunt.

§. 8. Si quis dubitet, an non eopse sequatur; *statum animæ separatæ præ hoc præsentem fore meliorem respectu omnium morientium*, quia ista liberatio à corporis impedimentis æque pravis ac probis communis est? Ille teneat beatitudinem conditionis animæ separatæ non adè pendere ab idearum evidentia, quàm quidem ab earundem gratiosâ jucunditate, quatenus repræsentamen faciunt boni alicujus solidi & jucundi, secum juncti, & ad fruitionem præsentis. Cum autem in potestate creatoris sit, cogitationes mentis modificare, easque etiam ideis ingratis & horrendis alligare, & eo usque innodare, ut mens sese ab iis extricare non possit: sequitur quo terribile aliquod repræsentamen menti est evidentius, eo quoque crudelius eam experiri (malâ conscientia

R

tiâ

tiâ accedente) ab isto repræsentamine tormentum. Imprimis quândo mens à corpore separata secum habitans, non habeat, quo se ab ingrato isto objecti intuitu divertat. Contra verò mens cum solidis & jucundis ideis, contestificante conscientia, decedens indè maximis potitur animi deliciis, unde supremi desiderii satietate, nunquam auferenda, fruitur in æternum. Posteriorem hanc conditionem salutis æternæ statum, priorem æternæ damnationis appellare solemus: dum in posteriori ad Deum accedunt amicum, animum solido gaudio perfundentem: in priori ad Deum offensum, contemptorem sui rodentis conscientia moribus tradentem, & ad ejus cogitationem ultimo horrore corripientem.

§. 9. Hæc *melior*, aut *pejor mentis conditio* pendet ab officio servato, aut neglecto; idque propter *nexum*, quem Deus constituit *inter virtutem & ejus præmium*, beatam nempe vitæ æternæ post mortem possessionem: nec non *supplicium inter & legis divinæ transgressionem*, ut malefacta justam inveniant vindictam, lege etiam statutam. Hinc *lex naturalis ne quidem sub sanctione est destituta*, ut considerato illo nexu spes præmii consequendi facta sit legis observatoribus, & poenæ metus interminatus sit ejus violatoribus: quare in hisce *foedus naturæ* agnoscendum est, ut ex ratione & conscientia manifestum, vitam beatam à morte sub stipulatione præstitæ legi obedientia spondens: æternam verò maledictionem jura ejus violentibus intentans. Quare, cum omnis homo naturaliter sub hoc foedere sit constitutus, etiam juxta ejus legem venit judicandus ab eo, qui supremus mundi iudex cum sit, quemcunque ad rationes muneris reddendas subjecit, & cum morte ad tribunal suum cum in finem vocat.

§. 10. *Nexus* autem prior *inter virtutem seu legis præstationem, & animæ ex corpore emigrantis transitum in statum beatum*, firmatur 1. Ex constantia *amicitiæ Dei*; qui enim Deo vocante, ab hoc corpore abit, *amicus Dei*, transiens cum ideis rectis & jucundis, non potest non hanc status mutationem adire, cum perseverantis benevolentia Dei experientia subeundam, quæ fidelem suum servum à se repellere per amicitiam haud ruptam non patitur.

2. Ex *sanctitate Dei* profluit, quod sese circa legis suæ ob-

ser-

servationem vel neglectum indifferentem gerere non possit, quasi nihili penderet, sive gestum esset sibi conveniens, vel contrarium. Unde sequitur, quod legem tradere sine sanctione non potuerit salvâ suâ sanctitate; nec eundem eam observanti aut violanti cedere exitum, ac si inter observare & proculcare leges ejus nihil interfuit.

3. *Ex conscientie testimonio*, quo monemur fidelem Dei servum nil habere sibi à Deo metuendum, quando moritur: & à morte seculum esse retributionis, quia in hac vitâ malorum conditio præ bonorum statu ut plurimum ferè felicior est: ut ergò exacta operum, non sine molesto in hac vitâ labore præstitorum, compensatio dilata sit in aliud seculum, quod quietis est, ea etiam post hoc ævum, in quo omnia quasi confusa & neglecta jacent, sequi debet.

§. II. *Nexus* autem, qui efficit, ut *scelestum sequatur poena, etiam si pede claudo*, constat etiam 1. *Ex rei decentia*: ratio enim docet, ut jure maneat improbus (quandò bona hujus vitæ eum deserunt, aut ille iis cum corporis exutione privatur) bono illo summo, quod impiè sprevit atque petulanter contempsit, destitutus. 2. *Ex Justitiâ verò Dei vindicativa* sequitur porro, quod mundi judex violationem legis suæ impunè ferre non possit; æque minùs ac eam laudare, seu approbare ut rectè factam: cumque ad titulum de virtutibus Dei probaverimus, nunc nobis fundamentum præbet nexum illum ut certum & indissolubilem agnoscendi. 3. *Conscientiæ arguentis* testimonium, violatorem legis Dei ut reum lætæ Dei majestatis declarans, & menti è corpore migranti constanter adhærens, etiam efficit, ut ad gloriosæ majestatis Dei conspectum non possit non majorem criminis scelestè commissi sentire pudorem, & conscientiæ, summi boni neglectum exprobrantis, æternam verminationem. Quare via peccatoris in æternam peccantis exit perniciem, si non conciliatus cum Deo ex hac vitâ decedat, quippe vim iræ divinæ cum ultimo horrore experturus.

## CAP. IV.

*De peccato in mundum ingresso & inter homines prædominante.*

§. I. **P**ROUT homo ad officium suum præstandum per legem Deo obstrictus & devinctus est, ita è contra peccare dicitur, quando obligationi suæ per exactam legis naturalis observantiam non satisfacit: ut proinde peccatum sit privatio ejus, quod lege exigente adesse debebat: seu aberratio à normâ vitæ, lege præscriptâ.

§. 2. *Peccati naturam collocamus in privatione*, quæ est absentia ejus, quod adesse debebat, antequam homo laudem & approbationem Dei consequi posset. Hæc determinatio à naturâ peccati excludit omne positivum reale; quicquid enim ut positivum reale concipitur, id à Deo est; & per consequens pro re bonâ haberi debet. Et nisi hoc modo realitas à peccato excludatur, hæret omnis de peccati origine expositio. Ad hoc non attendentes olim Manichæi in hunc errorem inciderunt, quod duo finxerint æterna rerum principia, alterum auctorem boni, alterum verò mali. Hinc etiam miræ aliorum Philosophorum hallucinationes (quorum sententia quondam Gnosticos infecit) statuentes, omne malum esse corporeum, & ex corpore nostro originem accipere, à quo mens cum afficitur, ex eorum sententiâ contaminatur. Hos itaque errores crassiores ut evitemus, rectius eos causam tradidisse existimamus, qui peccatum ut omissionem debiti, in officio requisiti, describunt, quæ se per modum privationis in studiis nostris habet. Nec tamen ea per modum simplicis negationis est concipienda; hæc enim tantummodò perfectionis cujuscunque rei creatæ limitatio est, haud quaquam culpanda: quia id, quod ei negatum est, ad ideam rei istius, libero Dei decreto definitam, non pertinet: cujus contrarium in privationibus obtinet, quæ absentiam ejus dicunt, quod, ut naturæ constitutz fiat satis, adesse debebat. Ita negatio est, quod homo cornua non habeat, bovis & hircis adstituta, nil quicquam ad naturam  
ho-

hominis pertinentia; *privatio* autem est, si *oculis* careat, ad naturæ humanæ perfectionem requisitis. Neque res aliter sese habet in genere morum; *negatio* est, quod homo non comprehendat omnia Dei: sed id illi vitio non vertitur; quia ad ejus naturam solum intellectus pertinet finitus. Sed *privatio* est omnimoda Dei ignorantia, eo quod ideam Dei in se habens, eam intueri & excutere negligit.

§. 3. *Homo* autem, in ideâ suâ consideratus, est quidem ut ita dicam *peccabilis*, id est peccatis obnoxius; non verò actu *peccaminosus*: illud prius enim ad ejus naturam pertinet, quod possit errare in judicio & peccare: non verò alterum, quod vitiosum quid sonat. Hinc homini vitio non vertitur, quod possit peccare, dummodo non peccet: sufficit, quod errorem judicii; per ejus suspensionem, atque adeò & peccatum evitare cum possit, etiam evitet, ut laudetur; culpandus si debitam prudentiam non adhibeat.

§. 4. Fundatur autem illud *posse peccare* in eo, quod *voluntatem* acceperit à Deo *intellectu latiore*; quæ si legitimam mentis perceptionem judicando antevertit, facile speciem loco rei eligit; atque ita decipitur, & decipit seipsam. Ipsa scientia prima nos docuit *voluntatem* latissimam esse, & statuere posse de rebus nondum clarè & distinctè perceptis; nec non desiderium habere hominem boni infiniti; ast interim *intellectum* ejus, arctioribus cancellis inelusum, limitatum esse valdè: per conscientiam enim constat eum plurimas res non attingere, adeò ut Deus omniscientiam sibi soli reservaverit. Mens itaque, adhuc rei ignara, cum sæpè de eâ aliquid suspicetur, sæpè in judicio errat, docente experienciâ. Verum cum *voluntatis arbitrium sit liberum*, ut judicium suum suspendere, & in aliud tempus differre, aut rem indeterminatam relinquere possit pro arbitrio; errorem, & quod ex eo nascitur peccatum, evitare potest, nihil eorum definiendo, quæ extra sphaeram activitatis intellectus constituta sunt, & non nisi de clarè & distinctè perceptis judicando. Hinc per abusum liberi arbitrii fieri potest, ut aliquis de rei alicujus bonitate morali, aut opposita ejus pravitate judicium præcipitet, antequam rem ritè perceperit, seu ad normam legis conscientiæ, uti oportebat, discusse-



### 134 DE PECCATO IN MUNDUM INGRESSO &c.

rit: quo in casu errorem committens, ex præjudicio sibi agendum esse, statuet; non faciendo quod ratio jubet. *Ex hoc liberi arbitrii abusu* turpia profluunt peccata omissioni legitimi iudicii, & festinationi mentis in desideris promovendis imputanda: ita ut hic prima fiat debiti officii omisio.

§. 5. Considerandum nunc porrò, Deum per decentiam suam non potuisse creare hominem moraliter vitiosum, seu eo in statu in quo peccatum evitare non posset: quia ita evaderet auctor mali, seu quod idem est peccati, quale quid de Deo, ente optimo maximo, cogitare absurdum est, cui opus suum, ideæ suæ respondens, displicere non potest. Neque sub pœnæ comminatione officium ab homine exigere posset, quod illi nullo in statu persolvere possibile fuit. Itaque sufficit ad originem peccati eruendam, ut hominem consideremus in statu explorationis ita fuisse constitutum & conditum, ut errores & peccata evitare poterit, si mens debitæ attentionis & justii iudicii officium exerceat: contra verò errare & legem Dei transgredi, si libertate suâ abutendo, ante justum rerum examen, & claram ac distinctam earum perceptionem ruat in assensum, atque quid sibi cupiendum sit præter rationem eligat.

§. 6. *Peccatum* interim in mundum ingressum fuisse nemo dubitare potest; qui videt *graviora* puniri suppliciis capitalibus, *minora* multæ, & *multa* adeo clandestinè committi, ut impune transeant. Omitto jam *minima*, de quibus obtinet dictum proverbiale: *minima non curat Prætor*; quorum tamen ratio habetur in foro divino, eo quod & minima transgressio sit legis divinæ violatio. Si quis peccati labem & serpiginem, quâ totum infecit orbem, & prædominium inter homines tenet, accuratius intueri velit, ille tot nationes barbaras respiciat efferas, & in humana viscera crudeles, non disciplinatas, magis cum ursis & pardis, quam cum hominibus comparandas. Variæ sunt ex rapto & latrociniiis viventes: aliæ molles & voluptatibus diffuentes. Qui inter gentes maxime disciplinatas censebantur, Romani erant; ast quam graviter, licet magis fucate, inter illos peccatum fuerit, docent Satyrici, aliique publici morum censes. De pravitate generis humani in communi quiritantem audi Nasonem.

--- Non

--- Non hospes ab hospite tutus,  
 Non socer à genero, fratrum quoque gratia rara est.  
 Imminet exitio vir conjugis, illa mariti.  
 Filius ante diem patrios inquirat in annos.  
 Lurida terribiles miscent aconita novercæ.  
 Vita jacet pietas, & virgo cede madentes  
 Ultima cœlestium terras Astræa reliquit.

Convertamus oculos etiam ad eos, qui rari licet, videntur optimi, nemo sanè horum erit, qui sibi non conscius sit hujus aut illius lapsus & erroris commissi. Hinc dictum, *vitiis sine nascitur nemo: optimus ille, qui minimis urgetur*. Quique in minimis offendit, damnas omnium est; obedientia enim, quam in aliquibus præstat, non a deo provenit ex merâ obedientiâ, quam ex *προαιψια* seu electione officiorum, quæ sibi placent; non quia Deo, sed quia facienti placent; alias enim hæc genuina obedientiæ ratio mentem humanam etiam in neglectis continuisset in officio, quæ sibi etiam in illis voluntatis Dei erat conscia.

§. 7. Universalem hanc morum corruptionem, quæ humanum genus invasit, non solum suam trahere originem ex privorum exemplis; & communi imitandi prurigine, vel inde constat, quod quilibet in sese à primâ infantia, imo & in nuper natis passiones animi experiatur valdè inordinatas, rationis leges antevertentes, & sæpissimè transgredientes. Confirmat etiam hoc ipsum Medicorum ex longa experientia naturam in communi receptum effatum: *mores animi sequi temperamentum corporis*. Hinc conficimus nos peccatores nasci: atque pronitatem ad malum, unâ cum prurigine imitandi, quod à lege recedit, esse morbum hæreditarium, qui nobis cum inæquabili corporis temperamento connatus est. Quod & observatum est à prudentioribus gentium sapientibus: Sic Plato queritur in libr. de repub. *Homines naturâ malos esse, & induci non posse, ut justitiam colant*. Extat apud Augustinam, lib. 4. contra Jul. Pel. fragmentum Ciceronis, in quo lamentatus est, *homines à naturâ noverca in lucem edi, corpore nudo, fragili, & infirmo: animo ad molestias annis, ad timores humili, ad labores debili, ad libidines proclivi, in quo divinus ignis sit obrutus, ingenium nempe & mores*. Addamus & Hieroclis memorabile effatum: *Homo* (inquit ille) *mora suo*.

*suo malum sequitur, bonum relinquit, & inest ei controversia quædam nimis affectibus germinans, & præter contraque naturæ voluntatem excitata, quæ cum Deo litigat & contendit, facitque, ut è cælo in terram proruat: inest ei libera quædam voluntas, quâ sic abutitur, ut omni conatu legibus divinis obsistat: adeo ut libertas illa nihil aliud sit, quam voluntas suscipiendi malum potius, quam bonum.*

§. 8. Quoniam igitur Deus, licet cujuslibet hominis auctor & creator sit, nihilominus peccati auctor non sit, sequitur eum in initio hominem produxisse rectum & inculpatum; atque iis instructum facultatibus, ut officium suum legitimè obire potuerit, si suâ rectè usus fuisset libertate. Quod autem à multis seculis ætas prodierit vitiosa & turpis, ab utero corrupta, necessè est, ut casu aliquo intercedente id factum fuerit, non creatoris sed humani generis culpâ, quâ lugenda illa corruptio, introducta in posteros, tam universalis est, & ad omnes & singulos transmissa. Proindè probabile est; inter primos nostros proparentes habuisse nos, qui à lege recedentes, & liberi arbitrii abusu à Deo deficientes labem hanc sibi contraxerint, cum posteris per filiorum procreationem propagandam: adeo ut Deus omnis boni fons & origo, ab hoc vitio non solùm sit liberandus, sed quicquid vitii omnibus inest, id totum ex priorum incuriâ derivandum sit.

## CA P U T V.

### *De Peccati sequelis.*

§. 1. **P**ECCATUM consequuntur in hâc vitâ reatus, & macula; nec non pœna initialis cum metu ulterioris, ad mensuram criminum post hanc vitam infligendæ.

§. 3. *Reatus dicitur obligatio ad pœnam*; quæ ex comminatione legali, Deiquè justitiâ vindicativâ metuenda, necessariò commissum crimen sequitur. Legis enim est nexum declarare inter peccatum & pœnam, adeoque exponere facta divino supplicio digna, Judicem ad vindictam sumendam provocantia: cujus sententia cum justa sit, atque odium Dei erga peccatum declarans

in

in lege; indicat transgressorem legis teneri ad severiora supplicia.

§. 3. Cumque conscientia criminis statim etiam excitet *conscientiam reatus*, dum ad nexum, qui peccatum inter & pœnam intercedit, paulò diligentius attendit, consequitur quoque peccatum *conscientia perturbata*, animum dolore, metu, & serâ pœnitentiâ, tanquam totidem flagellis excrucians, dum mentem ream arguit. Vita hæc misera est, omnem animo tranquillitatem expellens, veramque beatitudinem ipso actu excludens, earumque loco haud ferendas menti anxietates, perturbationes, & confusiones objiciens, substituensque. Hæc neminem latent. Quare *Plautus*,

*Nihil est miserius, quam animus hominis conscius: & Petronius exclamans scripsit. Dii! Deaque! quam malè est extra legem viventibus: quicquid meruerunt semper expectant.*

§. 4. Altera peccatorum sequela est *macula* peccati, quam post se relinquit: quæ nihil aliud est, quam facultatum, quæ in mente humanâ sunt, *corruptio*. Hanc experimur, quotiescunque rationem in ratione desideramus; quis enim non in intellectu tenebras, in iudicio præcipitantiam ac temeritatem, in voluntate hæsitaciones, atque in omnis hominis studio passionum prædominium observat, quæ hominem exagitant, & multa cum delassatione virium, in obsequio voluptatum laborantem, enervant? Ita mentem, cui imperium in actiones corporis demandatum erat, nunc indecorâ sub corpore servitute constrictam videas, ut vitam non ex ratione, sed ex passionibus instituat.

§. 5. Hæc cum sit mentis indoles, ut habitum sibi acquirat crebris actionibus; atque sibi sequendum ducens, quod passio præscribit, ruat in ea, quæ ad eum finem faciunt, per fas & nefas: consuetudo peccandi hominem magis magisque peccatis involvit; adè ut ad malum promptior; ad bonum verò tardior evadat in dies; ad scelera erumpens & antequam attendat, & post ipsum sceleris intuitum. Ita enim cum ipsis agitur, ac de sese *Medea* profitetur; dicens

*Video meliora proboque, deteriora sequor.*

Hoc malum etiam egregiè depinxit Poeta, ubi cecinit

S

*Hæret*

*Hæret profundum semen infestum mali,  
Et turpi miseris incubat contagio.*

Quare mens adeò turpiter maculata & depravata, cùm sanctitatis divinæ planè sit difformis, non potest non etiam Deo displicere, omnesque bonas de Deo cogitationes à sese amovere: quæ conditio miseriam humani generis ulterius exaggerat.

§. 6. Tertium peccati consequens est *pœna*, ejusque actualis inflictió; quæ à Deo justo iudice inferitur, & itatim ex parte, & post hoc seculum in totum. Describitur autem esse *malum triste, à Deo ut justo iudice in transgressores legis suæ propter peccata, & juxta eorum demeritum convenienter comminationibus legalibus immisissum aut immittendum, ad Justitiæ Dei vindicativæ gloriam asserendam.* Undè miseria humani generis sub peccato adhuc magis exaggeratur.

§. 7. Nec dubium, quin vindicta divina sæpè transgressoribus supplicia inferat in hâc vitâ; audiamus Hesiodum

*Ὅστις ἀλιτράνει ἢ ἀτάσθαλα μηχανάται  
Τοῖσιν ἑρανόθεν μέγ' ἐπήγαγε πῆμα Κρονίου  
Λιμὸν ἰμῶν ἢ λοιμῶν.*

*Si quis sacrilegè sese gerat aut injustè,  
Juppiter his cælo clades immisit ab alto,  
Pestem sive famem.*

Imò quicquid fiat in hoc vel futuro seculo, manet tamen dicti Horatiani veritas.

*Nunquam antecedentem scelestum  
Deseruit pede pœna claudo.*

Et ex vero olim Plato dixit ἀκόλυθον τῆς ἀδικίας ἡ τιμωρία.

Quod si tamen id non semper obtineat in aprico, tenendum tamen hic non auferri quod differtur. Rectè observavit igitur Valerius Maximus: *Lento gradu ad vindictam sui dævina procedit Ira, Tarditatemque supplicii gravitate componat.*

## LIBER TERTIUS.

DE

PRÆPARATIONE  
EUANGELICA.

CAP. I.

*De Verisimili quorundam restitutione & ad Deum  
reductione.*

§. 1.



UT ex præcedentium ruminacione rem humanam observavit deploratam, nisi morbo medicina sit, ac miseræ conditionis conveniens restauratio: jure desiderabit etiam in hac causâ audire, quid dicat ratio, & quousque mentem, de salute futurâ sollicitam, ducat, quæ Deum offensum atque à peccatore multis modis alienatum perpendens, erudiri velit, an & quo modo eundem denuò propitium habere, & secum reunitum possit? sine quâ difficultatis enucleatione ac restorationis spe nulla consistit religio.

Hinc omnes, quæ in toto terrarum orbe occurrunt gentes atque nationes, quæ Mosis libros sequuntur, aut eos ignorant, hoc planè intendunt, ut curent certis quibusdam modis cum offenso numine in gratiam redire: persuasæ sine præviâ istâ cum Deo conciliatione, nil verè boni aut fausti ipsis exspectandum esse. In quem finem introductæ sunt victimæ piaculares, lotiones, sanguinum adspersiones, & plura alia hic non recensenda.

§. 2. Ex lumine rationis manifestum est, plenariam peccatorum restitutionem & reductionem ad Deum non posse concipi, Dei gloriæ consentaneam, nisi sub duabus hisce conditionibus: quarum prior respectu Dei exigit justam judicis læsi conciliationem, quâ offensus placari decenter, atque reatus contractos salvis suis virtutibus, ne legem habeamus amplius condemnantem

S 2

cx-

#### 140 DE VERISIMILI QUOR. RESTITUTIONE, &c.

expungere possit. Altera verò respectu salvandorum postulat animæ post contractam maculam expurgationem, quâ factâ etiam decenter cum Deo sancto reuniri queat. De hac expurgatione multa dixerunt Plato & Hierocles, alique Platonici, qui religionem, ut sapientiæ studium, in istâ animæ purgatione ad perfectam vitæ rationem occupatum descripserunt: per quam iterum Deo assimilati & conjungi hominem antea ab ipso alienatum dixerunt. Viam autem, ad illam mentis expurgationem quemquam promoventem, dicebant optimam; si quis sæpè conscientiæ adytum ingrediatur, peccata debite perpendat, & coram Deo confiteatur, atque ita vitam omni modo corrigat. Quæ num sufficient, postmodum erit examinandum.

§. 3. Etiam si per se evidens sit, præoptandam illam peccatoris restitutionem in integrum ex solâ eâque liberrimâ Dei voluntate planè esse suspensam: quoniam nullo ille debito obligatus est ad gratiam homini, gratiâ indigno, offerendam, atque ad eò gratuitum illud beneficium violatori majestatis suæ præstandum. Nihilominus agnoscimus quædam esse indicia probabilia, quæ justam faciunt spem gratiæ, ac verisimile esse docent, penes Deum esse voluntatem cum aliquibus redeundi in gratiam, ut gloriam benignitatis suæ sic quam maximè reddat celebrem.

Argumenta huc ferè collimantia desumuntur 1. Ex tolerantia istâ divinâ, quâ humanum genus, licet gloriæ suæ oppositum & injurium, ita tamen conservat Deus, ut illud perpetuo reproducat. Cum autem Deus se ipsum & gloriam (quæ una omnium operum suorum finis & ratio est) negligere non possit: haud consentaneum videtur gloriæ Dei istos gloriæ suæ hostes & inimicos, imò scelestos conculcatores omnibus ejus beneficiis pessimè abutentes, & contra ejus decus convertentes, quotidie reproducere; nisi inter illos haberet, quos ut frugi sibi servi evadant, restitutos vellet.

2. Neque videtur ejus sapientiæ conveniens, humanum genus frustra creasse & adhuc conservare; uti foret, si nulli, per primam creationem Deo fruendi facultatibus instructi, unquam ad bonum istud pertingerent.

3. Ipsa Dei bonitas, quæ homini minora concedit beneficia, sua-

## DE VERISIMILI QUOR. RESTITUTIONE, &C. 141

suadet credere illum haud denegaturum solidiora, modo id salvis ejus decentijs fieri possit. Idque eo magis, quia communia illa beneficia (saltem ex fine operis) nos, ut ad Deum fiat reditus, manifestò invitant atque incitant.

§. 4. De benigniori istâ Dei voluntate nunquam quid certius statuere possumus, quàm à posteriori. Observat diligens mundi spectator, homines quoad vitæ studia multum differre inter se: inveniri inter peccatores, quos anteaactæ vitæ admodum pœnitent, se ipsos abnegantes, & melioris vitæ studium profitentes: qui renovatam cum Deo conjunctionem fervidè desiderant, ejus gloriæ per morum correctionem se consecrant, ac cum improbis, nomen Dei conculcantibus, arduum in se certamen suscipiunt, parati pro Dei gloriâ vitam deponere: quique cæterum abnegatis omnibus concupiscentiis, justè, moderatè & piè vivunt in hoc seculo: sanè putandum est, quod Deus nolit ab iis frustra quæri, aut recta eorum desideria eludere aut extinguere. Imo agnoscendum est, illam mentis immutationem non fieri sine Deo. Ex quibus legitimè concludimus, Deum, eousque ad istorum animorum reformationem cooperantem, quorundam restitutionem decrevisse, & tales, licèt pauci sint, sanctificare voluisse.

§. 5. Licet quoque hic ad historias publicas provocare, quarum etiam apud gentes extat memoria: fama de universali orbis diluvio, ut opere inter judicia Dei humano generi immissa, spectatissimo, ad omnes pervasit, testaturque ut novi generis parens, sive Noachus audiat, sive Deucalion, singulari Dei curâ unâ cum familiâ à Deo fuerit conservatus: cujus ratio tantum in decretum Dei resolvi potest, quo in quibusdam quoad gratiam suam glorificare semet statuit: Quid nî enim Deus aliàs cum cæteris hoc iudicio ad unum omnes deleverit, ut ad bonam frugem inutiles, omnibusque studiis finem suum impugnantes, finemque operum suorum pervertentes. Qui ergo novam voluit suscitare progeniem, voluit etiam procul dubio in eâ quosdam sanctificare, qui ad nominis sui gloriam sint promptiores.



## C A P. II.

*De Requisite vera cum Deo reconciliationis.*

§. 1. **Q**UONIAM studium conciliandi Deum cum peccatore, in omni religione prima & præcipua sit cura, conscientia, quæ vicem Dei agit, ad hoc stimulante; deliberandum etiam præcipuè de requisitis ad legitimam reconciliationem assequendam conditionibus: in quibus primaria lex est, ut nullum conciliandi Deum modum putemus legitimum, qui non præstat, ut postulato divinæ justitiæ fiat satis: de quâ vidimus, quod Deus eam negligere aut abnegare non possit, parte hujus operis primâ, cap. de virtutibus Dei. Hoc dogma ex communi gentium notione profluere communis populorum consensus ferè arguit; dum nulla sit natio, quæ non ad gratiæ Dei impetrationem sacrificia requirat piacularia hilaistica, ad expiationem faciendam instituta.

§. 2. Interim haud obscurum est, si rem ex ratione expendamus, brutas victimas piaculares esse non posse, quia veram justitiæ divinæ satisfactionem non præstant. A. Cum enim peccatum sit privatio in genere morum, divinæ legis prævaricatio, & gloriæ Dei conculcatio, conscientiam hominis polluens: quid quæso ad causam faciunt bruta animalia? pœna ferenda est, cujus brutum capax non est. Malorum perceptio solum in mentem cadit: quâ cum destituantur bruta, eorum destructio rationem pœnæ habere non potest. Nec tales victimæ restituant, quod per legis transgressiones violatum erat, non magis quam si arborem excindas: cum, quod offertur, justitiam ejus, qui supplicia postulat, agnoscere ex pœnâ non possit; multo minus mansuetâ cum animi submissione accipere & judicem glorificare; sine quo morali affectu destructio rei alicujus brutæ Deo placere non potest. B. Exigit etiam justitia Dei, ut proportio sit inter pœnam & delictum, atque id, quod ad satisfactionem affertur, æquivalens sit rei, cui substituitur. Ubi homo peccavit, ille luat oportet; non bestia ipso longè inferior: eique non potest substitui aliquid, quod iisdem agendi principiis & facultatibus non constat; undè peccatum profluxerat. Quare si per substitutionem alterius rei pœna

pœna ferenda sit, ut justitiæ Dei ad reconciliationem fiat satis, oportet ut non minoris sit pretii & dignitatis, quod substituitur, atque ille est, qui per eam substitutionem veniret liberandus.

§. 3. Ut autem ratio substitutionis sit legitima & nullibi contra jus & fas impingat, ea non procedit nisi sub hisce conditionibus 1. Ut substituendus alterius loco sit ejusdem ordinis, & saltem non minoris: atque immaculatus, ex peccatorum numero exemptus: qui enim ipse reus est, suo nomine debet: neque alterius vice ferre pœnam potest, ipse ad supplicia rapiendus. Nec qui non placet Deo, Deum placare potest; cum ergo peccator Deo sit ingratus, non placens, qui potest, ut Deo grata sit ejus victima? 2. Debet etiam substituendus & rei vicarius esse sponsor voluntarius, qui in foro Dei aliorum titulo admittatur: aliam nemini invito alterius pœna justè imponi potest. Tantum abest, ut præter assensum ad pœnam raptus justitiæ divinæ possit satisfacere, ut eam potius lædat, & in ipso novum homicidii scelus contra leges justitiæ committatur: cumque crimen crimine non obliterari possit, sed augeri; opus injustum à satisfactione alienum est, quale esset invitè aliquem dare vicarium ad pœnam alterius ferendam: quod quo vicarius esset justior, eo foret magis iniquum. Contra se res habet, si vicarius ut sponsor voluntarius intercedat, & ex amore gloriæ Dei causam hominis liberrimè suscipiat, volenti enim, imò id ipsum sanctè cupienti ac desideranti, non fit injuria. 3. Verum & tunc intercedat oportet, ut sponsor ille sit sui juris, antequam se aliorum loco sistere possit: qui enim alterius est, sub alienâ potestate constitutus, se ipsum pro aliis tradendi jus non habet. Cumque nullus merus homo ita sui juris sit, difficile est talem invenire, qui requisitam hic conditionem adimpleat. 4. Imò requiritur, ut qui magnum hominum numerum salvare eo modo affectat, sit dignissimæ conditionis; præprimis, quia ille redimendos eo se faceret peculium suum. Sanè proportio requiritur inter tantam hominum salvandorum multitudinem, & personæ isti multitudini substituendæ valorem & præcellentiam.

§. 4. Hæc cum ex lumine naturali sint notissima, sanè inter creaturâs rationales extra divinas revelationes nobis nullæ occurrunt,

runt, quæ conditiones istas omnes adimplere queant: Non enim ex eâ classe nobis innotescunt ullæ præter Angelos & Homines.

1. Homines, ex communibus parentibus nobiscum nati, nihil horum præstare possunt; quia & simul rei sunt, suo nomine debitores; nec sui juris, adeoque de se nihil possunt disponere: multo minus requisitam dignitatem, ut sufficiens pretio valor addatur, in se continent: homo enim homini similis, unus tantum uni est æquiparandus. 2. Neque hic angelis ullus relinquatur locus, quippe qui etiam sui juris non sunt, nec sufficientis quoque valoris: præterquam nec quod illud inter illos & nos intercedat vinculum, ex quo tantus amor voluntarius derivari possit. Quare concludimus medium illud salutis, quo Deus salvis suis decentiis cum peccatore in gratiam redeat, quod requirit, ut justitiæ divinæ plenario fiat satis, lumini naturali planè impervium esse.

§. 5. Nec tamen inde confici potest, illam ipsam quam postulamus per dignissimum sponsores fieri satisfactionem, Deo esse impossibilem, & rem planè conclamata: quia eodem lumine naturali quoque notissimum est Deum propter infinitam suam perfectionem esse omnissufficientem; qui plura potest, quam nos attingimus, & plura in se ipso continet, quam finito nostro intellectu assequi possumus: quare axiomatis loco probè retinendum est: quod finitum infiniti non sit capax: ut proinde Deus, si velit, plura de se manifestare possit, quam quæ hætenus ex solâ ratione nobis sunt cognita.

### CAP. III.

*De Indagatione historicâ, traditiones de vero salutis medio examinante.*

#### SECTIO I.

*Inquirens, an Theologia Gentilium solidam salutis recuperandæ spem præbeat.*

§. I. **P**OSTQUAM hætenus vidimus plusquam probabiliter, velle Deum cum quibusdam peccatoribus in gratiam redire,

dire, aut non sine debitis ad legitimam reconciliationem requisitis, ac præprimis non sine justitiæ suæ vindicativæ assertione, cui per legitimum intercessorem & sponsores erat faciendum factis; neque etiam sine ingenuâ mentis repugnatione, quâ salvandus fiat Deo conformis. Indagandum nunc, an ullibi terrarum talis inveniatur religio, quæ istis requisitis ex ratione depromptis, ad amussim spondeat? Vidimus quidem istud medium, talemque inter nos & Deum mediatorem ex solo rationis lumine non posse erui. Aut fortè, quod rationi impervium est, alibi per revelationem divinam constat esse cum hominibus communicatum. Cum verò quæstio sic resolvatur in meram disquisitionem historicam, licet experimentum capere, inque eum finem totum perreptare orbem, ac circumspicere, num fortè ullibi gens occurrat, cui istam, quam quærimus, revelationem, principiis rationis consentaneam, verè è cælo fuisse communicatam, credere liceat?

§. 2. Nunc cum post totum peragratum orbem omnis religio detecta ad duo ferè revocari possit capita, ut alia sit gentilis, alia vero Mosaica; primò de religionibus gentium deliberandum; num in se veræ religionis *καθημερα* contineant? an secus? præprimis dum multæ earum revelationes crepent & oracula. Aut si rem omnem ex æquo atque ad sanæ rationis lancem expendamus, multa in religione gentium occurrunt notanda, quæ conscientia testimonio haud quaquam respondent; quoniam sive ad eorum, quibus innituntur, principium attendamus, sive quam de Deo & summo bono fovent doctrinam excutiamus, sive vias reunionis cum Deo, quibus tanto molimine & ostentatione insistant, accuratori examini subjiciamus, saltem ubique persplendet omnem eorum Theologiam esse *ματαιολογίαν*.

§. 3. Principium, quo utuntur, est, quod jactitent eorum proparentes se inter sese oracula habuisse, quæ cum ad interrogata responderent, modum cultus, quem observabant, Diis placuisse indicarunt. Verum, quam incertum & invalidum sit illud religionis principium, indè constat, quod ista oracula partim suâ vanitate corruant, partim de rebus minoris momenti respondentia, de cœlestibus & spiritualibus planè conticuerint. Ipsa, quæ

feruntur dedisse responsa, culpantur quoque ut dubia & in utramque partem intelligibilia, ut ne quidem prudentiores in illorum effatis acquieverint. Quædam etiam prodierunt ex locis ita compositis & adornatis, ut non caruerint suspitione: sc. maleferiatorum hominum artibus prolata fuisse, quæ illis adscribuntur. Quod multis in tractatu de oraculis D. van Dalen demonstravit. Licet etiam non negandum sit Diabolos, spiritus mendaces, humani generis seductores, quibusdam in locis responsa dedisse, & futura prædixisse. Conf. Mebium de oraculis. Non quod futura ex sese præcognoverint, sed aut ex causis secundis per probabiles conjecturas ejusmodi sequelas collegerint: aut rem alibi à Deo per prophetas ita prædictam fuisse tenuerint: ita enim ista simia Dei, non sine plagio, divina surripit Deo & imitatur. Cum igitur ea omnia, quæ gentes de oraculis Dei proferunt, subleità sint fidei, non est cur fidem nostram adeo vanis & fallacibus principiis substringamus.

§.4. Falsam autem & erroneam esse ac fuisse gentilium religionem, maximè aberrans eorum de Deo & rebus divinis doctrina evincit; quæ *ideam Dei*, omnibus innatam, multis modis destruit, 1. *Loco unius veri Dei polytheismum introducens*. Fateor quidem, prudentiores inter illos unum aliquem supremum Deum agnovisse, qui cæteris præcelleret: ast iidem ipsi tamen & alios innumeros coluerunt, ut regnum Dei inter ipsos divisum tenentes. Ut saltem in eo peccaverint, quod quæ in ideâ Dei veræ Deitati sint propria, ea transisse ad plures admittant, atque minoribus tribuant, quæ sine infinitæ naturæ possessione consistere nequeunt: hos enim adorantes supponunt illos esse omniscios, omnipotentes, ac liberrimos mundi dominos, res mundi, ipsis demandatas, pro lubitu & arbitrio suo, independenter administrantes. Cumque divisas suscepisse curas rerum finxerint, evitare non potuerunt, ut non inter eos aliquando dissidia fuisse orta statuant.

*Mulciber in Trojam, pro Troja stabat Apollo,  
Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.*

2. Accedit, quod ferè omnes in eo conveniant, ut Deum illum supremum tanquam otiosum, & semet curæ hujus mundi sub-

subtrahentem statuunt; qui mundi gubernationem aut diversorum curis mandavit, aut fato, fortunæve casibus relinquit, aut potius omnia negligendo malis genis, humano generi perpetua damna & mala intentantibus exposuit. Priores sibi crucem fingunt, dum anxie inquirendo, quibus rebus particularibus singuli Deorum reliquorum præfecti sint, nunquam ejus rei plenariam certitudinem sibi adsciscere possunt. Media sententia erat Stoicorum, fatum dogmatifantium, & Epicureorum, omnia ex fortuito rerum occursum suspendentium: quibus principium moralitatis est, quietem solum aut animi voluptatem sectandam esse. Mentem dicunt solum sibi esse malorum causam, quippe quæ nil cupiendo, nisi quod est in ejus potestate, sibi parcere possit: cæterum animum adversus omnia mala, morbos & dolores obfirmando curare debet, ut insensatus sit. Hi, dum Deum otiosum fingunt, in cap. de providentiâ Dei videre possunt, ut omnem ideam Dei impugnent. Ultimum hominum genus inter barbaras nationes in Africâ, Asiâ, & Americâ invenias. Harum gentium theoria est, Deum esse bonum, quem nullo cultu sibi ipsis clementiorem reddere possint. Sed cum humanum genus fingant à malis genis vexari, totus illorum cultus est averruncatorius, id curans, ut illos habeant placatos, ne pergant amplius insultationibus, damnorumque illationibus humanum genus turbare, & horridis terribilitatis esse molesti: undè in cultum inciderunt propudiosum, & gloriæ Dei quam maximè inimicum, cum lege naturæ jam traditâ aperto Marte pugnantem.

3. Tandem notamus illos subvertere simplicissimam Dei spiritualitatem & sanctitatem. *Spiritualitatem* Dei non castè conservarunt, dum Deos suos non solum fecerunt corporeos, sed & sub pictis, sculptis, fuscisque imaginibus, repræsentarunt; & mortuis vivisque corporibus alligarunt, quos in statuis, plantis & animalibus colendos proponunt. Quo cultu genere plurimum animis hunc de Deo conceptum ingenerarunt, ac si Dii essent mentes in corporibus habitantes. Omitto jam, quod se numinum præsentiam certis quibusdam consecrationibus advocare, eamque statuis suis ita illigare posse existimaverint, ut vel emigrando quidem ipsos deferere vix queant. Hinc Romani evocandi artes

exercuere, quibus majora spondendo, ut ad ipsos transmigrent, rogabant, & illorum patrociniū ab hostibus ad se derivare placidè somniabant. *Sanctitatem* Dei maximā deturbabant maculā, fingendo Deorum geneses, eosque utriusque sexus, adjicientes eorum connubia, incestus, stuprationes, & indè natas æmulationes, lites & tantum non pugnas. Hæc utramque apud Poëtas faciunt paginam præeuntibus Hesiodo & Orpheo. Talia autem in gentiliū, ac præsertim Græcorum & Romanorum religionibus perstrinxerunt viri inter antiquos Christianæ religionis defensores Justinus, Lactantius, Tertullianus, Arnobius, Minucius Felix, aliique cum notis variorum editi: atque inter primos legendus est Minucius cum notis Oisellii doctissimis.

§. 5. Nec minoris momenti est grandis ille Theologiæ gentiliæ error circa decentem conciliationis & restaurationis modum, qui peccatorem ad Deum reducat: 1. Gratiam enim divinam quærentes, eam haud purè quærent; omnia enim cultus Deorum instituta, quæ inculcant illi, spectabant solū ad quæstionem rerum externarum, quæ sunt hujus vitæ, & ferè solum in usum hujus corpusculi; dum de cœlestibus & spiritualibus minus sunt solliciti: ita quando respublica sub malis ingemiscebat gravioribus, & infortuniis, Deos cogitabant iratos, ipsis minus faventes, & in omnes horas mutabiles, ad averfationem malorum placandos: aut ad meliorem fortunam conciliandos. Mentem, quod attinet, eam Philosophi ut plurimum tanquam materialem concipiebant, sive ex aquâ, sive ex igne puriori constat, quæ cum corporis solutione evanescebat. Rari fuerunt, qui meliora cogitabant, animarum immortalitatem agnoscentes: ex his multi erant Pythagorici, nihil spei menti relinquentes post mortem, præter commodam metempsychosin, quâ pro malefactis poenæ loco migrarent ad bestias, pro benefactis ad Heroes, qui nascerentur. Soli Platonici animas à morte transferri aut in infernum cruciatuum, aut in campos Elysios, non nisi post purgatorii expurgationem adeundos, affirmabant.

2. Neque rectè statuebant de victimis piacularibus, & lotionibus externis: quasi istæ ad conciliationem, hæc ad animarum expurgationem omne requisitum adimplerent; castigavimus ea cap.  
præ-

præced. nec ipsi prudentiores inter eos in illis acquieverunt, ali-  
quando istorum mediorem vanitates & insufficientiam ridentes.

A. Victimam pecuinam explodebat Cato, ubi dicit:

*Cum sis ipse nocens, moritur cur victima pro te?*

Cumque nonnullæ gentes ad hostias humanas confugerent, qua-  
si convicti pretiosiori sanguine expianda esse crimina, ita insur-  
rexerit contra eas Virgilius:

*Mos fuit in populis, quos condidit advena Dido,  
Pescere cæde Deos veniam, & fragrantibus aris  
(Infandum diætu) parvos imponere natos.*

B. Lustrationes etiam ridebat Poëta, quas cecinit ut ad munus inva-  
lidas, dicens:

*Ab nimium faciles, qui tristia crimina cædis  
Tolli fluminea posse putatis aqua.*

3. Nec juvat Platoniorum ratiocinium tradens, animæ repur-  
gatione solâ peccatorem restitui & Deo ita assimilari, ut ei denuò  
placeat, & cum eo in gratiam redeat. Ad id enim requiritur, ut  
Deus hominem ad istam repurgationem totum transformet: ita  
enim per nativum pravitatis contagium humana indoles perversa  
est, & præjudiciis ac pravis affectibus imbuta, ut arduum illud  
opus illi nunquam placere possit, nisi auctor mentis eam totam  
immutet. Imò conscientia sibi malè conscia non satis fiduciæ  
habet redeundi ad Deum ut clementem cum peccatorum agnitio-  
ne & confessione coram Deo: quoniam ita agendo, in incorrupto  
judicis justitiam se non sentit ulterius profecisse, quam quod  
se reum stiterit contentem, ex lege puniendum.

## S E C T I O II.

*Inquirens, quo usque satisfaciatur religio Mosaica?*

S. I. VERUM est & alia religio, in voluminibus Mosis tradi-  
ta, quæ speciem refert religionis restitutæ, & à genti-  
lium corruptelis liberatæ, quam etiam unicè ex conscripto illo  
opere Mosaico cuilibet edificare licet, quod sub nomine penta-  
teuchi venit. Hunc librum tanquam divinum, & summæ aucto-  
ritatis



ritatis leges exhibentem adoptarunt *Judæi, Muhammedani & Christiani*, illum tamen diversis modis exponentes; atque sic diversitate sententiarum à se invicem dissentientes.

§. 2. In istius operis Mosaici examine, statim ferè attendenti occurrit, primarium scriptoris consilium fuisse, ut eam, quæ invaluerat, religionem mature à propudioso polytheismi dogmate liberaret, & cultum ab omni imaginum veneratione repurgaret: populum suum ad unius veri Dei, in spiritu colendi, cognitionem revocans. Hinc ante omnia curat, ut ideam Dei in solo Jehovah agnoscant, atque in ordine reipublicæ (legibus definito) Theocratiam istius veri Dei unice exosculentur. In legis istius compendio (quod cœlitus voce à Deo formatâ ad populum prolatum fuisse traditur) prioribus duobus præceptis prohibitis, statim cavetur, ut alterutrum crimen committant. Undè apud Judæos, Muhammedanos & genuinos Christianos tanta ab omni idololatriâ & iconolatriâ aversio est: quia etiam has leges rationi consentaneas inveniunt.

§. 3. Commendat se imprimis Pentateuchi scriptor, quod eleganter tradat rerum origines, peccati ortum & ingressum in orbem, ac apostasiæ, à veritate primigenia recedentis, multa & magna variis temporibus molimina, quæ antiquam fidem in pluribus corruperunt, & Deo plusquam semel reformationis necessitatem pepererunt. Quæ, cum in antiquissimo libro, ab auctore, non nimium à principio remoto, multis & evidentioribus rerum circumstantiis observatis, ita narrantur, ut ejus traditiones nec rationi nec experientiæ sint contrariæ: sed potiùs per reliquias vestigiorum in terris & populis confirmantur: statim se melioribus ingeniis commendant.

§. 4. Purioris doctrinæ nota est, quod discipulos, quos ad unius Dei cultum spiritualem reducere conatur, confirmet in doctrinâ de immortalitate animæ, & amicis Dei spem faciat vitæ futuræ: quam potissimum oppignoratam docet pignoribus terrestribus, ut divinæ benevolentiae speciminibus, inter quæ eminebat terra Canaan, hæreditatem supercœlestem picturæ instar delineantem, & obsignantem.

§. 5. Leges, quas præscripsit, quæque potissimum post historiam  
riam

riam originum rerum & electionis populi Judaici conficiunt argumentum librorum Mosaicorum, duplicis ferè sunt conditionis & classis: aliæ vulgo audiuntur *morales*, quas omnes invenias purissimas & irreprehensibiles, exactam sanctitatis normam referentes: quippe quæ non tantum cum omni conscientiæ dictaminibus in lege naturæ suo loco collectis exactè consentiunt: verum etiam vitia humani generis radicè extirpant, dum vel ipsam concupiscentiam procribunt, ut ita vitia in herbâ opprimantur. Adde, quod & omnia officia humana ad duo capita generalia revocet Moses, jubens *Deum amare ante omnia toto corde, totâ animâ & omnibus viribus; proximum autem diligere sicuti nos ipsos*: quibus nihil plus ad intrinsecam morum sanctitatem facere potest, aut concipi.

Aliæ autem *leges dogmaticæ* dicuntur, pro arbitrio legislatoris ob causas domesticas superadditæ, dum forma reipublicæ, quam Deus dicitur ipse præformasse, unicè *theocratiam* referebat. Hæ spectabant potissimum politiam populi ingenio accommodatam, nec non ritualia cultus publici exterioris: atque ita formabant prudentem populi disciplinam, quâ ille in officio contineatur. Quæ solennitatem cultus exterioris spectant, illa Deum in tabernaculo, tanquam Regem in Palatio & Ducem in Prætorio suo, quem non sine muneribus adire licuit, repræsentabant. Fateor, eandem legem ritualem etiam victimas præscripsisse piaculares quasi ad remissionem peccatorum, & lotiones externas tanquam ad puritatem requisitam facientes: quas ambas in theologiâ gentilium ut minis rationi consentaneas notavimus. Verum sunt inter Moses interpretes, qui negant ea præcepta in eum finem data esse, ut per eorum observantiam vivant: sine fide enim & respicientiâ nequaquam placasse Deum: sed solum figuras continuisse, melioris placamenti indices. Hinc Moses ipse Deum celebrat utriusque beneficii, justificationis ex fide, & sanctificationis auctorem: & utriusque exemplum in Abrahamo proposuit.

§. 6. Est & alius in doctrinâ Moses articulus de *redemptore* futuro, cujus spem facit, ut rei maximæ; hunc alibi describit, ut salutis & omnis benedictionis fontem, qui serpenti seductori caput contereret, sed non sine contritione calcanei. Hinc conveniunt characteres sponsoris supra cap. 21. recensiti. Homo enim  
fo-

foret ex hominibus, quia semen mulieris, imo ex Abrahami lineâ per Isaacum, Jacobum & Judam descendente, sub finem reipublicæ per Moſem delineatæ oriundus, quæ præamplum ſuſciperet imperium, etiam cum ſubjectione populorum, & in quo gentes benedicerentur. Huic ſuperaddit aliud magnum myſterium de *legato quodam Dei*, qui erat ipſe cum legante Deus. Hunc profitebatur Jacob Patriarcha legatum, qui ipſum aſſerebat ab omni malo, & omnium benedictionum fontem ac adminiſtratorem, quas rogabat pro filiis. Apud Moſem, in ipſo libro fœderis, proponitur ut legatus Dei, in cujus medio erat nomen Dei, ex cujus arbitrio remiſſionis gratia penderet, & pœnarum ſeveritas in tranſgreſſores: quique ut Dux populi in ſymbolis præſentiæ divinæ ſpectandus erat, & ejuſdem deſenſor potentiſſimus. Quare hic ipſe proponitur, ut futurus homo & magnus ille populi redemptor, qui in carne ſuo tempore populum ſuum viſitaret, in ejus medio habitaret, terramquæ pedibus obambulare, quando ad exoptatum illud & arcanum redemptionis opus ſe accingeret; ut hic videas mediatorum, qui graviffimo requiſito, juxta quod ſoſpitor præter hominem & Deus eſſe debeat, plane reſpondet: ſicuti cum ut rupem ſalutis noſtræ celebrat & amplius deſcribit Moſes in ultimo ſuo cantico.

§. 7. Accepit etiam iſte Moſes poſt fata ſua multos nobiliſſimos traditæ à ſe religionis deſenſores & interpretes, qui variis etiam ſcriptis voluminibus inclaruerunt, ac in gente ſuâ pro prophetis & viris divinitus inſpiratis habiti fuerunt, ne latum quidem unguem ab ejus dogmatibus recedentes: quorum (exceptis tantum Samaritanis) apud omnes qui Moſem recipiunt, etiam ſumma conſtat auctoritas.

## SUBSECTIO I.

### *De Hodiernâ Judæorum religione.*

§. I. **N**UM Judæi hodierni fideles ſint iſtius doctrinæ Moſaicæ interpretes, & religionem tradant cum religione naturali conſentaneam, inquirendum nunc eſt; atque notandum eos à mul-

multis seculis eo loco esse constitutos, ubi cultum Mosaicum observare non possunt, destituti altari, sacerdotibus, victimis, & oblationibus, lege Mosaica præscriptis; adeo ut viam salutis immutare coacti fuerint, atque ita à religionis Mosaicæ observantia recessisse putandi sint.

§. 2. Nec dubium, quin in multis à puritate doctrinæ Mosaicæ recesserint. *a.* *Traditiones* enim verbo scripto adjicientes, innumera figmenta & fabulas satis putidas sub nomine & prætextu *traditionum seniorum* in fidem & religionis observantiam intulerunt, Deique institutis, lege comprehensis, prætulerunt.

*β.* In varias sectas abeuntes, *Sadducei* omnem seculi futuri spem metumque sustulerunt. *Pharizæi* autem legem justitiæ depravarunt, omnem sensum spiritualem glossematibus suis pervertendo, & ad justitiæ propriæ formam rapiendo: dum omnem rationem adventus Christi, patribus promissi, tollentes, totum promissionis beneficium intra reipublicæ fortunam coarctant. Excidit itaque ex eorum theologiâ summum religionis Mosaicæ fundamentum, *gratuita peccatoris coram Deo justificatio*, nec non *miseriæ naturalis justa agnitio*: dum se viribus ad obedientiam Deo præstandam idoneis naturaliter instructos constanter gloriantur: totamque peccatorum expiationem partim sacrificiis legalibus, partim propriis meritis & perpeffionibus, seu corporis afflictionibus assignant: nil aliud de iis ac gentiles sentientes. Cumque hinc à legitimo sacrificiorum usu à tot seculis fuerint depulsi, eo usque abrepfit eos infania, ut moribundi clament, *sit mors mea expiatio cunctarum mearum transgressionum*: quasi pœna peccati possit esse expiatio peccati.

*γ.* Regnum Christi, in tempore prædicatum, sed minus consentaneum suis præjudiciis, spreverunt: atque paulò post sedibus suis excussi miserè oberrant, notas irati numinis palàm circumferentes.

§. 3. Accedit, quod eam defectionem comitata sit ultima morum corruptio, ut nota ablati ab ipsis Spiritus Dei: describuntur enim à Josepho sub gentis excidio non ut homines, sed hominum monstra; adeò ut totus populus pœnè in omne scelus projectissimus & flagitiis perditus ultimam sibi ruinam acceleraverit.

## SUBSECTIO II.

*De Religione Muhammedanorum.*

§. I. **R**ELIGIO Muhammedana post Mosaicam & Christianam nata, authorem habuit Muhammedem, hominem Arabem, qui seculo septimo caput extulit: atque propheta videri voluit. Consilium hominis fuit, sublatis ex theologia mysteriis, aliquam condere religionem, theologiam naturalem quoad dogmata fidei non excedentem: unde ferè ad modum Socini gratiam introducit, quæ per acceptilationem opera hominum imperfecta admittit pro perfectis, atque religiosos ex placito justificat. Principium religionis mutavit, legi & Euangelio *Alcoranum* substituens; quod factu necessarium ex hoc fonte obtendit, quia utrumque Testamentum ita fuisse corruptum asseverat, ut ad errorum correctiones post Mosen & Christum ipse tertius Legatus à Deo mittendus fuerit, qui credenda & facienda ab ovo, novâque methodo, conscriberet: cui operi titulus impositus est *Alcorani*, postea novæ religionis factum principium & fundamentum.

§. 2. Ast *Alcoranum* sublestæ fidei esse opus, ex multis indiciis colligunt, qui librum hunc examini accuratiori subjiunt. 1. Quia hominis est impuri, polygami, aliisque vitiis notati, novâ arte ad imperium adspirantis. 2. Farrago est historiarum V. & N. T. quæ multis modis truncatæ & fabulis auctæ ibi traduntur: ut sorrex se suo prodat indicio. 3. Et licet elegantîâ styli non destituatur, totum tamen calx sine arenâ est, ænigmata continens ipsis Arabibus ἀδιάλυτα. 4. Res ipsæ quoque ibi pertractatæ sunt depravatæ carni accommodatæ. 5. Imò post mortem Muhammedis ex disjectis & ferè corrosis scedis collectum est illud opusculum: ut merito de integritate ejus dubitare liceat.

§. 3. Præprimis religio Muhammedica culpanda est, quod satisfactionem, justitiæ divinæ ἐνδειξιὺν postulantiem, rejecerit contra legem & Euangelium, & multa nugatoria substituerit. Quibus adde, quod paradisum nescio in quod voluptatum receptaculum mutaverit, quasi Veneris & Bacchi foret hospitium.

§. 4. Imprimis superstruxit hanc suam religionem falsæ accusationi

tioni de corruptis utriusque Testamenti libris, ne ad istum lapidem lydium explorare sustineat. Quis miseram istam rerum farraginem & rhapsodiam, credens enim Mosē & Christum fuisse veros fidosque Dei legatos, non potuit effugere? ut quis suum Alcoranum ad eorum doctrinam expendat: nisi ad hoc asylum confugiat, sc. eorum scripta non amplius extare integra. Quā hypothēsi subversā ruit quicquid ei superstruitur spontē. Ast cum illa quæstio ad theologiam revelatam, & principii ejus discussionem pertineat, ad istum locum hujus causæ disceptationem differimus.

S U B S E C T I O III.

*De Religione Christianâ.*

§. I. **R**ESTANT Christiani, qui Jesum, Mariæ filium, profitentur esse Christum; undè & Christiani dicti: Christum cum suis Apostolis. credentes fuisse veros religionis Mosaicæ interpretes: atque eundem esse Sospitatorem humani generis unicum & solum, in quo omnes veri sponsoris & redemptoris notæ atque conditiones plenariò inveniuntur, quæ cap. 2. ut requisita desideratæ satisfactionis & purificationis postulabantur. Cæterum legem naturalem, ut vitæ corrigendæ normam, puram & immaculatam retinet & inculcat: spem vitæ futuræ, post mortem obtinendæ, multis urget, & spondet verè in Christum credentibus & ad sanctioris vitæ studium conversis, credens remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternam: nihil reclamante theologiâ naturali, & omnia ista repetente ex theologiâ Mosaicâ, per Prophetas expositâ.

§. 2. Articulum illum Theologiæ Propheticæ, quem Moses & Prophetæ de Christo redemptore venturo tradunt, ita tradunt Christiani doctores primi in Jesu Mariæ filio adimpletum, ut nihil in eo desiderari asserant: quem in finem historiam, quam vocant Evangelicam (seu potius *Euangelium*) à quatuor viris singularibus accuratè descriptam cum toto orbe communicant: ac singula cum Mosè & Prophetis conferunt, ut spei factæ omnia consentanea esse demonstrant. Præprimis historiam passionum

num ejus, & exaltationis plurimis prosequuntur, ut eum tanquam sponforem nostrum peccata nostra tulisse, ita salutem nobis impetrando intelligamus, cum istas passiones subiit; & ut eum exaltatum esse ad salutis impetratæ executionem & applicationem nullus dubitaret.

§. 3. Ut autem egerint legum dogmaticarum ac præcipuè ritualium interpretes, ex Apostolorum actis & scriptis constat; ubi asserunt sacrificia & lotiones tantùm fuisse ad tempus expectationis instituta, & ad professionem necessariæ satisfactionis exacta: ut speciem habuerint chirographi, quo debita non expungebantur, sed potius agnita fuerunt; quod erat disciplinæ istius temporis, pædagogi instar suos ducentis ad Christum; quem venturum cum vero piaculo & lavacro obsignabant; ut finis legis esset Christus, & umbras referret veri corporis. Hinc sequitur eos abrogationem legum dogmaticarum non introduxisse contra Moysen, sed ex mente & intentione Moysi.

§. 4. Verùm cum inter hæc judicium interponere pendeat ab examine divinitatis librorum Mosaicorum cum eorundem interpretationibus: nec non historiæ Euangelicæ cum suis appendicibus: nihil restat, quam ut *contra Gentes* criteria divinitatis Librorum V. T. *contra Judæos* divinam auctoritatem Librorum N. T. *contra Muhammedanos* autem utriusque codicis intemeratam conservationem adstruamus fortiter: quod quoniam ad Theologiæ Revelatæ principium asserendum pertineat, nos lectores nostros eo remittimus, contenti eos ad eum perduxisse Theologiæ Naturalis terminum, ubi per præparationem Euangelicam se in lumine Theologiæ Revelatæ constitutos vident: quare hic subsistimus.

F I N I S.

THEO-

# THEOLOGIÆ NATURALIS

## INDEX RERUM.

### A.

**A**ctus Religionis naturalis sunt  
cognitio. p. 2. amor & cul-  
tus. 4.

Æternitas Dei. 26, 27, 28, 29.

Alcorani brevis idea. 157.

Aristoteles refutatur. 85.

Attributa essentiae. 15. existentiae  
25. & Vitae Dei. 32.

### B.

Bonitas Dei. 60, 61.

### C.

Calumnia. 120.

Castitas. III. & IIII.

Certitudo rationis. 9, 10, 11.

Charitas proximi. 120. & seqq.

Christianæ Religionis articuli non-  
nulli. 155.

Conscientia quid. 10.

---- an errans? 10, 11.

Conservatio mundi. 89.

Corruptio rationis quousque tra-  
henda. 10.

Corruptio humana & universalis.

135.

Creatio. 82.

### D.

Decretum Dei. 76.

definitur. 77.

dividitur in decretum quoad  
speciem. ibid.

& quoad exercitium rerum. 78.

inquiritur an decretum sit ipse

Deus. 79.

Dependentia hominis a Deo in fie-

ri, esse & agere. 96. & seqq.

Deus est. 5.

& incorporeus. 34.

adeoque invisibilis. 38.

impalpabilis. ibid.

ineffigiabilis. ibid.

& immobilis. ibid.

Dominium Dei. 55, 56.

### E.

Epicurica opinio de origine mundi

refutatur. 86.



# INDEX RERUM.

*ut & de gubernatione mundi.* 92.  
*de vita aeterna.* 124.  
*Existentia Dei est necessaria* 5. &  
 25.

## F.

*Fatum Stoicum.* 81.  
*Fidelitas Dei.* 60.  
*Furtum.* 119.  
*Futuritio rerum.* 79, 80.

## G.

*Gentilium religio falsa.* 146, 147,  
 148.  
*Gratia Dei.* 62.

## H.

*Honor parentibus aliisque debitus.*  
 115.

## I.

*Idea Dei est innata.* 6.  
*ex innata fluit acquisita.* *ibid.*  
*Immortalitas animæ.* 7. & 124.  
 & *seqq.*  
*Immutabilitas supremi Entis.* 19.  
*impossibilis.* *ibid.* & 20.  
*Incomprehensibilitas Dei.* 31.

*Independentia supremi Entis.* 15,  
 16.

*Indifferentia libertatis Dei.* 49.

*Infinitas supremi Entis.* 17.

*Intellectus Dei.* 38, 39.

*ejus objectum est duplex.* 40.

*ejus proprietates.* 43.

*Iustitia Dei.* 65

*variæ ejus distinctiones.* *ibid.*

*Iustitia ejusque præcepta.* 116.

& *seqq.*

## L.

*Lex Dei quid.* 99.

*alia naturalis, alia revelata.*

100.

*Libertas humana.* 92, 93.

*Longanimitas Dei.* 62.

## M.

*Materia prima.* 85.

*Misericordia Dei.* 62

*Motus & motor primus.* 84.

*Muhammed quis?* 154.

*author Religionis Muhamme-*  
*danæ.* *ibid.*

## N.

*Natura Dei quid.* 14.

*Naturalis Theologia inquiritur*  
*quid sit ex Etymo.* 1.

*an*

# I N D E X R E R U M.

*an detur. ibid.*  
*quomodo definiatur. 2.*  
*circa quæ versetur. ibid.*

## O.

*Officia hominis erga Deum. 102.*  
*Et seqq.*

*quæ omnia comprehenduntur*  
*sub nomine Pietatis. ibid.*

--- *hominis erga se ipsum. 105.*  
*Et seqq.*

*quæ omnia nomine Temperan-*  
*tiæ includuntur. 108.*

--- *hominis erga Socios. 113.*  
*Et seqq.*

*comprehensa nomine justitiæ Et*  
*amoris. 116.*

*Omnipotentia Dei. 52.*

*variæ distinctiones. 53.*

*Omnipræsentia Dei. 29. 30.*

*Omniscientia Dei. 41.*

## P.

*Passionum moderatio. 110.*

*Peccatum quid. 132.*

*ejus ingressio in mundum. 134.*

*reatus. 136.*

*macula. 137.*

*pœna. 138.*

*Peccati impunitas. 65, 67, 68.*

*Polytheismus gentilium refutatus.*

*70, 71, 72, 73, 74.*

*Possibilitas conciliationis Dei cum*  
*peccatore. 139. Et seqq.*

*Possibilitas rerum. 54. 81.*

*Potestas Regum Et c. est a Deo. 75.*

*Præscientia Dei. 42.*

*Principium Theologiæ naturalis. 8.*

*Providentia Dei. 88. Et seqq.*

*Pudicitia. 118.*

## R.

*Ratio; quænam recta dicenda. 8.*  
*ejus actiones. 9.*

*Religio Mosaica. 149. Et seqq.*

*Religio Judaica hodierna. 152.*  
*Et seqq.*

*Religionis Naturalis definitio. 2.*  
*definitionis explicatio per par-*  
*tes. 3. 4.*

*Requisita reconciliationis cum*  
*Deo. 140. Et seqq.*

## S.

*Sanctitas Dei. 62.*

*est Naturalis Deo. 63.*

*Sectæ variæ Judæorum. 153.*

*Simplicitas supremi Entis. 21,*  
*22, 23, 24.*

*Sobrietas. 109.*

*Spes vitæ melioris. 124. Et seqq.*

*Spinosa refutatur. 22, 34, 39,*  
*45, 69, 82.*

*Subordinatio inter homines. 115.*

*Tem-*

# INDEX RERUM.

## T.


*Temperantia.* 108.  
*ejus leges.* *ibid.* & *seq.*  
*Traditiones Judæorum.* 153.

## V.

*Vita Dei quid sit.* 32, 33, 34.

*Veritas Dei.* 58, 59.  
*Voluntas Dei.* 44.  
*ejus objectum.* 45.  
*distinctiones varie.* 47, 48.  
*ut & proprietates.* 48. & *seqq.*  
*Vorstius (Conradus) refutatus.* 18,  
24, 30.  
*Unio mentis cum corpore.* 6. &  
*seqq.*  
*Unitas Dei.* 68, 69, 70.

THEO-



# COMPENDIUM THEOLOGICÆ REVELATÆ.

## PRÆLIMINARIA.

Theologiam tradituri, omnia eò spectantia commodè comprehendimus sub titulis PRINCIPII, BONI SUMMI OBLATI, & MEDIORUM, ad istius boni communionem ducentium.

## QUOAD PRINCIPIMUM.

### CAPUT I.

#### *De Theologia ejusque Principio.*



THEOLOGIA consideranda est

I. QUOAD ETYMON, secundùm quod dicit λόγον ἔθει. Vocabulum est ἄγγελον, nisi quòd ejus principium vocitetur λόγια ἔθει, Rom. 3. 2. translatum autem est & mutuatum à Gentilibus, qui sermonem de Diis Theologiam vocitarunt: quùmque hanc doctrinam non eodem modo traderent; φυ(ικὴν appellabant ratiocinia *philosophorum*; μυθικὴν *parabolicas* & fabulosas traditiones

(A)

ροῖ-

2 DE THEOL. EJUSQUE PRINCIPIO. Cap. I.

*πολιτικῶν*, *πολιτικῶν* legislationes & traditiones *sacerdotum*. Hæc translatio obtinuit seculo secundo: etenim quod Johannes *θεόλογος* vocetur, hoc factum aliam ob causam; quia *λόγον* asseruit esse *θεῶν*, Joh. 1. 1. & Apoc. 19. 13. dicit: *ἔσ' ὁνομαζομενον* ejus scil. Christi, *ὁ λόγος* ἔσ' *θεῶν*.

II. QUO AD REM IPSAM, eleganter describit *θεολογίαν* Cl. Coccejus, esse sermonem de Deo, ex Deo, coram Deo, & ad Deum: *de Deo*: quoniam Deum habet objectum, quod tradit ut summum bonum, ducemque viæ perveniendi ad ejus communionem: *ex Deo*, id est, ex revelatione Dei: *coram Deo*, quippe continet sermones in timore Dei proponendos: & *ad Deum*, id est, ad gloriam Dei propagandam.

8. Discrimen itaque hujus disciplinæ ab omnibus aliis fundatur in objecto; sola enim Theologia Deum habet objectum, quatenus concipitur ut bonum communicabile, atque sic etiam ante omnia desiderabile.

3. Dividitur autem variè, & quidem

α. RESPECTU SUBJECTORUM, disciplinam illam recipientium, quæ pro diversitate capacitatis plus aut minus ejus rei recipiunt; juxta moderamen divini decreti; unde ARCHETYPÆ dicitur, quatenus aliquid Deus de se revelare decrevit, *quæ est sapientia DEI in mysterio revelata; quam prædefiniuit Deus ante secula*, 1 Cor. 2. 7. ECTYPÆ autem, quicquid secundum illud exemplar exprimit: Mensura autem cognitionis, quam Christus recipit ex revelatione inhabitantis Deitatis, Theologia UNIONIS appellatur. Quam glorificati in caelis recipiunt, VISIONIS, *quoniam ibi per aspectum ambulabimus*, 2 Cor. 5. 7. Quam vero in terris viatores obtinent, VIATORUM, aut potius FIDEI vocatur, *quia per fidem hic ambulamus*, 2 Cor. 5. 7. quicquid enim hi resciscunt, ex testimonio hauriunt.

β. RESPECTU MODI TRADENDI, in POSITIVAM & SCHOLASTICAM dividere solent.

γ. RESPECTU PARTIUM in THEORETICAM & PRACTICAM, dum una pars NOTITIAM FIDEI, quæ *accedentem ad Deum credere oportet, quod Deus sit, ἔσ' quærentibus fiat* *μωθαποδότης*,

Heb.

**Cap. I. DE THOEL. EJUSQUE PRINCIPIO. 3**

Heb. II. 6. Altera OBEDIENTIAM CHARITATIS respicit.

1. Joh. 3. 23. *Hec est ejus doctrina, ut credamus nomini filii ejus, Jesu Christi; & diligamus alii alios, adde 2 Tim. I. 13.*

δ. RESPECTU PRINCIPIORUM, ex quibus aliqua Theologiæ hujus cognitio derivatur, est

**AA. NATURALIS**, ex solâ ratione deducens τὸ γνωστὸν ἃ τὸ κρυπτόν  
ἔ θεῶν: hujus notentur

**I. Existentia**, contra Socinum eam negantem, & ex solâ traditione derivantem, quæ

**a. Probatur**

**a.** Ex dictis Sacræ Script. Rom. 1. 19. τὸ γνωστὸν ἔ θεῶν φανερόν ἐστιν τοῖς αὐτοῖς, *Deus enim iis manifestum fecit. & Rom. 2. 14.*

15. *Gentes ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.*

**b.** Ex consensu omnium gentium.

**β.** Defenditur adversus objectiones, desumptas

**aa.** Ex locis. Ps. 14. 1. *Status dicit in corde suo: אלהים אין, non est DEUS. Hebr. II. 6.*

**bb.** Ex allegatione quarundam Gentium, quæ visæ fuerunt religione destitutæ.

**II. CONVENIENTIA CUM VERITATE REVELATA**, quam defendimus contra Lutheranos, revelationes rationi contradictorias statuentes; II. ψ. Ut vim argumentorum ex ratione desumptorum effugiant, quæ adversus consubstantiationem & alia dogmata objiciuntur.

**a. Probatur sententia orthodoxa**

**a.** Ex æterna & immutabili natura veritatis, quæ non patitur, ut veritas veritati sit contraria, quippè fundata in ipso DEO.

**b.** Ex encomiis veritatum revelatarum, quæ vocantur modò λογικὸν ἄδολον γάλα, 1 Pct. 2. 2. modò λογικὴ λατρεία, Rom. 12. 1.

**β.** Vindicatur adversus objectiones, ex Col. 2. 8. *videte, ne quis sit, qui vos prædæ instar abripiat per philosophiam & inanem deceptionem secundum traditionem hominum.* Adde 1. Cor. 2: 14.

**III. INSUFFICIENTIA ad salutem**, quam contra Pelagianos & Libertinos defendimus: II. ψ. communis bonitas DEI omnibus

(A 2)

nibus

2 DE THEOL. EJUSQUE PRINCIPIO. Cap. I.

*poëtarum*; πολιτικῶν *legislationes & traditiones sacerdotum*. Hæc translatio obtinuit seculo secundo: etenim quod Johannes θεόλογος vocetur, hoc factum aliam ob causam; quia λόγον asseruit esse θεόν, Joh. 1. 1. & Apoc. 19. 13. dicit: *ἔστιν ὁ λόγος* & θεός. *ἔστιν ὁ λόγος* scil. Christi, ὁ λόγος ἔστιν θεός.

II. QUO AD REM IPSAM, eleganter describit θεολογίαν Cl. Coccejus, esse sermonem de Deo, ex Deo, coram Deo, & ad Deum: *de Deo*: quoniam Deum habet objectum, quod tradit ut summum bonum, ducemque viæ perveniendi ad ejus communionem: *ex Deo*, id est, ex revelatione Dei: *coram Deo*, quippe continet sermones in timore Dei proponendos: & *ad Deum*, id est, ad gloriam Dei propagandam.

8. Discrimen itaque hujus disciplinæ ab omnibus aliis fundatur in objecto; sola enim Theologia Deum habet objectum, quatenus concipitur ut bonum communicabile, atque sic etiam ante omnia desiderabile.

3. Dividitur autem variè, & quidem

α. RESPECTU SUBJECTORUM, disciplinam illam recipientium, quæ pro diversitate capacitatis plus aut minus ejus rei recipiunt; juxta moderamen divini decreti; utidè ARCHETYPΑ dicitur, quatenus aliquid Deus de se revelare decrevit, *quæ est sapientia DEI in mysterio revelata; quam prædefiniuit Deus ante secula*, 1 Cor. 2. 7. ECTYPA autem, quicquid secundum illud exemplar exprimit: Mensura autem cognitionis, quam Christus recipit ex revelatione inhabitantis Deitatis, Theologia UNIONIS appellatur. Quam glorificati in cœlis recipiunt, VISIONIS, *quoniam ibi per aspectum ambulabimus*, 2 Cor. 5. 7. Quam vero in terris viatores obtinent, VIATORUM, aut potius FIDEI vocatur, *quia per fidem hic ambulamus*, 2 Cor. 5. 7. quicquid enim hi resciscunt, ex testimonio hauriunt.

β. RESPECTU MODI TRADENDI, in POSITIVAM & SCHOLASTICAM dividere solent.

γ. RESPECTU PARTIUM in THEORETICAM & PRACTICAM, dum una pars NOTITIAM FIDEI, quâ *accedentem ad Deum credere oportet, quod Deus sit, & querentibus fiat μισθωποδότης*, Heb.

Cap. I. DE THOEL. EJUSQUE PRINCIPIO. 3

Heb. 11. 6. Altera OBEDIENTIAM CHARITATIS respicit.

1. Joh. 3. 23. *Hec est ejus doctrina, ut credamus nomini filii ejus, Jesu Christi; & diligamus alii alios, adde 2 Tim. 1. 13.*

δ. RESPECTU PRINCIPIORUM, ex quibus aliqua Theologiae hujus cognitio derivatur, est

AA. NATURALIS, ex solâ ratione deducens τὸ γνωσὶν ἃ θεῶν ἔ φανερόν ἔ θεῶν: hujus notentur

I. *Existencia*, contra Socinum eam negantem, & ex solâ traditione derivantem, quæ

a. Probatur

a. Ex dictis Sacræ Script. Rom. 1. 19. τὸ γνωσὶν ἃ θεῶν φανερόν ἐστὶν ἐν αὐτοῖς, *Deus enim iis manifestum fecit.* & Rom. 2. 14. 15. *Gentes ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.*

b. Ex consensu omnium gentium.

β. Defenditur adversus objectiones, desumptas

aa. Ex locis. Pf. 14. 1. *Stultus dicit in corde suo: אלהים אין, non est DEUS.* Hebr. 11. 6.

bb. Ex allegatione quarundam Gentium, quæ visæ fuerunt religione destitutæ.

II. CONVENIENTIA CUM VERITATE REVELATA, quam defendimus contra Lutheranos, revelationes rationi contradictorias statuentes; II. ψ. Ut vim argumentorum ex ratione desumptorum effugiant, quæ adversus consubstantiationem & alia dogmata objiciuntur.

a. Probatur sententia orthodoxa

a. Ex æterna & immutabili natura veritatis, quæ non patitur, ut veritas veritati sit contraria, quippè fundata in ipso DEO.

b. Ex encomiis veritatum revelatarum, quæ vocantur modò λογικὸν ἀδολον γὰρα, 1 Pet. 2. 2. modò λογικὴ λατρεία, Rom. 12. 1.

β. Vindicatur adversus objectiones, ex Col. 2. 8. *videte, ne quis sit, qui vos prædæ instar abripiat per philosophiam & inanem deceptionem secundum traditionem hominum.* Adde 1. Cor. 2: 14.

III. INSUFFICIENTIA ad salutem, quam contra Pelagianos & Libertinos defendimus: II. ψ. communis bonitas DEI omnibus

(A 2)

nibus



nibus & singulis gratiam æqualiter offerentis.

**a.** Defenditur sententia orthodoxa

**a.** Ex necessitate fidei: Heb. 11. 6. *absque fide est impossibile Deo placere.* Ephes. 4. 5. quæ tamen non est *omnium*, 2 Theff. 3. 2. sed *Electorum Dei*, Tit. 1. 1.

**b.** Ex necessaria cognitione Christi ad salutem requisita: Joh. 14. 6. ubi vocatur *via*: & Act. 4. 12. *dicitur in nullo alio salus*: quam viam tamen Theologia naturalis non tradit.

**c.** Ex necessaria cognitione veræ justitiæ, *quæ quum non sit propria hominum, sed justitia Dei*, Rom. 10. 3. sc. imputata, sine revelatione consilii gratiæ Dei cognosci non potest.

**β.** Vindicatur contra objectiones.

**a.** Ex locis Rom. 1. 19. 20. Rom. 2. 14. Act. 10. 34. 35. ubi dicit Petrus: *In veritate comperio, DEUM non accipere personam, sed in quavis gente acceptum ei esse, qui eum timeat, & operetur justitiam.*

**b.** Ex exemplis eorum, qui ante auditum Evangelium Deo placuisse dicuntur, ut Cornelius Act. 10. 2, 3, 4.

**BB.** SUPERNATURALIS haurienda ex revelatione seu Verbo Dei, cujus revelationis consideramus

**I.** MODOS, ut revelatio alia fit

**a.** EXTRAORDINARIA Prophetarum & virorum Θεοπνεύτων, qui mentem Dei hauriebant, cum per illuminationem intellectus conjunctam cum repræsentamine rerum intellectuali. 2. Tim. 3. 16. tum etiam per repræsentamina sensibus externis objecta, quorum spectant VISIONES: Exod. 3. 2. ubi Angelus Jehovah in rubo ardente apparuit Mosis. APPARITIONES ANGELICÆ, ut *Angelus Gabriel apparuit Danieli*, Dan. 9. 21, 22. ALLOQUIA DIVINA, ut idem Angelus locutus dicitur Danieli, & *allocutus fuit Moysen ore in os*, Num. 12. 8. adde repræsentamina PHANTASIÆ impressa, ut fieri solet in INSOMNIIS. c. gr. Josephi, Gen. 37. 5-15. Singularis etiam modus est, qui fit per ECSTASIN & RAPTUM, ut Pauli, Act. 22. 17.

**b.** ORDINARIA, quæ fit per verbum a Prophetis denunciatum, & per modum testimonii ad fidem prolatum, Rom. 10.

Cap. I. DE THEOL. EJUSQUE PRINCIPIO. 5

14. *quomodo credent de quo non audierunt? quomodo autem audient absque predicatione?*

II. NECESSITATEM, ita hoc verbum revelationis concipitur ut necessarium.

a. Quia mysteria fidei naturâ non sunt cognita: atque adè modus conciliandi peccatorem cum Deo rationi est imperscrutabilis.

b. Quia ab arbitrio Dei dependet velle cum peccatore redire in gratiam; de quâ voluntate nemo, nisi per testimonium coelitus allatum, certus esse potest.

1. Objectum Theologiæ.

a. DENOMINATIONIS est Deus, agnoscendus & colendus; seu ipsa religio; ubi inquiritur.

aa. An Theologia Reformatorum sit merè speculativa? ut calumniantur Remonst. II. ψ. quia Deum in doctrina gratiæ concipimus ut efficaciter operantem, unde colligunt, nobis otiaandum esse. Conclusionis absurditas patet,

1. Quia nostras operationes ex gratia Dei efficaci derivamus, non autem per illam tollimus. Phil. 2. ubi postquam Apostolus dixisset v. 12. *operamini vestram salutem cum timore & tremore*, statim v. 13. subjungit efficacem hanc Dei gratiam, dicens: *DEUS enim est, qui efficit in vobis & velle & perficere.*

2. Quia beneficia gratiæ concipimus ut obligatoria, convenienter S. Scripturæ. Tit. 2. II. 12. *Illuxit gratia illa DEI salutifera omnibus hominibus, ut abnegatâ impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter, & justè & piè vivamus in præsentī seculo.*

bb. An Theologia sit disciplina *theoretica*, num *practica*? quæ quæstio ex anteriori nata est: asserimus *practicam* esse.

a. Quia Deus objectum Theologiæ est, non ut absolute consideratus sed relative, quatenus est Deus fœderatus, & juxta fœdus colendus.

b. Quia Deus proponitur ut summum bonum ad beatam communionem quærendum: Cæterum tradit Theologia regulas & media ad hoc summum bonum ducentia, quæ conditio

(A 3)

ad

6 DE THEOL. EJUSQUE PRINCIPIO. Cap. I.

ad disciplinam practicam sufficit:

b. DIRECTIONIS, est totus homo dirigendus in via perveniendi ad communionem Dei. I Theff. 5. 23. *Deus pacis vos sanctificet totos in corpore, anima & spiritu ad adventum Christi.*

7. Subjectum disciplinam hanc recipiens est iterum homo, consideratus ut instituendus & erudiendus,

a. PRIMARIO tantum ad electos pertinet; *Vobis datum est nosse mysteria regni caelorum, non autem illis datum est, Matth. 13.*

II.

b. SECUNDARIO ad quoscunque etiam extrinsecus vocatos: Heb.

6. 4-7. &c.

Π. FINIS PRIMARIUS, est Gloria Dei. Rom. 11. 36. *Nam ex eo & per eum, & in ipsum sunt omnia, ipsi fit gloria in secula, Amen.* SECUNDARIUS, hominum beatitudo. Joh. 20. 31. *Hæc scripta sunt, ut credatis Jesum esse Christum filium DEI, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus.*

CAP. II.

De Religione.

RELIGIONIS INQUIRITUS.

A. NOMEN; quod optimè à religando derivatur, supponens vinculum obligationis primum ruptum, & denuò restaurandum esse, ut post ruptam amicitiam Deo religemur. Græci *Θρησκείαν* appellabant, Jac. 1. 26. 27. à Thracibus ita dictam, qui primitus Græcos de cultu Deorum erudierunt: undè Orpheum Thracem fere primum religionis magistrum colunt. *Ἐυρέβαια* etiam appellatur, quatenus Deum ut *Σίβασμα* seu Regem veneratur, idque legitimè secundum voluntatem, id est legem suam, est enim *ἐπίγνωσις ἀληθείας τῆ κατ' ἐυρέβαιαν*, Tit.

I. I.

B. RES IPSA innotescit per definitionem: sic *Religio* in genere notat studium perveniendi ad gratiam summæ Potestatis, undè homines

nes omnia sibi fausta pollicentur. *Vera autem religio est studium viæ salutis (Act. 16. 17.) in Christo propositæ, (Joh. 14. 6.) & à Deo revelatæ, (Ps. 25. 8. 12. Jehova enim, quia bonus & rectus est; docet peccatores viam) quæ apta nata est peccatorem ducere ad beatam Dei communionem: Prov. 8. 32. filii auscultate mihi, dicit summa sapientia, beati enim vias meas observantes. Falsa autem religio est studium vitam seu favorem summi numinis prosequendi juxta μεθoδoιαν τῆς πλάνης. Eph 4. 14. Caput 6. 11. quâ sive cum aversione à vero numine, Hebr. 3. 12. sive per vias distortas Ps. 125. 5. ad veram beatitudinem non pertingunt.*

**C. PARTES** religionis veræ sunt studium non tantùm cognoscendi, sed & agendi omne illud, quod ad communionem Dei facit; aut si religio *objective* consideretur, partes sunt tres: *explicatio mysteriorum, propositio promissionum, & præscriptio mandatorum*: ut Socinianorum error hic pateat, cognitionem mysteriorum excludentium, contra testimonium Joh. 17. 3. *in eo consistit vita æterna, ut cognoscant &c.* & contra naturam fidei, quæ Christum pro objecto habere debet.

**D. NOTÆ** autem veræ religionis sunt.

1. Tradere viam Deum decentem, nullasque ejus perfectiones abnegantem.
2. Tradere cultum à Deo revelatum & non abrogatum. Alii autem signa veræ religionis ponunt hæc tria, nempe quæ efficit, ut
  1. Homo quàm maximè humilietur, Matth. 16. 24. *si quis vult post me venire, abneget seipsum.*
  2. Gratia Dei ad summum celebretur. Ephes. 1. 6. *ad laudem gloriose sue gratiæ, quâ nos gratis effecit sibi gratos in illo dilecto.*
  3. Pietas efficacissimè urgeatur: Tit 1. 1. *est cognitio veritatis apta nata ad ingenerandam pietatem.* adde Hebr. 12. 14. Quæ notæ cum prima nostra conveniunt, dùm ostendunt solummodò θεοπρέπειαν doctrinæ religionis: Et secundùm ultimas has notas Catech. Heidelb. conscripta est, ut haberet rationem scripti apologetici, pro veritate religionis reformatæ editi.

## CAPUT III.

*De Sacra Scripturæ corpore.*

**R**evelationes, quæ Theologiam revelatam constituunt, inveniuntur conscriptæ in *Scriptura*, quam *Sacram* dicimus: quæque est corpus Librorum V. & N. Testamenti canonicorum, à Viris divinitus inspiratis, suâ linguâ & characteribus ex necessitate hypotheticâ conscriptorum, certissimam, completam & evidentem divinarum rerum traditionem per modum testimonii exhibentium, & in piorum usum asservatorum, ut exindè veram religionem ediscant, & quæ de religione docentur, ad hanc normam examinent: atque hæc materia absolvitur consideratione, *Corporis Script.* hoc cap. 3. ejusdemque *dignitatum*, cap. 4. nec non *usus*, cap. 5.

- A.* Corpus S. Sripturæ constituitur suis partibus, quæ
- N. Veræ* sunt, & quæ tales admittuntur, nempe libri V. & N. Testamenti. *Priores* dividuntur in *legem*, *prophetas* & *bagiographa reliqua*; quam divisionem videtur Christus respexisse Luc. 24. 44. *omnia* sc. quæ de Christo agunt, *scripta sunt in lege Moysi & prophetis & psalmis*. *Posteriores* N. T. vulgò dividuntur in *historicos*, *dogmaticos*, & *propheticum unum*.
- 2. Spuriæ*, malè ad hoc corpus relatæ, & ab eo removendæ, sunt libri Apocryphi, quos Pontificii perperam retinere conantur ad errores quosdam confirmandos.
- a.* Probamus contrarium.
- a.* Quia à Viris *θεοπνευστοῖς* non sunt conscripti, quippè exarati post tempora prophetarum, & linguâ græcâ, quæ in Oriente, non nisi post tempora prophetarum & Alexandri M. obtinuit.
- b.* Quia nec ab Ecclesia Judaica, nec Apostolica pro genuinis sunt agniti.
- c.* Quia non solùm characteribus divinis sunt destituti, verùm contrà vestigia infirmitatum scriptorum & errorum eorundem manifesta retinent.

β. De-

Cap. III. DE S. SCRIPTURÆ CORPORE. 9

β. Defendimus rejectâ autoritate Concilii Tridentini, & opposcentes Concilium Laodicenum Carthaginensî; distinguentesque inter libros PROTOCANONICOS & DEUTEROCANONICOS: legebantur enim aliquando in Ecclesia libri utiles, licet non essent ἀξιόπιστοι.

B. CANONICI audiunt libri, veras divinitatis notas habentes: quoniam habentur pro *canone fidei & morum*: confer Gal. 6. 16: consideranturque ut testimonium divini consilii & voluntatis. Unde Jes. 8. 20. vocantur תורה ותעודה *lex & testimonium*.

C. CONSCRIPTIO ipsa illustratur, dum considerantur

α. INSTRUMENTA seu AMANUENSES, qui habentur viri θεόπνευστοι, 2 Petr. 1. 20. *acti à Spiritu Sancto locuti sunt sancti DEI homines*. 2 Tim. 3. 16.

2. MODUS CONSIGNANDI, certâ quâdam linguâ & characteribus.

α. Lingua autem V. T. fuit *hebraica*, populo Judaico familiaris, exceptis paucis Chaldaicis sub Captivitate Babyl. conscriptis. N. autem Testamenti *græca* fuit, quæ tunc per Orientem obtinebat: nisi quod Matthæi Evangelium fortè primitus lingua hebraica conscriptum fuerit: sufficit tamen, exemplar græcum Apostolis superstitibus extitisse.

β. Characteres V. T. fuerintne literæ quadratæ? an Samaritanæ ab origine? nec non an puncta vocalia habuerint subjecta? problematicum est. Nos tamen in partem affirmantem inclinamus a propter curam divinam, mutationem minus admittentem, Matth. 5. 18. *ut ne jota unum aut apex unus ex lege unquam prætereat*. b Propter incertitudinem lectionis, ex mutatione litterarum aut adjectione vocalium nascentem. c Communior est hæc sententia apud Judæos antiquos, mentionem punctorum & accentuum evidenter injicientes. Adde Clem. Alexandrini testimonium Stromat. libr. 3. P. 442. Lin. 11.

3. NECESSITAS scribendi (propter Pontificios, eam negantes, ut fidem S. Script. elevarent) asserenda est, non quidem absoluta sed hypothetica, quatenus mutata populi facies conservationem traditionis fecit difficiliorem, per coarctatam hominum ætatem, diminutam apparitionum frequentiam,

(B)

&

& auctum humani generis numerum.

2. Probamus hanc nostram sententiam

α. *Αυτολαξί*. Judæ vers. 3. *Dilecti, necesse habui vobis scribere, ad vos hortandos, ut decertetis pro fide, quæ semel tradita est sanctis.*

β. Ex mandatis scribendi, Exod. 17. 14. & Cap. 34. 27. *Scribe tibi verba hæc, quia ex præstituto verborum horum pango tecum fœdas & cum Israele. Jer. 30. 2. Sic ait Jeb. DEUS Israelis, edicendo: Scribe tibi omnia verba, quibus alloquor te, in libro.*

γ. Ex instinctu S. Spiritus impellentis. 2 Tim. 3. 16. *ἡ ἅσα γέγραφα ἰστούρευς*.

δ. Ex causis allegatis, rationem consilii divini manifestantibus, sc. hoc medio hæresibus subnaſcentibus occurrendum fuisse; Deut. 31. 26-29.

ε. Defenditur contra argutias adversariorum, dicentium,

α. Ecclesiam antiquiorem fuisse Scripturâ, ac proinde citra eam consistere potuisse.

β. Fortuitis occasionibus fuisse conscriptam, ergò non ex consilio Dei necessario proflukisse.

γ. Salutem non pendere ab externo codice, quàm *læra occidat*, 2 Cor. 3. 6. *unctio autem docet*; 1 Joh. 2. 27.

D. ASSERVATIO horum librorum spectanda est secundum legitima asservandi media, quæ fuerunt

α. Traditio librorum sub cura Ecclesiæ Ps. 147. 12. *indicat verba sua Jacobo, statuta sua & jura sua Israeli. Et Rom. 3. 2. ei concredita sunt eloquia Dei.*

β. Multiplicatio exemplarium, sub inspectione sacerdotum conscriptorum Jer. 36. 10. perque curias & Synagogas distrahorum.

γ. Recollectio post dispersionem populi, præcipuè post captivitatem Babyl. curâ Virorum Synagogæ M. facta, de qua re multa Judæi.

CAP.

CAPUT II.

*De Dignitatibus Sacrae Scripturae.*

**Q**UUM Scriptura rationem testimonii testificantis, quod ad religionem spectat, habeat, necesse est, ut illi insint testimonii fide digni conditiones omnes, sc. **CERTITUDO**, ut illi tutò credamus; **SUFFICIENTIA**, ut plenariè informemur; & **PERSPICUITAS**, ut mentem testificantis percipiamus.

**A. CERTITUDO** testimonii dependet ab autoritate loquentis; atque adeò hìc consideramus

**N. DIVINITATEM** scripturarum, secundum quam Dea debent originem, quam

a. Demonstramus

a. Ex materia contenta, considerantes doctrinam **SANCTITATEM**, **SUBLIMITATEM** & **διεπρεπισται**, quæ alium Authorem præter Deum non petiuntur.

b. Ex historia traditionis, Dei revelationes multimiraculis confirmante & characterizante.

c. Ex prophetiis cum eventu collatis, quæ non nisi ex Deo hauriri poterant.

d. Ex conditionibus sine quibus non, hic simul occurrentibus, quorsum icferimus **ANTIQUITATEM**, **MIRACULOSAM CONSERVATIONEM**, **STYLI IDIOTISMUM**, nec non **VARIA EFFECTA** mediantibus Scripturis in orbem introducta, quæ simul sumta priora argumenta confirmant.

β. Defendimus contra infideles.

a. τὰ ἰνανταφάνη frustra pro variis contradictoriis objicientes.

b. ἀλογίαν quarundam revelationem temerario causantes.

**2. AUTHORITY**, quæ est potestas sacrarum literarum, ex earundem divinitate nata, hominem obligans, se submitteudi quoad fidem & mores testimoniis exinde derivatis: hujus auctoritatis consideranda



## I. DEPENDENTIA

*a. Vera*, suspensa ab observatione characterum divinitatis S. Scripturæ, quibus mediantibus divina earum origo solùm innotescit: quorum tamen perceptionem debemus spiritui illuminanti atque efficienti, ut illos characteres observemus.

*b. Falsa* Pontif. statuentium, auctoritatem scripturarum dependere à testimonio Ecclesiæ, id est, divinitatem scripturarum nobis non innotescere, nisi per auctoritatem Ecclesiæ: Π. ↓. ut S. Scripturam auctoritati Cathedræ Romanæ subjiciant, tanquam posterius cognitam.

*a. Refutamus errorem*

*aa.* Ex valore testimonii Ecclesiæ, quod negamus infallibile esse, aut ἀξιωματικόν, sed agnoscimus ministeriale esse, atque examine dignum.

*bb.* Quia auctoritas Ecclesiæ dependet ex testimonio scripturæ, atque adeò auctoritate S. Scripturæ posterior est, Ephes. 2. 20.

*cc.* Quia testimonium Ecclesiæ librum non divinum divinum facere non potest, atque adeò tenetur ad probandum librum, cui testimonium concedit, à Deo ortum esse, sive per characteres libri, sive per probationem historicam, Authorem libri probantem.

*dd.* Quia divina origo scripturarum sine Ecclesia facile innotescere potest, ac proindè ab auctoritate Ecclesiæ solà non dependet; prius patet ex ipsorum adversariorum scriptis, qui ex characteribus dignitatem earum & auctoritatem contra infideles & Atheos probant.

*β. Defendimus*

*aa.* Contra testimonia S. Scripturæ hùc pertracta: 1 Tim. 3. 15. ubi Ecclesia vocatur columna & stabilimentum veritatis, & Matth. 16. 18. &c.

*bb.* Contra pseudo-ratiocinium, S. Scripturam suam auctoritatem probare non posse

*cc.* Contra testimonium Augustini: *Non crederem Evangelio, nisi me moveret Ecclesiæ Catholicæ auctoritas.*

II. LA-

Cap. IV. DE DIGNITATIBUS S. SCRIPTURÆ. 13

II. LATITUDO explicat se per omnia, obligatque Scriptura ad fidem,

o. *Quoad minima dicta*; negamus enim, Scriptores seu Amanuenses Spiritus S. vel in ullo dicto hallucinatos fuisse, aut hallucinari potuisse, contra Socinian. S. Scripturam rationi subjicientes, ac proindè, quantum poterant, quoad rigidam auctoritatem elevantes.

a. Probamus contrarium

aa. Ex sanctificata voluntate Amanuensium, qui fallere noluerunt, & errorem evitare potuerunt, dummodò ductum S. Spiritus sequerentur.

ββ. Ex promissione Christi, Spiritum promittentis, ducentem in omnem veritatem.

β. Defendimus

aa. Contra instantias quorundam locorum, in quibus errata videntur *μνημονικὰ*. Luc. 3. 36. *de Cainane*. Matt. 27. 9. *de propheta Jeremia*, quum tamen ille locus reperitur in *Zacharia*.

ββ. Contra testimonium 1 Cor. 7. 25, 26. ubi Paulus dicit, se *ἐπιταγήν κυρίου non habere, sed dare tantum γνώμην* sententiam suam, addens, *νομίζω existimo, bonum esse* &c.

γγ. Contra allegationem styli, qui cuique proprius est, ac proindè referre non verbum S. Spiritus, sed Amanuensium.

oo. *Quoad res omnes*, ita tamen, ut alia sit Authentia NORMÆ, alia HISTORIÆ: quatenus S. Scriptura alia dogmatizat, alia autem fideliter refert & enarrat.

B. SUFFICIENTIA testimonii consistit in perfectione partim ESSENTIALI, partim INTEGRALI.

K. PERFECTIO ESSENTIALIS est sufficiens dogmatum ad salutem consequendam necessariorum complexio, in scripturis, sive *ἀντολεξει* sive per consequentiam evidentem, comprehensa, ne fides alicubi vacillet: quod contra Pontificios, traditiones præterea requirentes, ne cogantur Scripturâ S. stare,

a. Probamus, & quidem

a. Ex locis evidentibus. 1 Cor. 4. 6. *ne sapite ultra id quod scriptum*

(B 3)

tum.

14 DE DIGNITATIBUS S. SCRIPTURÆ. Cap. IV.

tum est, &c. 2 Tim. 3. 14-16. *permane in iis, quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris, teque à puero sacras literas novisse, quæ te possunt sapientem reddere in salute per fidem, quæ est in Christo Jesu. Tota scriptura divinitus est inspirata, & utilis ad doctrinam &c.*

- b. Ex testimoniis ad solam scripturam ablegantibus, Luc. 16. 29. *dicit ei Abraham: habent Moysen & prophetas, audiant eos.* Joh. 5. 39. *ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς.* Gal. 1. 8, 9.
- c. Ex titulis S. Scripturæ, quæ audit *Testamentum* Gal. 3. 15. & *regula* Gal. 6. 16. nec non *fœdus passim.*
- d. Quia traditiones damnantur ut instrumentum seductionis. Col. 2. 8. Matth. 15. 6, 8, 9. *irritum fecistis mandatum Dei per traditionem vestram, &c.*

β. Defendimus contra objectiones, desumptas

- α. Ex locis 2 Thess. 2. 15. *tenete traditiones, quas edocui estis, sive per sermonem, sive per epistolam meam.* Joh. 16. 12. *adhuc multa habeo vobis dicenda, sed nunc non potestis ferre.*
- β. Contra allegatos defectus, dùm causantur, doctrinam de Pædobaptismo, de Trinitate, de mutato Sabbato, &c. nullibi extare in S. Literis.
- γ. Ex ritibus autoritate hominum introductis, ut est festum *Purim*, Est. 9. 19-21. *Et Encaniorum*, 1 Maccab. 4. 59.

2. PERFECTIO INTEGRALIS est sufficiens & completa integritas partium librorum canonic. , divinâ providentiâ conservatorum, quâ nihil amissum, mutatum, aut corruptum est in S. Literis; undè perfectio essentialis facta tectaque manebit; quod contra *Mubammedanos*, occasionem quærentes, ut Alcoranum substituant, & *Socinianos*, ut rationem introducant fidei principium, nec non *Pontificios* solâ scripturâ non stantes

• Probamus,

- α. Ἀπολεξαι; Ps. 119. 8. *doctrina Jehovæ integra est.* Matth. 5. 18. 1 Pet. 2. 2.
- β. Ex cura & providentiâ Dei. Matth. 5. 18. & fidelitatē Ecclesiæ, cui S. Scripturarum conservatio commissa fuerat, Ps. 147. 19. 20. *Indicat verba sua Jacobo, &c.* Rom. 3. 2.

γ. Ex

Cap. IV. DE DIGNITATIBUS S. SCRIPTURÆ. 15

γ. Ex fine necessario, ex consilio Dei consequendo; *Jes. 8. 20. Luc. 16. 29.*

δ. Ex impossibilitate rei propter distractionem exemplarium; quia hoc damnus accidisset, vel ex malevolorum hominum studio, vel ex infortunio; *prius* prohibuit fidelium constantia, *alterum* Dei providentia, utrumque autem manifestari potuisset ex collatione exemplarium. Deinde id factum fuisset, vel ante tempora Evangelii, vel post tempora Apostolica: *prius* non esse factum, patet, quoniam Christus nullibi Judæos in hac causa neglecti officii arguit; nec *posterius*, quia diversæ sententiarum nunquam in tanto scelere fuisset consensus.

β. Defendimus.

a. Contra allegata testimonia, ubi librorum, qui desiderantur, videbatur fieri mentio, *Num. 21. 14. libri bellorum Jehovæ. Josue 10. 13. ספר דו"ש libri resti. 1 Reg. 14. 19. 1 Chron. 29. 29. 2 Chron. 9. 29. 1 Cor. 5. 9. scripsi vobis in epistola. Col. 4. 16.*

b. Contra testimonia, quæ causantur corrupta esse, *Jes. 9. 6. Jer. 23. 6. יהוה שמו אשר יקרא יהוה צדקנו Pl. 22. 17. כאר.*

C. EVIDENTIA testimonii est sufficientia perspicuitatis, quæ, quæ alibi ænigmaticè sunt proposita, aliis in locis satis simpliciter & dictis intelligibilibus explicat S. Scriptura, ita ut homo Spiritu Dei regenerante ad attentionem excitatus satis facillè, quæ ad fidem & mores scire tenetur, exinde possit eruere. Hæc evidentia consideratur

K. OBJECTIVE & à parte Dei, satis evidenter consilium suum explicantis, & per clavem cognitionis, in Sacra Scriptura traditam, ænigmata sua resolventis: quod contra Pontificios, auctoritatem interpretandi Ecclesiæ suæ vindicantes, & Laicos à lectione S. Scripturarum, obtentu obscuritatis, absterrentes

a. Probamus,

a. Ex disertis testimoniis, *Pf. 19. 9. Mandata Jehovæ sunt recta, letificantia minimum, præceptum Jehovæ parum, illustrans oculos. Pf. 119. 105. vocatur Lucerna pedi, & lux itineri. 2 Pet. 1. 19. vocatur Lucerna splendens in obscuro loco. Adde 1 Cor. 4. 2, 3.*

β. Ex consideratione Dei, benignitatem suam addicentis, & manifeste-

16 DE DIGNITATIBUS S. SCRIPTURÆ. Cap. V.

manifestationem mysteriorum suorum foederatis promittentis & largientis. Pl. 25. 14. סוד יהוה ליראיו וכרתיו להודיעם

*Secretum Jehovah est timentibus ipsum, & fœdus ejus ad sciendum faciendum eos.* Matth. 11. 25. laudat *Jesus Dominum cœli & terræ, quod hæc occultaverit à sapientibus & intelligentibus, & ea re-texerit infantibus.* Matth. 7. 7-11. 1 Tim. 2. 4.

c. Ex fine, qui est etiam pueros erudire ad salutem, Pl. 19. 8. *sapientiam affert imperito.* Prov. 1. 4. *ad dandum puero scientiam & solertiam.* 2 Tim. 3. 15.

β. Defendimus

a. Contra testimonium: 2 Pet. 3. 16. *Sunt nonnulla difficilia, ubi responsum addit Petrus, dicens: quæ indocti parumque stabiles σεβείσι &c.*

b. Contra exempla, interpretationem aut lumen intelligendi petentia, Act. 8. 30, 31. ubi *Eunuchus petiit à Philippo explanationem ejus, quod legebat.* Pl. 119. 18. *Re-tege oculos meos, ut intuear mirabilia ex lege tua.*

γ. SUBJECTIVE in ordine ad homines, à quibus illud testimonium percipiendum est: animadvertendum, varios esse intellectus gradus:

α. Alius est intellectus *grammaticus & historicus*, etiam in irrogenitis, qui licet convincens, non tamen persuadens & salutaris est: hinc Matth. 13. 20, 21. comparantur tales *petrosæ terræ, in qua semen radices non habet; &c.* confer 1 Cor. 2. 14. *ψυχικὸς ἀνθρώπου, non capit, quæ spiritus sunt &c.*

β. Alius *spiritualis & salutaris*, qui regenitorum est, 1 Cor. 2. 15. *ὁ δὲ πνευματικὸς ἀναγίγνωσκει πάντα: nam mentis oculi illuminati sunt,* Ephes. 1. 18.

CAPUT V.

*De Usu Sacræ Scripturæ.*

Quoniam testimonium facit ad fidem excitandam & firmandam, usus quoque Scripturæ alius esse non potest, quam *ut creda-*

credamus, quod Jesus est Christus filius Dei, & credentibus sit per nomen ejus vita in æternum, Joh. 20. 31. Verum ut in usum fidei revocetur, requiritur studium humanum, quo, mediante Lectione & Versione, Christianus testimonium percipiat; mediante verò interpretatione, mentem ejus intelligat.

A. LECTIO itaque est studium ejus, qui testimonium indagat: ubi notandum

1. Officium lectionis esse universale, atque omnibus & singulis Christianis incumbere, contra Pontificios, exigentes, ut Laici in solo testimonio Ecclesiæ acquiescant, ne ipsorum hæreses à populo deprehendantur.

2. Probamus sententiam orthodoxam,

a. Ex præceptis omnes & singulos obligantibus, Deut. 6. 6. 7. *Verba, quæ præcipio hodie, sint tibi in corde, eaque accurate ingeras filiis tuis, ac loquaris de iis, quum sedes domus tuæ &c.* Joh. 5. 39. Col. 3. 16. *Sermo Christi inhabitet in vobis copiose cum omni sapientia &c.*

b. Ab Exemplis Laicorum laudatis, 2 Tim. 3. 15. Act. 17. 11. *laudantur Beroenses, tanquam nobiliores Thessalonicensibus, quod receperint sermonem cum omni alacritate, quotidie scrutantes scripturas.*

c. Ex utilitate communi, quæ est, *ut discant timere Jehovam DEUM suum, observare omnia verba legis, &c.* Deut. 17. 19. & Rom. 15. 4. *Quæ antè scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.*

3. Defendimus adversus objectiones desumptas,

a. Ex periculo communis lectionis. 2 Petr. 3. 16. ubi *δυσνόητα.*

b. Ex multorum locorum obscuritate, difficultate & apparente contradictione, ex quibus se vulgus expedire nequit.

4. Latitudo objecti, secundum quam legendi sunt libri V. T. æquæ ac N. T. quod tenendum contra Socinianos & Anabaptistas, religionem V. T. aliam esse causantes, ac proinde lectionem eorum sub N. T. non magni esse momenti, aut utilitatis affirmantes.

5. Probamus sententiam orthodoxam,

a. Ex eo, quod lectio commendata & laudata à Christo &

(C)

Apo-

Apostolis, respexerit V. T. Joh. 5. 39. Act. 17. 11.

b. Ex manifesta utilitate in N. T. indicata. Rom. 15. 4. *Hæc omnia scripta sunt ad nostri admonitionem, in quos fines seculorum occurrerunt, 1 Cor. 10. 11. itemque Jacob. 5. 10, 11. ubi propheta locuti in nomine Domini exemplar sunt afflictionis ac patientiæ, itemque tolerantia Jobi, & finis Domini.*

c. Ex eo, quod libri V. T. sunt fundamentum demonstrationis N. T. ut Paulus Act. 18. 28. *publicè redarguebat Judeos, ostendens per Scripturas, (quæ aliæ quam V. T. esse non poterant) Jesum esse Christum illum.*

β. Defendimus contra objectiones defumtas

a. Ex Matth. 11. 13. *omnes Prophetæ, & ipsa lex usque ad Johannem prophetarunt. Rom. 10. 4. finis legis est Christus. Heb. 8. 13. dum novum dicit, antiquavit prius.*

b. Ex ratione causante, quod ceremoniæ abrogatæ, & prophetiæ adimpletæ sint.

c. Ex majori evidentia N. T. præ iis, quæ in V. T. occurrunt.

γ. **VERSIO**, quæ est translatio S. Scripturæ ex linguâ originali in vernaculam. Hujus ostenditur

α. **NECESSITAS**,

a. Ex communi obligatione legendi & credendi, quam solvere non potest, qui linguas originales non intelligit.

β. Ex consilio Dei in prophetiis revelato, de nuncupando nomine DEI promiscuis linguis. Zeph. 3. 9. *Nam tunc vertam ad populos labium purum, ut nuncupent omnes nomen Jehovæ, ut ipsi serviant uno humero.*

γ. Ex dono linguarum Ecclesiæ concesso: 1 Cor. 12. 28. dicitur Deus *constituisse γένη γλωσσῶν, genera linguarum.*

δ. **AUTHORITAS** versionum tamen minor est autoritate textus originalis, obligans quidem quoad res, non tamen quoad omnia verba, examinanda ad textum originale. Unde peccant Pontificii in Concilio Tridentino, Versionem Vulgatam authenticam declarantes, & alii versionem ≠ LXX. canonicantes.

a. Quia intercedit studium humanum fallibile, cum non fuerint θεόπνευσται, qui hanc operam contulerunt.

b. Quia

b. Quia *σφάλματα* manifesta in utraque versione ab ipsis Pontificiis sunt notata, ad textum originale castiganda, adeo ut Pontificii de castiganda editione versionis vulgatæ post Concilii Tridentini decretum fuerint solliciti, & nequidem in iterata castigatione suis undequaque satisfacere potuerint.

C. INTERPRETATIO est sensus genuini, iudicio logico eruti, explicatio ad intellectum accommodata; ubi notetur

N. SENSUS DICTORUM, qui est mens ipsa & sententia Spiritus S. in sacris loquentis: ubi inquiritur

a. An varius sit? ut alius sit *literalis* ex verbis simpliciter intellectis erutus: alius *mysticus*, quem in allegoricum, tropologicum, & anagogicum dividunt. Respondemus cum distinctione, SENSUM LITERALEM verba respicere, historiam definientia, eumque unicum esse, nisi alicubi *σύλληψις* lateat. SENSUM VERÒ MYSTICUM erui ex significatione rerum, symbolorum usum habentium, atque ex fine œconomiz dignosci. *Allegoricum, Tropologicum & Anagogicum sensum* nihil aliud involvere, quam veritatem relationis symbolorum, dum alia symbola ad fidem, alia ad pietatem morum, alia denique ad spem vitæ futuræ adumbrandam instituuntur.

β. An sensus mysticus sit argumentativus? quod frustra negant Sociniani, cum

a. Ex legitimis interpretandi regulis idem iudicium de symbolis, ac de sensu literalis formari possit.

b. Quia ex Theologia symbolica argumentati sunt Apostoli; Gal. 4. 24. *αἰνὰ ἐστὶν ἀλληγορούμενα, quæ sunt dicta cum significatione alterius rei, hæc enim, sc. Agar ancilla, & Sara libera, sunt duo illa Testamenta &c.* I Pet. 3. 21. *βάπτισμα* vocatur *ἀλλυτοπον diluvii.*

3. JUS INTERPRETANDI,

a. PRIMARIUM, competit soli Deo, qui in S. Scriptura N. T. sæpius per Filium & Spiritum S. mystica V. T. & alia testimonia interpretatur, cujus arbitrio procul dubio standum est.

β. SECUNDARIUM, competit antecessoribus Ecclesiæ, quorum est publicè præire in exercitatis; propterea enim *dedit* (sc.

(C 2). *Christus*)



*Christus) alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Pastores & Doctores, ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi, Ephes. 4. 11. 12. Nec non privatis, quid sibi statuendum sit, definientibus; Joh. 5. 39.*

1. JUDEX CONTROVERSIARUM, cujus est in casu controversiæ de vero S. Script. sensu rationes audire, & de earum pondere statuere, ut decernat, quænam interpretatio veram Spiritus S. mentem affecuta fuerit?

a. *Vera Sententia* statuit, hoc Judicium in terris competere conscientiæ cujusque fidelis; quod

a. Probatur

1. Ex deserto testimonio, 1 Cor. 2. 15. *Spiritualis autem dijudicat omnia &c.*

2. Ex commendata cuilibet fidei exploratione, 1 Cor. 10. 15. dicit Paulus: *Ut peritis loquor, judicate vos, quod dico. 1 Thess. 5. 21. Cuncta probate, bonum quod erit, retinete. 1 Joh. 4. 1. Dilecti, ne cuiusvis spiritui credite, sed doctrinæ illi, probate Spiritus, an ex Deo sint.*

3. Ex laudato exemplo Beroënsium, allegata testimonia explorantium, Act. 17. 11.

4. Ex ultima fidei analysi, cujus demonstrationes tandem definiunt in manifestatione veritatis ad conscientiam; 2 Cor. 4. 2. dicit Paulus: *Declaratione veritatis commendamus nos ipsos apud omnem conscientiam hominum in conspectu Dei.*

β. Defenditur contra objectiones Pontificiorum causantium,

1. Judicium cujusque hominis esse fallibile, ac proinde eorum sententiâ stari non posse.

2. Quemlibet hominem non esse instructum necessariis requisitis ad dijudicandum.

b. *Falsa sententia*, quæ est

aa. *Pontificiorum*, Judicium controversiarum infallibile & *ἀπολόγητον* tribuentium aut Pontifici Romano, aut Conciliis, vel Conciliis à Pontifice Romano confirmatis, atque adeo utrisque consentientibus; dissentiunt enim ipsi inter se. Π. ψ. ratio autem ita statuendi est, ut cœcam fidem intro-

tro-

roducant, seseque omnium aliorum Judicio subtrahant.

- a. Refutatio desumitur exinde,
- a. Quòd imperium humanum in conscientias ita erigant, contra 1 Petr. 5. 1, 2, 3. *Pascite Dei gregem-- non ut dominantes cleris, sed ut qui sitis exemplaria gregis.* Et contra Libertatem Christianam, Ecclesiam à subiectione dictorum Deorum liberantem; Col. 2. 16, 18. 19. *Ne quis vos damnet ob cibum-- μηδεις υμᾶς καταβεβηκετω, ne quis vos sibi subiciat, ut βεβηκετω, vel omnino vos obnoxios constituat, &c.*
- b. Quòd nitatur adversariorum sententia falsâ hypothefi de infallibilitate Papæ aut Conciliorum, contra manifestam experientiam. Plurimis enim instantiis patet, utrumque à vero aliquando aberrasse.
- c. Quia fides resolveretur in authoritatem humanam, non divinam.
- β. Nequè quicquam valent objectiones,
  - a. Ex testimonio, 2 Petr. 1. 20. *Hoc primum sciatis, οτι πασα προφητεια γεγραφησιν ιδιαις επιλυσεως η γινεται.*
  - b. A Judicio commisso sacerdotibus: Matth. 23. 2, 3. *In Cathedra Moysi, inquit Christus, sedent Scribae & Pharisei; omnia ergo, quæ dixerint vobis, ut servetis, servate & facite &c.*
  - c. Neque infallibilitatem Papæ legitime probant ex locis Matth. 16. 18. *Tu es Petrus, & super hanc Petram &c.* Joh. 16. 13. *Quum autem venerit ille, spiritus veritatis, deducet vos in omnem veritatem, &c.*
  - bb. Socinianorum statuentium judicem controversiarum esse rationem, ut ita mysteria Fidei ex Theologia extrudere possint, nihil credentes, nisi quod ratio attingit. Usus rationis agnoscimus, si per rationem mentem ipsam intelligamus; ejus enim est cognoscere, varia inter se conferre, veritates illustrare, & consequentias neclere. Sin. verò per rationem intelligas notiones insitas, seu rationem objectivè consideratam, agnoscimus illas conferendas esse. Status controversiæ itaque erit, an mens humana, prout est, in quocunque homine sine respectu illuminationis,



- a. Exemplo Christi & Apostolorum, qui ad fidem consequentiarum obligant. Matth. 22. 32. Christus ex eo, quod *Deus sit Deus Abrahami, Isaâci, Jacobi*, concludit resurrectionem mortuorum, quia sc. *Deus non est Deus mortuorum, sed viventium.* adde 1. Cor. 15. 13.
- b. Ex particulis argumentativis in S. Script. adhibitis, quæ testimonia sunt conclusionum illatarum. Exemplum est conclusio illa Pauli, Rom. 3. 28. *Concludimus, fide justificari hominem &c.* Sic Act. 4. 19. Petrus & Johannes provocant ad iudicium Synedrii, *ne vivatis*, inquirunt.
- c. Ex eo, quod *mendacium non fit ex veritate*, 1 Joh. 2. 21.
- β. Defendimus contra objectiones,
- a. Quòd consequentias privatâ authoritate nectamus, nec infalibiliter.
- b. Quòd fides non sit discursus.
- c. Quòd conclusio debeat sequi debiliorem partem, ac proinde si alterutra conclusionum sit rationis, pro veritate rationali non revelata haberi debeat.

QUO-

QUOAD SUMMUM BONUM  
OBLATUM.

PARS PRIMA.

*De dispositione hujus partis.*

§. I.

**T**HEOLOGIA revelata seu scripturaria non admittit hominem ad disciplinam suam simpliciter, sed hominem ex lumine rationis edoctum,

*A. Quod sit Deus, à quo sunt omnia.*

*B. Quod mens à corpore ita distincta sit, ut per corporis dissolutionem non necessariò intereat, quippè sine læsione sui separabilis à corpore, atquè adeò felicitatis aut infelicitatis postea capax.*

*C. Quod homini lex Justi & Æqui naturaliter sit nota, cujus violatio reum, observatio justum faciat.*

*D. Tandem quòd oporteat hominem ex conscientia contracti reatus de reconciliatione cum Deo esse sollicitum.*

§. 2. Jam verò Theologia Scripturaria, in ordine ad hominem, de reconciliatione cum Deo sollicitum, in se suscipit testari de Deo, atque asserere, quòd huic se offerat ut SUMMUM EJUS BONUM. Quod ut convenienter doctrinæ Theologiæ naturalis præstet, quædam exinde repetit & transsumit, quæ relatè ad hominem considerata ad commendationem summi hujus boni faciunt: unde conficimus, perfectiones Dei in Theologia naturali *absolutè* considerari, quatenus ad naturam Deitatis, quasi constituendam, inseparabiliter pertinent. In scripturaria vero *relatè*, quatenus ad hominem perficiendum conducunt, sive Deus nobis proponatur ut desiderabilis, sive ut decentiam suam observans, seque non communicans nisi cum illis, qui ei quadantenus sunt similes, qui hominis non tantum *Bonum*, sed & *Exemplar* est.

Te-

Pars I. DE DISPOSITIONE HUIUS PARTIS. 25

§. 3. Testimonium illud scripturarium, quo Deus se ut *summum bonum* peccatori proponit, seque à peccatore quæri & inveniri velle testatur, facile erui-  
mus.

A. Ex oraculis Divinis: Gen. 15. 1. promittit Deus Abramo: *Ne timeas Abram, אנכי מנן לך שכרך הרבה מאד, Ego clypeus sum tibi, merces tua ampla valde.* Gen. 17. 1. dicit Deus: *אני אל שדי ego sum Deus fortis, sufficiens, id est, tibi omnia sum, quæ ad vitam & salutem sunt necessaria.*

B. Ex professione Ἐθεοδιδάκτων: Ps. 73. 25, 26. dicit Asaphus: *Quis est mihi in cælo præter te? & tecum, (hoc est præter te) nulla res mihi voluptati est, defecerit caro mea & cor meum, צור לבבי, וחרקי אלהים לעולם, Rupes cordis mei, & pars mea Deus in seculum.* Sic Ecclesia Thren. 3. 24. profitetur: *חלקי יהוה portio mea est Jehovah, dicit anima mea, אודל לו, propterea spero in eo.*

§. 4. Doctrina autem commendationis, quæ *bonum* illud tanquam *desiderabile* commendat, sparsim occurrit in S. Scriptura, quæ ita agit, ut

A. Designet *summum hoc bonum* suis nominibus.

B. Extollat per indicationem perfectionum, excellentiam ejus designantium.

C. Recludat per assignationem sufficientiæ, in revelatione mysterii Trinitatis manifestatæ.

D. Confirmet per opera tum interna, tum externa, foedus ipsum præcurrentia.

C A P U T I.

De Nominibus Dei.

**T**heologia scripturaria *SUMMUM BONUM*, id est, *DEUM* indicat, & designat variis nominibus.

a. Nomen est vocabulum, in sermonis usum inventum, cujus ope ideam alicujus rei in mente auditoris excitamus: cum itaque de Deo sermo faciendus erat, usus sermonis humani requirebat

(D)

voca-

vocabulum, aut vocabula, quorum interventu proximus ad cogitationem de Deo invitandus erat; aut mens ipsa oris subsidio in effundendis precibus firmanda.

b. Nomen Dei itaque notat in S. Script. *Deum* ipsum, ita tamen, ut connotet eundem professione fidei, aut etiam præconio publico celebrandum: *prius*, quotiescunque eum in precibus aut gratiarum actionibus Deum compellere solemus: *posterius*, quotiescunque eum ut authorem alicujus dicti aut facti celebratum cupimus apud alios.

c. Varia Deo attribuuntur nomina propter sermonis humani varium finem & usum; *partim*, ut veram Dei ideam in nobis aut in aliis excitemus; *partim*, ut erudiamur cui hanc ideam applicare debeamus, ne à vero subjecto aberremus. *Nomina Dei*, ait Bitterfeldius, *sunt univèrse Theologiae compendium, totiusque Scripturae clavis.*

N. NOMINA, summi boni & entis ideam in nobis excitantia, sunt

• SIGNIFICATIVA Deitatis ipsius, qualia sunt,

a. אלה in singulari. Job. 4: 17. 12: 4. 35: 10. Hab. 3. 3. & אלהים in plurali Gen. 1. 1. ubi inquiritur,

1. *In nominis originem*: quod alii frustra ab Arabum אלה colere derivant, cum illud verbum potius desit à nomine, quod DEUM significat, & sic aliquem pro Deo habere & venerari notat. Probabilius à radice אלה Hebr. derivatur, relatione facta ad potestatem & auctoritatem Dei, hominem seu relictum seu peccatorem adjurandi & obligandi ad foederis divinitus oblatis observationem, etiam sub intimatione execrationis; hinc foederis sancienti causa, אלה *adjuratio* addi solet: Deut. 29. 14. *Ego pango foedus meum ואת האלה הזאת* quod potest verti *cum adjuratione hac*. Et vers. 19. vocantur האלה *verba adjurationis*.

2. *In usum vocis*: ut primario DEUM significet, & quidem DEUM FOEDERATUM, hinc promissio illa Dei foederalis: *Fiam tibi לאלהים in Deum*, Gen. 17. 7. Per metaphoram *Deos dictos*, quia Deus in Θεοκρατία V. T. illosita induit, ut per illos regnum illud administratum voluerit; Exod. 21: 6. Ps. 8. 6. Ps. 82. 1. *Deus judicat in medio אלהים*, & versu 6.

Ego

*Ego dixi* אלהים אתם *vos estis Dii.* Joh. 10. 35. Καταχρηστικῶς *falsos* quoque *Deos* notat, quatenus illis idea Deitatis à quibusdam falso applicatur.

3. *In rationem pluralis numeri*, quem alii *mysterium pluralitatis* personarum denotare volunt: alii verò negant: ut hæc quaestio inter problemata Reformatorum cenleri debeat.

b. Θεός, quam vocem non significativam officii, sed Deitatis statui-  
mus, contra Socinianos, Π. ψ. nobis hoc argumentum pro Deitate filii eripere conantes. Probamusque sententiam orthodoxam,

1. Quia ejus abstractum Θεότης non officium aut munus, sed naturam divinam significat. Col. 2. 9. *In eo inhabitat πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος.*

2. Quia hanc vocem ad φύσιν ἡ θεῶν revocat Paulus, Gal. 4. 8. *Tum ignorantes Deum, serviëbatis τοῖς μὴ φύσει ἑσσι θεοῖς.*

β. ENCOMIASTICA Deitatis excellentiam per aliquod encomium perfectionis aut dignitatis notantia, quibus Deitas celebratur.

a. A *Potentia*, quando vocatur אֱלֹהִים Ps. 22. 2. אֱלֹהִים Ps. 50. 1. & אֱלֹהִים, Dan. 11. 36. & notat *fortitudinem Dei*: maxima autem, quam exseruit Deus, est non solum creatio mundi, sed & redemptio, quâ potis fuit, hominem lapsum à peccato ejusque consequentibus liberare, nec ulla in re ita effulget τὸ κρείττον ἢ ἰσχυρόν & θείον, quemadmodum in redemptionis opere. Eph. 1: 19. confer Esa. 27. 5.

b. A *Sufficiencia*, quando שׂוֹפָר appellatur, Gen. 17. 1. Exod. 6. 2. Ps. 91: 1. undecunque derives, sufficienciam Dei, imprimis ad præstandum in suos misericordiam, in hostes justitiæ opus, denotat.

c. A *Decencia*, quando venit sub nomine הַיָּדוּת, quod non est contractum ex הַיָּדוּת sed derivatum à verbo הָדַת *decurrit*, Jer. 10. 7. Ut הַיָּדוּת significet *decenciam Dei*, quâ & est, & sese demonstrat ita decorum, & gloriosum, quemadmodum decet Essenciam perfectissimam; quam decenciam in Christo videmus plenissimè consummatam, secundum Apostolum, Heb. 2:



10. & Cap. 7: 26. ubi decentiæ tribuit, quod Christus passio-  
nibus consummari, & talis sacerdos ac Dux salutis esse debue-  
rit; talis quippe Dei erat decentia, ut nec alium dederit, nec  
in alio suam ita gloriose ostendere decentiam potuerit, præter-  
quam in cœlis ipsi excelsior Filio. Hinc ה' dicitur *futurus*  
*in salutem*, Exod. 15: 2. Exod. 17: 16. & N. T. imprimis est  
τὸ *Hallelu-Jab*.

d. A *Dominio*, quando venit

1. Sub nomine אֲדֹנָי, quod talem Dominum subinnuit, qui ex  
eo, quod basis & columna rei omnis est, dominium in rem  
omnem habet; est quippe ab אָדָן, basis familiæ aut ædis  
columen &c. nempe Deus est basis, cui innititur moles pri-  
mæ & secundæ creaturæ; hinc signate Filii, Patrisque non  
nisi in Filio, hoc nomen est. Filio datur Ps. 110: 1. *Do-*  
*minus dixit לאֲדֹנָי Domino meo*, &c. Jes. 6: 1. *אֲדֹנָי אֲדֹנָי*  
*Dominum insidentem folio cælo & elato*, &c. quod Christo ap-  
plicatur Joh. 12: 41. *Per ipsum enim non solum condita sunt*  
*omnia*, Heb. 1: 2. sed & *omnia*, basis instar, *sustentat verbo*  
*ac jussu suo potenti* Heb. 1: 3. ut *omnia simul in ipso subsistant*,  
Col. 1: 17. *est petra*, basis *Ecclesiæ* Matth. 16: 18. Cui tan-  
quam basis, imposuit Pater Ecclesiam, quæ rerum omnium  
opus est primarium; confer Esa. 63: 9. Quod nomen etiam  
in plurali de Deo dicitur, Mal. 1: 6. Cum Kametz semper  
attribui Deo, notant eruditi.

2. κύριος, quatenus denotat κύριος five authoritatem, five  
stabilimentum, & respondet אֲדֹנָי Apoc. 19: 19. κύριος  
κύριος.

e. Ab *imperio prædominante*, dum vocatur צְבָאוֹת per ellipsin vo-  
cis אֲדֹנָי vel אֱלֹהֵי: Amos 4: 13. יהוה אֱלֹהֵי צְבָאוֹת שְׁמוֹ Je-  
hovah *Deus exercitus nomen ejus*, quod est à צְבָה multitude, sed  
in ordinem redacta instar exercitus. Filius autem Dei habet  
sub se Angelos, olim habiturus gentes, quia & totam rerum  
universitatem, exercitus omnes ab ore ejus dependentes,  
hinc hoc nomen ejus, Jes. 8: 13, 14, 15. non tamen excluso  
Patre: Vide Es. 28: 22.

f. A *Præcellentia*, quando celebratur sub nomine עליון Ps. 83: 19.  
Hof.

Cap. I. DE NOMINIBUS DEI. 19

Hof. 11: 7. cui respondet Græcorum ὁψις, Luc. 1: 32.

Act. 7: 28. Celsitudinem & summitatem Dei notat, nullibi ita conspicuam, quam in opere gratiæ per Filium & Spiritum S. hinc plurare עליונין, Dan 7: 18. 22.

γ. EMBLEMATICA varia sunt ad commendationem divinæ bonitatis & intimationem justitiæ spectantia; qualia sunt, quando *Sol*, aut *Scutum*, *Arx*, &c. vel etiam quando *Leo* emblematicè appellatur.

δ. *Nomen proprium*, nos docens, veram Deitatis ideam vero applicare subjecto; nam ne cum idololatriæ à vero subjecto aberremus, Deus se caracterizavit à quibusdam beneficiis, Abrahamo ejusque posteris collatis, quæ cum nomine יהוה discretive conjunguntur. Id nomen itaque statuimus

α. *Proprium* soli Deo, contra Socinianos, argumentum pro Deitate Filii nobis eripere conantes; quod

α. Probamus,

1. Quia omnes proprietates nominis proprii induit, dum nunquam in statu constructo occurrit, aut ה præpositivum agnoscit.

2. Quia soli Deo vindicatur. Pf. 83: 19: *Tu, cujus nomen יהוה solius est, es supremus super omnem terram.* Jel. 42. 8. Hof. 12: 5, 6. dicitur יהוה זכרו *Jehovah memoriale ejus*, id est, nominato hoc meo nomine, sibi in memoriam revocaturus est populus meus, quis ipsis, & qualis, & quid Deus esset, sc. Angelus ille faciei, (in cujus medio hoc nomen meum, יהוה Exod. 23: 20. 23.) qui vobis in illo promissus est.

β. Defendimus contra objectiones adversariorum urgentium,

1. Quòd de Angelo dicatur nomen יהוה: Gen. 18: 1. 13, 14. quum tres Viri, יהוה vocati, Abrahamo apparuere, quorum postea duo, *Angeli* vocati, Gen. 19: 1. *Sodomam* iverunt.

2. Et de Arca, Num. 10: 35, 36. *Arca proficiscente, dixit Moses: Surge JEHOVAH.*

3. Quòd Altari, Exod. 17: 15. *Exstruxit Moses altare, cuius vocavit nomen, יהוה נסי* *Jehovah vexillum meum*, & Hiero-

(D 3)

foly-

solymæ, Ezech. 48. 35. imponatur hoc nomen.

ββ. *Commodum ad veram Deitatem connotandam, quippe derivatur ab יהוה esse, fieri, ut esse absolutum denoret, quod nihil participet de non esse; & per יהוה אשר יהוה explicatur, Exod. 3. 14. notat adeoque Deum esse, & quidem id, quod est: imprimis significat, Deum futurum id, quod promissit homini peccatori, sc. perfectissimum bonum, & glorificans; quod non potest fieri, nisi in Christo, qui est יהוה צדקנו, JEHOVAM justitia nostra, Jer. 23. 6. hinc, quoniam Pater JEHOVAM vocatur, est in Christo.*

γγ. *Pronunciandum secundum literas: quod*

α. *Probatur.*

1. Quia indubium est, olim fuisse pronunciatum in benedictione Sacerdotali.
  2. Quia sæpe יהוה ejus emphasim non exprimit, Pl. 83. 19. Exod. 6. 2. Jes. 42. 8.
  3. Quia quoad primam partem, quæ maximam videbatur parere difficultatem, pronunciarı debuit in nominibus compositis יהוה, יהוה, & יהוה.
- β. *Defenditur contra objectionem ex LXX. Interpretibus desumptam, qui ubique substituunt Κεϑ, quod sequitur N. T. Matth. 22. 43, 44.*

## CAPUT II.

### *De Attributis seu Excellentıis Dei.*

**S**equitur nunc, quomodo Scriptura SUMMI NOSTRI BONI *excellentiã* commendat per *attributa* ejus, quæ sunt quasi proprietates, naturam Dei pro captu nostro adumbrantes, aut consequentes, quibus omnis perfectio Dei plenius declaratur.

Hæc attributa, alia possunt videri *essentiæ*, alia *existentiæ*; alia *vitiæ Dei*.

A. Es-

## Cap. II. DE ATTRIBUTIS SEU EXCELLENTIIS DEI. 31

**A. ESSENTIA** Dei in S. Script. dicitur **הַיְשִׁיב** seu *realitas*, Prov. 8. 14. **לִי עֵצָה וְחָכְמָה**, *mibi est consilium & essentia*, inquit summa Sapientia, id est, mihi, seu penes me est juxta consilium aliquod permanens, stabile, perfectum, verum, quodque veram habeat essentiam. Quæ essentia opponitur τῷ Ἰᾶ nihilò, rebus nihili & vanis. Θεότης, Col. 2: 9. Imò & φύσις & μορφή θεῶ Gal. 4. 8. Phil. 2. 6. ubi φύσις notat naturam, essentiam, substantiam Dei, verum atque unicum cultûs religiosi objectum, ut, qui non sit φύσις naturâ Deus, dictitius tantummodo Deus sit, & in regno Dei ne nomine quidem decorandus. Μορφή autem ipsam rei alicujus naturam significare aptum vocabulum est, & μορφή θεῶ eodem sensu dicitur, quo μορφή δέλου, per egregiam oppositionem. Quæ essentia licet existentiam & vitam includat, à nobis tamen aliquando ab utraque abstrahitur, utraque non ita considerata; ejus proprietates sunt,

**1. SUFFICIENTIA**, seu Ἀυτάρκεια, qua Deus ipse sibi sufficit in omnibus istis, quæ ad esse aut beatum esse suum quicquam facere concipiuntur, ita ut nihil extra se indigeat, Gen. 17. 1. **אֵל שׁוֹרֵף** Act. 17. 24, 25. *Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo sunt, nullius rei necessitatem habet, &c.* Job. 22. 2, 3. *An quisquam Deo prodesse potest? An ex eo prosperatur Deus? An oblectationi est omnipotenti?* Hanc Theologia naturalis appellat *Ascitatem*, quando concipit Deum omne-essentiæ & existentia fundamētum habere in se.

**2. INFINITAS**, seu ipsum esse absolutum, qua omnes perfectiores absolute, id est, sine ulla limitatione possidet plenarie: quod Paulo dicitur **πλήρωμα θεότητος**, Col. 2. 9. Deoque attribuitur etiam, Job. 11. 7. *Numquid per investigationem Dei assequeris? aut usque ad finem omnipotentis pertinges?* Verùm cum S. Script. potissimum relate loquatur, appellat *supremitatem*, quæ includitur nomini **אֵל**; nonnunquam *altitudinem summam, & magnitudinem imperscrutabilem*: Pl. 97. 9. *Tu es JENOVA, excelsus supra omnem terram, valde elatus es supra omnes Angelos.* Pl. 145. 3. *Magnitudo Dei est imperscrutabilis.* Ex quâ inferit incomprehensibilitatem, Job. 11. 7-9. *Numquid per investigationem pertinges? altitudino caeli quid facies? profundius inferno quid nosces? longior ter-*

### 32 DE ATTRIBUTIS SEU EXCELLENTIIS DEI. Cap. II.

*ra est mensura ejus, & latior mari.* Jef. 55. 8, 9. --*ut alti sunt cœli supra terram, ita altæ viæ meæ supra vias vestras, & cogitationes meæ supra cogitationes vestras.* Et incomparabilitatem, Jef. 40. 18. 25. *Cui comparabitis Deum fortem, ut equalis essem? ait sanctus.*

1. SIMPLICITAS, quæ, philosophicè considerata, est attributorum omnium in Deo identitas, & omnium in Deo perfectionum arctissima & essentialis unitas, quâ re ipsâ omnes Dei perfectiones, tum simul, tum seorsim consideratæ, sunt una atque eadem essentia, adeo ut separari, aut seungi, aut alterari non possint. Quùm Deus actus purus sit, non potest non omni ratione esse simplex, quod ipse Deus ostendit, quando dicit, *Ero qui ero*, Ex. 3. 14. seu *sum qui sum*, omne, quod in me est, hoc ipse sum, non in me est illud & illud &c. Hinc vocatur *vita, lux, veritas, amor*, non minus quam vivens, verax, &c. quam simplicitatem S. Script. præsupponens sub *spiritualitate* comprehendit, intelligendâ cum exclusionem omnis corporeitatis Joh. 4. 24. *Deus est Spiritus.* Ut excludat, quicquid propter extensionem divisibile est, aut heterogeneum: unde & S. Script. Deo adscribit, quod sit invisibilis, 1 Tim. 1. 17. vocatur *Rex invisibilis.* Exod. 33. 20. 23. *Facies mea, inquit Deus, non potest videri, sed videbitis posteriora mea:* id est, à nulla creatura videor in essentia meâ incomprehensibili perfectione: licet hæc verba etiam alium sensum fundant. Deut. 4. 15, 16.

7. IMMUTABILITAS, quæ est identitatis perfectionum constantia, cui nihil aut accedere, aut à quo nihil recedere potest. Ps. 102. 28. *Tu idem es.* Exod. 3. 14. *Sum qui sum*, id est, *Ego Jehovah non mutor*, Mal. 3. 6. LXX. habent *ἀλλαιὸς*, quod est alium, seu diversum fieri. Jac. 1. 17. Nihil unquam illi accedere potest, propter sufficientiam omnimodam & absolutam antea probatam. Nihilque recedere potest, propter incorruptibilitatem in S. Script. affirmatam. Rom. 1. 23. 1 Tim. 1. 17. dicitur *incorruptibilis.*

Ex quibus quatuor attributis essentia sequitur bonum illud propter sufficientiam esse *Nobile*. Propter absolutam naturam esse *summum*. Propter simplicitatem esse *merum*, & propter immutabilitatem esse *constans*.

B. EXI-

B. EXISTENTIÆ duo concipimus attributa relata;

N. ÆTERNITATEM, quæ est ipsa existendi absoluta necessitas, relata ad res, principium, successionem, & finem habentes. Rom. I. 20. *Ipsius invisibilia jam inde à condito mundo, ex iis quæ fecit, animadvertenda conspiciuntur, ejus cum æterna potentia, tum divinitas &c.* sic Rom. I. 26. vocatur *æternus Deus.* I Tim. I. 17. Gen. 21. 33. I Sam. 15. 29. vocatur *æternitas Israël.* Pf. 90. 2. *Quum nondum montes essent editi, aut formasset terram orbemque habitabilem, denique inde à seculo in seculum tu es.* Adde Pf. 102. 25-28. *Per generationem æternam sunt anni tui, antequàm terram fundasset, & opus manuum tuarum essent cæli, ista peritura sunt, tu autem permanes, &c.*

a. Relatè ad principium & finem rerum possibilium, ut uterque terminus de illo negetur, vocatur *Primus & Ultimus:* Jef. 41. 4. *Quis operatus est & fecit? quis vocat generationes inde à principio? Ego JEHOVAH primus & ultimus.* Confer Jef. 44. 1. Apoc. I. 8, 11. *Ego sum α & ω, principium & finis, primus & ultimus.* Et Cap. 22. 13.

β. Relatè ad coëxistentiam incommensurabilem, collatam tamen cum duratione rerum creaturarum, propter nostrum concipiendi modum, vocatur, *qui est, qui erat, & qui erit,* Apoc. I. 8.

γ. Relatè ad successionem creaturarum, existendi simultaneitas inculcatur, dum *mille anni esse dicuntur illi sicut unus dies,* Pf. 90. vers. 4.

Neque obstat, quod עתיד וימין vocetur Dan. 7. 9. & S. Script. ei aliquando videatur præteritum & futurum tribuere: quoniam hæc relate dicta tantum notent coëxistentiam Dei cum creaturis, temporum vicissitudinem compensantem.

γ. OMNIPRÆSENTIAM, quæ est ipsa existendi actualitas, relata ad creaturas corporeas, in esse & perseverare ab eo dependentes: cavendum enim est, ne præsentiam Dei concipiamus, ut per spatia diffusam, cum loco non indigeat, qui ante locum fuit, locumque creavit: & diffusio extensionem connotet, ut proinde tantum præsentiam potentiæ efficacis significet.

α. Probamus hanc omnipræsentiam contra Vorstium, ex locis I Reg. 8. 27. *cæli cælorum non capiunt te.* Pf. 139. 7-10. David

(E) egre-

### 34 DE ATTRIBUTIS SEU EXCELLENTIIS DEI.

egregie & pluribus describit Dei omnipræsentiam. Jer. 23: 23, 24. Act. 17: 24.

β. Defendimus contra ejus objectiones desumptas ex locis Matth. 6.9. ubi precamur: *Pater noster qui es in cælis.* 1 Reg. 19. 11, 12. dicitur, *Deus nec fuisse in vento vehementi, nec in terræ motu, nec in igne, sed videtur fuisse in leni aura.* Deut. 23. 12-14. *Deus dicitur indefinenter ambulare in medio castrorum populi Dei: quum contrà minatur, Num. 14. 42. Se non futurum in medio populi, adeoque Deus modò est præsens loco, modò absens &c.*

Ex quibus duobus attributis existentiae *summum nostrum Bonum* nobis commendatur, ut propter æternitatem *perpetuum*. Et propter omnipræsentiam *se latè porrigens & diffundens*.

C. VITÆ Dei consideratio conceptui essentiae superaddit conceptum actualitatis, (vivere enim est ex insito principio actualis esse) quatenus concipimus Deum ut actum purum, cujus vita est vita Spiritus; qui actus purus, quum sit rationalis, alius esse non potest, quam actus cogitativus, id est, intellectio & volitio; ut Deus sit perfectissima, æterna, atque infinita cogitatio seu intellectio & volitio. Sive actualitas ejus est *cogitare*, id est, *intelligere & velle*. Hanc vitam S. Script. Deo diligentissime vindicat. Deut. 32. 40. Jer. 10. 10. *Jehovah Deus verus est, Deus vivens & sempiternus Rex.* Matth. 16. 16. Christus vocatur *Filius Dei viventis*. Ejusque proprietates sunt,

N. INTELLECTUS, quo se ipsum cognoscit, omniaque alia, quæ extra ipsum sunt, unico actu & ictu.

a. Intellectum Dei asserimus convenienter S. Scripturæ, 1 Sam. 2. 3. *Deus est cognitionis omnimodæ Jehovah.* Pl. 147. 5. *Intelligentia Dei est innumerabilis.* 1 Joh. 3. 20. *Deus novit omnia.*

β. Modus cognoscendi concipi debet, ut sit in Deo,

a. Per modum *actus* non potentiae: quia transitus à potentia in actum successionem & mutationem in Deum inferret.

b. *Noeticè*, non *dianoeticè*; quia *dianoëtica* cognitio involvit ignorantiam, dubitationem, perplexitatem, laborem, & defatigationem, quæ omnia à Deo removenda sunt.

c. *Mode*

DE ATTRIBUTIS SEU EXCELLENTIIS DEI. 35

- c. *Modo adæquato & universali* etiam rerum extra se; quoniam ab ipso ejusquæ voluntate dependent.
- d. *Constans* etiam, ut nullarum rerum obliviscatur; quod ipsum successionem & mutationem inferret.
- γ. Dividitur nostro concipiendi modo scientia Dei, in
- aa. **NECESSARIAM**, quam vocant *simplicis intelligentiæ*; quæ cognoscit se ipsum & potentiam suam, non considerato decreto suo.
- bb. **LIBERAM**, quæ vocatur *visionis*; quæ cognoscit rerum naturas & futuritiones ex decreto suo profluentes. Secundum hanc cognoscit Deus,
1. *In genere, omnia*, 1 Joh. 3. 20. Hebr. 4. 13. *Non est creatura ab ejus conspectu occulta, sed ei omnia sunt γυμνά* (sine ullo velo, tegmine) καὶ τελεγχηλιζμένα *resupinata*; metaphora defumta à mactatione animalium per Levitas, qui animalia resupinata per spinam dorsi dissecabant, ut foris & intus pateat, num purum animal sit, nec ne, quod prius latebat.
2. *In specie*,
- a. *Res minimas*: Matth. 6. 28. ut lilia agri, & Cap. 10. 29. etiam *passeres*, imò eorum *casum*.
- b. *Possibilia non futura*: Matth. 26. 52. *Auxilium angelorum ad liberationem Christi ex manu captivantium*.
- c. *Contingentia & Libera*: Ps. 139. 2. *Cognoscis sedere meum, & surgere meum, intelligis cogitationem meam è longinquo*. Act. 15. 18. *Nota sunt à seculo opera Dei*, quod contra Socinianos, Π. ψ. hanc præscientiam præjudicare libero arbitrio stantes,
- α. **Defendimus**
- a. *Ex locis, præscientiam illam adstruentibus, & ut characterem divinitatis asserentibus*: Ps. 139. 2. Jes. 41. 22, 23. *provocat Deus, ut indicent, quæ eventura sunt in posterum, ut Dii cognoscantur*.
- b. *Ex Prophetiis, res à contingentibus & ab arbitrio humano dependentes prædicentibus*: Gen. 15. 13. *ubi Deus prædicit feruitatem posterorum Abrahami in terra aliena*. Matth. 26. 24.



36 DE ATTRIBUTIS SEU EXCELLENTIIS DEI.

Joh. 6. 70, 71. prædixit prodicionem Judæ. Adde Cap. 13. 18. & 19. 36. ubi prædictum fuit, *ossa Christo non fractum iri*, &c. quæ omnia dependebant ab arbitrio Pharaonis, Judæ, militumque

β. Vindicamus ab objectionibus, dum opponunt,

a. Contingentium & liberarum rerum non esse determinatam veritatem.

b. Pugnare necessitatem cum contingentia & libertate.

c. Ex loco Gen. 22. 1. *Factum est post hæc, ut Deus tentaret Abrahamum*, & aliis, ubi Deus hominem tentare dicitur; tentare autem involvit prius nescivisse.

cc. **MEDIAM** inter utramque, ut *εὐρημα* Jesuiticum, à Remonstrantibus nimis avide adoptatum, rejicimus, qui mediam vocant **SCIENTIAM CONDITIONATAM**, quâ, positis quibusdam circumstantiis, non certo præcognitis, Deus præsciret præmissorum consequentiam; quid nempe futurum sit, si talis res possibilis contingat, aut arbitrio humano statuatur, quæ prærequiritur ad effectum præcognitum promovendum. Π. ψ. Causa erroris fuit, ut præscientiam Dei cum libertate humana & contingentia rerum conciliarent.

a. Refutamus hanc doctrinam,

a. Ex dictis S. Script: derogantibus causis secundis potestatem intervertendi vias Dei. Jer: 10: 23. *Novi, Jehova, non esse penes hominem viam ipsius, non esse penes virum ambulantem vel dirigere gressum suum.*

b. Ex dictis, determinationem causæ primæ adscribentibus: Jes. 46: 10. *Indico à principio finem, & ab antiquo, quæ nondum facta sunt, dicens: consilium meum stabit, & omnem delectationem meam facturum sum.* Prov: 16: 9. *Animus hominis excogitat viam suam, sed Jehova statuit gressum ejus.*

c. Ex insufficientia conciliationis intentæ: non enim hac via præscientiam Dei cum libertate humana conciliant, sed præscientiam Deo detrahunt, & in scientiam conjecturalem resolvunt, quæ multas imperfectiones in Deum infert.

β. Vindicamus sententiam orthodoxam adversus objectiones

a. Ex

DE ATTRIBUTIS SEU EXCELLENTIIS DEI. 37

- a. Ex testimoniis desumtas, 1 Sam. 23. 12, 13. ubi quærenti Davidi, an *Kebilei* Davidem essent tradituri? Deus respondit: *tradent.* Matth. 11. 22, 23 Ezech. 3. 6. *Si te mitterem ad populos ignotò sermone, te audirent.*
- b. Ex ratione, qua necessitatem & libertatem reconciliari posse negant; & contradicentium partem alteram veram esse, alteram falsam, antecederet ad decretum Dei, urgent.
2. VOLUNTAS, quæ est vitæ Dei actuositas absoluta, qua tendit in se ipsum amore absoluto, & in res extra se pro beneplacito, de iis statuendo quod cum decentiis suis convenit.
- a. Voluntatem in Deo agnoscit S. Scriptura: Rom. 12. 2. vocatur *voluntas Dei, bona, accepta & perfecta.* Eph. 5. 10. Apoc. 4. 11. *Per voluntatem tuam, o Domine, sunt omnia, & creata sunt.* Nequè etiam à natura Dei spirituali, antea probata, separari potest.
- β. Modus volendi, ut non lædamus conceptum absolutæ perfectionis divinæ, concipi debet,
- a. Non per modum *potentiæ*, sed *actus purissimi*, ut facta tecta maneat Dei immutabilitas.
- b. Ut universalis, extendens se ad omnia cognita, nisi velimus res inferiores independentes facere à Deo.
- γ. Distinctio voluntatis Dei est tantum distinctio objectorum, ad quæ ea tendit; quæ propter peculiarium relationem, quam ad Dei voluntatem habent, diversos solummodò in nobis concipiendi modos excitant: Hinc relatè
- a. *Ad Deum ipsum* dicitur BEATITUDO, quæ est acquiescentia voluntatis divinæ in independenti absolutæ gloriæ suæ possessione, cujus sibi conscius est. 1 Tim. 1. 11. *Beatus Deus,* & Cap. 6. 15.
- b. *Ad res extra Deum*, quatenus ab ejus dispositione dependentes concipiuntur. Hæc relatio ad res divinâ dispositione determinandas dicitur LIBERA POTESTAS, quæ nihil aliud est, quam jus Dei absolutum & independens, quo de omnibus aliis extra se disponere potest, ut convenienter decentiæ & sanctissimæ naturæ suæ vult, non determinatus à rebus extra se consideratis: Dan. 4. 17. *Excelsus dominatur in regno hominum,*

38 DE ATTRIBUTIS SEU EXCELLENTIIS DEI

adeo ut, cui vult, tradat illud, & abjectissimum constituat in illo. Matth. 20. 15. *An non mihi licet, inquit Dominus vineæ, quod volo, facere in meis?* Rom. 9. 18. *Cujus vult miseretur, quem autem vult indurat, quod vs. 21. probat hoc simili: An non figulus potestatem habet in lutum? &c.* At circa dispositionem rerum ipsam hæc voluntas,

I. Relatè ad ipsius manifestationem, discernitur

o. In occultam & revelatam, Deut. 29. 29. *Quæ occulta sunt, penes Jehovam Deum nostrum sunt: at quæ revelata, nobis & filiis nostris usquè in seculum, sc. revelata sunt, ut faciamus omnia verba legis hujus, quæ lex non operum est, nec solos Judæos, sed & Gentes obligat, ut versu 14, 15. patet: Pango hoc fœdus meum non vobiscum solis, inquit Deus Israelitis, sed cum eo, qui adstat hic nobiscum hodiè, qui sunt Judæi; & cum eo, qui non est hic hodie nobiscum, qui sunt Gentiles, ad fœderatum Deum convertendi. Vide Ephes. 2. 12.-17.*

α. OCCULTA, (quæ & *Beneplaciti* dicitur) versatur circa res non nisi ex eventu cognoscendas.

β. REVELATA, (quæ & *signi* vocatur) versatur circa res aut obligationes, signo aliquo externo, seu vocis seu manifestationis naturalis in antecessum cognitæ.

οο. Huic revelationi respondet veritas, aut, si mavis, *veracitas*, quæ est convenientia signi cum ipsa mente divina, quæ eam ideam in nobis excitare intendit, quæque cum rei natura aut futuritione convenit. Unde

α. Relatè ad convenientiam signi cum re significatâ simpliciter vocatur *veritas*, quia Deus mentiri non potest. Rom. 3. 4. *γινέσθαι ὁ θεὸς ἀληθής. Tit. 1. 2. ὁ ἀψευδὴς θεός.*

β. Relatè ad promissiones *fidelitas* vocatur, 2 Cor. 1. 18. *Fidelis Deus.*

II. Relatè ad decretum Dei, quatenus concipitur ut יְהוָה & Dominus צְבָאוֹת, cui competit imperium in creaturas, distinguitur

α. In ordinantem & gubernantem.

α. ORDINANS respicit decretum quoad speciem, ordinem definiens per definitionem nexus rerum possibilium, comprehendens sub se

## DE ATTRIBUTIS SEU EXCELLENTIIS DEI. 39

- a. *Voluntatem obligationis*, quam *præcepti* vocant, quæ species voluntatis signi est, signo aliquo, id est, voce divinâ aut notionibus quibusdam infitis, creaturæ rationali officium suum indicans, ad quod præstandum eam obligatam vult, Rom. 12: 2. *Ad probandum, quæ sit voluntas Dei, vna illa, accepta ac perfecta.* Ephes. 5. 10. *Probantes, quid sit acceptum Domino.*
- b. *Voluntatem evāgēsētiās*, quæ *approbans* vocatur, qua inter virtutem & conjunctionem sui nexum voluit, nec non inter peccatum & disjunctionem sui.
- β. GUBERNANS, quæ est *decreti quoad exercitium*, qua voluntas disponens versatur circa rerum futurationes.
- γγ. VIRTUTES ad utramque relatæ sunt sequentes,
- αα. Relatè ad voluntatem obligationis est SANCTITAS, quæ est ipsa puritas divinæ voluntatis, quæ se exemplar virtutis ita proponit, ut salvis suis decentiis creaturæ rationali officium, imaginem suam exprimens, non possit non præscribere; 1 Pet. 1. 15. *Sicut is, qui vos vocavit, sanctus est, ipsi quoque sancti in omni conversatione reddamini.* Hab. 1. 13. *Purior es, ô Deus! oculis, præ ut videas malum, & intueri ærumnam non potes, quare perfidos intraceris? &c.*
- ββ. Virtus relatè ad evāgēsētiā est JUSTITIA Dei, quæ est voluntas disponens circa præmiorum electionem & collationem, ad creaturarum virtutes & vitia respiciens, ut eas ex liberalitate remuneratione dignetur: illa verò pro merito puniat: hanc Deo esse naturalem, aut, si ita mavis, ex *decentia Dei* fluere, quam negligere aut abnegare non potest,
- a. Probamus contra Socinianos, eam *arbitrariam* statuentes π. ψ. ut necessitatem satisfactionis Christi enervent.
1. Ex nominibus Dei. Ex. 34. 6. 7. non solum vocatur, *Deus misericors, graciosus, &c. sed & qui fontem non absolvit, visitans iniquitatem patrum in filios.* Qui *justus Judex* appellatur, Neh. 9. 33. Jer. 11. 20. Pl. 11. 7. *justus Jehova, quæ justa sunt diligit, &c.* Et *vindex justitiæ*, Pl. 9. 5. *Sedisti in solio, ô vindex justitiæ!*
2. Quia pœna peccati derivatur ex ejus *sanctitate*; Jos. 24. 19. *Deus*

## DE ATTRIBUTIS SEU EXCELLENTIIS DEI.

*Deus sanctissimus est; Deus fortis Zelotes est, non ferret, sc. impunitam, defectionem vestram & peccata vestra. Ex ejus puritate; Hab. 1. 13. ex jure; Rom. 1. 32. Est dixaloua, jus Dei, quod, qui talia sc. peccata faciunt, morte digni sint. 2 Theff. 1. 6. Est justum apud Deum rependere, &c. nec non ex odio adversus peccatum: Deut. 25. 16. Abominationi est Jehovahæ Deo tuo, quisquis facit iniquitatem.*

3. Ex natura peccati, Dei decentiis ita adversi, ut factum crimen habens propter veritatem nullo testimonio laudare possit, sed aliquo testimonio debeat vituperare, quo se ipsum non abneget; 2 Cor. 6. 14. *Quod consortium justitiæ cum injustitia? quæ communicio luci cum tenebris? &c. 1 Joh. 1. 6. 7. Si dicamus nos communionem cum ipso habere, & in tenebris, hoc est, in via peccati, incedimus, mentimur, nec sincere agimus, &c. Conf. 2 Tim. 2. 13. Si insidi sumus, Deus fidus manet. Negare se ipsum non potest: Hinc Pf. 50. 21. dicit Deus peccatori, peccatum, quasi decentiis Dei non adversum, negligenti: Hæc fecisti, & silui, putasti, quod omnino tui similis sim: Arguam te, & aciem dirigam contra oculos tuos, id est, dedi tibi spatium ad pœnitentiam, & dissimulavi peccatum tuum; tu vero tantum abes, ut pœnitentiam ageres, ut etiam persuaseris tibi, me eodem animo esse, quo tu; ergo gloriæ meæ causâ redarguam te, &c.*

b. Vindicamus adversus objectiones.

1. Quod homo de jure suo remittere possit, multo magis Deus.
2. Quod omnes operationes Dei ad extra sint liberæ, ac proinde ejus contrarium statuere possit.
3. Quod Deus non puniat quantum potest, & quando potest, ac proinde videatur & posse non punire.

Hæc justitia Dei dividitur etiam in

- a. UNIVERSALEM, quæ est rectitudo Dei in omnibus dictis & factis suis, gloriæ ejus respondentibus, Deut. 32. 4. *Rupis illius opus est perfectum, omnes viæ ipsius sunt jus, Deus fortis, fidelis, & expers iniquitatis, justus & rectus est.*
- b. PARTICULAREM, quæ agit ex lege ejus lata & data, consistens

## Cap. II. DE ATTRIBUTIS SEU EXCELLENTIIS DEI. 41

sistens in æquali pœnarum & præmiorum distributione; atque in ordine ad pœnas dividitur in *necessariam* & *arbitrariam*, quæ ultima respicit solum œconomiam gubernationis mundi in tempore.

γγ. Relatè ad voluntatem gubernantem est BONITAS, quæ

a. Relatè ad creaturas in communi *Bonitas* simpliciter dicitur, & *Benignitas*, Ps. 145. 8, 9. *Bonus est Dominus omnibus, & misericordia ejus est super omnes facturas, sive creaturas ejus.*

b. In specie respectu creaturarum rationalium, quatenus tendit,

1. Erga peccatores in peccato hærentes, quæ vocatur PATIENTIA, seu LONGANIMITAS, quamdiu pœnas promeritas differt ad tempus, eosque beneficiis providentiæ suæ accumulatur. Num. 14. 8. *Si delectatur nobis Jehovah, id est, si diutius patientiâ & longanimitate erga nos uti vult, introducet nos quoque in terram istam &c.* 1 Pet. 3. 20. *Prædicavit immorigeris olim, quum expectabat Dei patientia in diebus Noë, &c.* Eadem vocatur TOLERANTIA, quatenus peccator sceleribus gravioribus Deum ad supplicium provocans, non tamen illico punitur; ut Rom. 2. 4. dicit Paulus: *An divitias benignitatis Dei & tolerantiae & longanimitatis contemnis, ignorans te benignitate Dei ad respiscendam duci?*

2. Erga peccatores electos, & in statum gratiæ transferendos, unde in Deo commendatur

a. AMOR, significans benevolentiam singulari propensione tendentem in electos. 1 Joh. 2. 5. vocatur *ἡ ἀγάπη* & *ἰσῆ*. Rom. 5. 8. *Commendat charitatem suam erga nos Deus.*

b. GRATIA, quæ est benevolentia, conferens salutaria dona præter ullum creaturæ meritum; Exod. 34. 6. Deus nude absque ullo nostro merito clamat: *Jehova, Jehova, Deus fortis, --- gratosus, &c.* hinc Rom. 11. 6. *Electio dicitur facta ex gratia, idque contradistincte ad opera.* Clarissime autem illa gratia patet Ephes. 2. 8. *Gratia, estis servati per fidem, idque non ex vobis: Dei donum est.*

c. MISERICORDIA, quæ est benevolentia tendens in creaturam miseram, ad ejus liberationem & restitutionem: Exod. 34. 6.

(F)

70

## 42 DE ATTRIBUTIS SEU EXCELLENTIIS DEI. Cap. II.

vocat se Deus *Misericordem*. Mich. 7. 19.

11. AFFECTUS, vel QUASI AFFECTUS, dicuntur voluntatis divinæ relationes ad effectus, cum connotatione dispositionis mediæ ad effectus concurrentium; qui, licet in hominibus perturbationes indicent, in Deo tamen puram voluntatem significant, perturbationem tantummodo in mediis, seu organis operationum suarum sistentem, ex quibus homo voluntatem Dei ad gratiam colligere possit, quales sunt, *odium, ira, zelus* &c. de quibus videatur Burmannus.

17. VOLUNTATIS EFFICACIA, quæ vulgo vocatur POTENTIA DEI, nihil aliud est, quam ipsa sufficientia Dei illimitata, quâ, quicquid vult, efficit, & sine ullo labore aut defatigatione solo jussu præstat, Ps. 115. 3. *Deus noster est in cælo, quicquid vult, facit.* Jes. 40. 26, 28. *An non nosti? nonne audivisti Deum æternum Jehovah, Creatorem extremitatum terræ non defetisci, nec defatigari.* 2 Chron. 20. 6.

α. Modus concipiendi POTENTIAM illam, ne Deo absurdum attribuamus, exigit,

a. Ut concipiamus per modum *actus purissimi*, ut non concipiatur transire ex non agente in agentem.

b. Ut non concipiatur operari per *emanationem*, seu res respondere voluntati solo jussu: Ps. 33. 6, 9. *in verbo Domini cæli facti sunt, & in spiritu oris ejus omnis exercitus illorum, &c.* Apoc. 4. 11. *Tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam sunt, & creata sunt.*

β. Dividi solet

a. In ABSOLUTAM, quâ omnia potest, quæ naturæ Dei non repugnant, 2 Cor. 6. 18. Apoc. 4. 8. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, Deus omnipotens &c.* Mat. 19. 26. *Apud Deum omnia possibilia sunt.*

b. In ORDINATAM, quatenus omnia efficit, quæ futura decrevit, ut in nullo eorum inhiberi aut impediri possit. Jes. 14. 27. 1 Sam. 14. 6. *Jehovæ non est impedimentum, quin servet multis aut paucis.* Eph. 1. 11. *Omnia facit ex consilio voluntatis suæ.* Estque ea aut ORDINARIA, quando res mundi administrat secundum leges naturæ, vel EXTRAORDINARIA,

in

**Cap. II. DE ATTRIBUTIS SEU EXCELLENTIIS DEI. 43**  
in patratione miraculorum, quæ fiunt supra leges nature.

Ab hac vita commendatur nobis **SUMMUM BONUM**, in quantum concipitur, ut nobis communicabile, & ad communicationem sui tendens. Quod

- a. Per intellectum suum infinitum nos nostraque omnia cognoscit, nilque eorum ipsum latet, ne metus sit, ut nos per inadvertentiam prætereat.
- β. Per voluntatem sanctam suam & justam, licet nobis non indigeat, nihilominus ad decenter eum quærendum invitat, indicans in sanctitate esse communionem cum summo bono.
- γ. Per bonitatem talia in amatis efficit, quæ ad decentem secum conjunctionem in creaturis requiruntur, ipse quippe fons vitæ & largitor gratiæ.
- δ. Per potentiam omnia promissa præstare, suosque in sui communionem ita tueri potest, ut nihil aliunde metuendum sit, quod conjunctum à possessione summi istius boni separet.

**C A P. III.**

**DE DEO TRI-UNO.**

*Secundum Mysterium Trinitatis.*

**P**ostquam ideam Deitatis vidimus in se, nunc porro considerandum, cui conveniat, & in quo illa Deitas suspicienda veniat.

A. Cavet S. Script., ut hanc Deitatem multiplicemus, unde seriò tradit, **DEUM** tantum **UNUM** vel **UNICUM** esse; præter quem nullus alius sit. Quæ **UNITAS** est essentiæ divinæ supremæ singularis, quæ parem non habet. Quam contra πολυθεϊαν Gentilium S. Script. sæpius inculcat, *Jes. 44. 8. Vos estis testes mei, an est Deus præter me? &c. Rom. 3. 30. Unus est Deus. Pl. 83. 19. Et cognoscant, quod tu, cujus nomen Jehovah solius est, supremus super omnem terram es.*

(F 2)

B. Ni-



B. Nihilominus jubet nos S. Script. credere in illa unitate *pluralitatem*, & in specie *Trinitatem*. PLURALITATEM: Gen. 1. 26, 27. *Faciamus hominem ad imaginem nostram, &c.* ubi nec ad Angelos, nec more Magnatum, sed ad Divinitatis personas, quippe **CREATORES**; (Esa. 54: 5.) loquitur Deus. Gen. 3. 22. Hof. 12 4, 5. *Pluralitatem* etiam evincunt loca, in quibus Dominus de Domino, Jehovah de Jehovah, aut Jehovah loquitur, Deusquæ à Deo distinguitur, eive opponitur, vide Gen. 19. 24. Pf. 45. 8. *Unxit te, b DEUS! DEUS TUUS oleo alacritatis.* Pf. 110. 1. Dan. 9. 17. Sanctè etiam observanda loca, in quibus de Deo agens Scriptura, *Sanctos* memorat & *Vigiles*, Hof. 12. 1. Jos. 24. 19. Et *Altissimos*, Dan. 7. 25. *Factores*, & *Ecclesiæ Maritos*, Jes 54. 5. & *Propinquos* Deut: 4. 7. **TRINITATEM**: Pf. 33. 6. Jes. 63. 9-14. memoratur *Angelus faciei*, & *Jehovab*, & *Spiritus Jehovahæ*. Jes. 48. 16. *Jehovab misit me*, ait *Filius Dei*, & *Spiritum ejus*. Hagg. 2. 4, 5, 6. memoratur *Jehovab* & *Verbum* & *Spiritus Jehovahæ*. In N. T. Mat. 3. 16, 17. Pater locutus, Filius baptisatus, Spiritus sanctus in forma columbæ apprens, clarè evincunt Trinitatem: adde baptisimi institutionem, Mat. 28. 19. item Joh. 14. 16. Cap. 15. 26. 2 Cor. 13. 13. & exerte 1 Joh. 5. 7.

C. Quæ tamen ita inculcat S. Script. ut non sint contradictoria, quia non affirmantur de eodem subjecto secundum idem, ad idem, & eodem modo; nam

1. **UNITAS** affirmatur de Deo *secundum essentiam*, ut hi tres sint *unum Ens summum*, 1 Joh. 5. 7. *Tres sunt, qui testificantur in cælo PATER, SERMO, & SPIRITUS SANCTUS, & hi tres in unum sunt.*

2. **TRES** dicuntur *secundum personalitatem*, per quam in Divinis intelligimus singularem, indivulsam & æqualem essentix divinæ possessionem, certis quibusdam proprietatibus characteristicis distinctam, quæ efficiunt, ut possidentes sint ἄλλο & ἄλλο, licet non sint ἄλλο & ἄλλο.

3. **PERSONAS** itaque dicimus ejusdem essentix possessores singulares, quatenus quilibet ἄλλο & ἄλλο est, Joh. 14. 16. EGO *rogabo PATREM, & ALIUM PARACLETUM dabit vobis &c.* *reijcientes*

### Cap. III. SECUNDUM MYSTERIUM TRINITATIS. 45.

- a. *Sabellianismum*, unicam solummodo personam, diversimode nominatam, in essentia Dei stantem; cum S. Scriptura,
1. Personaliter de singulis loquatur verbis pluralis numeri, plures personas designantibus, ut de pluralitate in Deitate probavimus.
  2. Quia Tres testes disjunctos designat, 1 Joh. 5. 7. Ita ut unus ad alium sermonem dirigat, & de alio; Ps. 2. 7. *Dominus dixit ad me; Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Joh. 15. 26. Cap. 5. 32. *Alius est, qui testatur de me, &c.*
  3. Quia proprietatibus characteristicis incommunicabilibus eos à se invicem distingui, suo loco videbimus.
- b. *Tritheismum*, quando dicimus, esse indivisam ejusdem essentiae divinae possessionem, quæ non admitit, ut ἄλλο & ἄλλο dicantur; quam partem definitionis nostræ probavimus à certa Dei unitate.
- ββ. Numerum determinavimus, cum Tres diximus agnoscendas esse personas divinas, PATREM nempe, FILIUM & SPIRITUM SANCTUM.
- α. PATER, prima Deitatis persona characteribus GENERANTIS à Filio, & MITTENTIS à Spir. Sancto distincta.
1. PERSONALITAS Patris evidens est, cui intellectus, voluntas, & aliæ operationes singulatim attribuuntur; Mat. 11. 25-27. *Dixit Jesus: ἐξομολογῶμαι σοι Pater--etiam Pater, quia ita placuit Tibi, &c.* Joh. 5. 17. *dixit Jesus: Pater meus usque adhuc operatur, &c.*
  2. DEITAS extra controversiam est, præsertim cum κατ' ὁμονομίαν sæpius singulari ratione DEUS dicatur. Vide Joh. 3. 16. *Ita dilexit Deus mundum, ut filium suum unigenitum dederit, &c.*
  3. DISTINCTIO CHARACTERISTICA proprietates agnoscit,
- αα. PRIMITATEM ordinis personalis in operando, dum Pater à se, Filius à Patre, & Spir. S. ab utroque œconomicè agere dicuntur.
- bb. GENERATIONEM ACTIVAM Ps. 2. 7. *Hodie genui te.*

(F 3)

cc. SPI-

cc. SPIRATIONEM ACTIVAM cum Filio, Joh. 15. 26. *Quum autem venerit Consolator ille, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus ille veritatis, qui à Patre ἐκπορεύεται procedit, &c.*

2. FILIUS, qui est altera Deitatis persona, cum Patre & Spiritu S. eandem essentiam divinam indivulſe & æqualiter possidens, suis tamen proprietatibus characteristicis ab utroque distinctus.

1. PERSONALITAS huic competit, quippe cui existentia ante nativitatem ex virgine attribuitur, Joh. 8. 58. *Amen, amen dico vobis, priusquam Abraham fieret, ego sum.* Et vita singularis intellectus & voluntatis, Joh. 5. 26. *Sicut Pater habet vitam in se ipſo, sic dedit & Filio habere vitam in se ipſo.* Mat. 11. 27. *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quisquam novit, nisi Filius, & cuicumque voluerit Filius retegere.*

2. DEITAS ejus controvertitur inter nos & Judæos, ac Socinianos, hæc in parte Judaizantes: illos, inquam, à fide patrum deficientes, qui Angelum Assertorem crediderunt verum Deum, Angelorum principem, ac patrum & totius populi Deum tutelarem. Hos vero, post negatam satisfactionem, tantam dignitatem in filio non agnoscentes, sed tantum *hominem deificatum*, Patre minorem, reliquis creaturis superiorem fingentes: Nos autem

•. VERAM DEITATEM asserimus,

a. *Ex nominibus divinis, dum Θεός simpliciter & subjective vocatur, Joh. 1. 1. In principio erat sermo, ---eratque ille Sermo Deus.* Act. 20. 28. *Deus Ecclesiam proprio sanguine acquisivit.* 1 Tim. 3. 16. --*Deus ἐφανερώθη in carne---*&c. Imo & κατ' ἐξοχήν cum singularibus epithetis, *Jes. 9. 5. vocatur אל גבור Deus fortis.* Rom. 9. 5. *dicitur Christus Deus laudandus super omnes in secula.* Tit. 2. 13. *dicitur magnus Deus & servator noster Jesus Christus.* 1 Joh. 5. 20. adde nomen יהוה illi attributum: *Jer. 23. 6. Jehovah justitia nostra, qui est Christus, factus nobis justitia,* 1 Cor. 1. 30. *Jes. 25. 9. Ecce Deus noster hic est, expectamus eum, & servat nos, hic est Jehovah, quem expectamus, exsultabimus, & letabimur de salute ejus.*

Nec

Cap. III. SECUNDUM MYSTERIUM TRINITATIS. 47

Nec non ipsam Deitatem illi in abstracto adscriptam legimus, Col. 2. 9. *Plenitudo Deitatis inhabitat in Christo corporaliter.* Phil. 2. 6. Paulus tribuit Christo *μορφήν θεῶν, Ἐσσε ἴσον θεῶν.* Judæis opponimus testimonia de Angelo increato. Gen. 48. 16. Exod. 3. 2. 23. 20. Jos. 5. 14. Jes. 63. 9.

- b. *Ex attributis, cum Essentiæ, ut est Independentia, Apoc. 1. 8. Jes. 9. 6. & infinita perfectio. Col. 2. 9. tum Existentiæ, qualia sunt Æternitas, ut Mich. 5. 1. Messix egressiones dicuntur ab initio, ante dies seculi. Prov. 8. 22. Joh. 1. 1. Jes. 9. 5. Pater æternitatis. Omnipræsentia, Joh. 3. 13. dicitur Christus, de cælo descendens; tum, quum in terris esset, esse in cælo. Matth. 18. 20. Ubi duo vel tres in nomine meo, dicit Christus, sunt congregati, illic sum in medio eorum. Adde & Attributa Vitæ, ut Omniscientia. Joh. 2. 24. 25. Cap. 21. 17. dicit Petrus: Domine, tu omnia nosti: Est quippe Scrutator renum & cordium, &c. Apoc. 2. 23. & Omnipotentia, Apoc. 1. 8. ὁ παντοκράτωρ. Heb. 1. 3.*
- c. *Ex operibus, Joh. 5. 17. Pater meus, inquit Jesus, usque adhuc operatur, & Ego operor. Cum ei attribuatur Creatio. Joh. 1. 3. Omnia per Eum λόγον facta sunt, & absque eo factum est nec unum, quod factum est. Heb. 1. 10. ex Pf. 102. 26. ὁ Domine, à principio fundasti terram & opera manuum tuarum sunt Cæli. Col. 1. 16. Per Eum & ad Eum, sc. Christum, omnia condita sunt. Providentia ordinaria, Col. 1. 17. Omnia in eo consistunt: & omnia sustinet verbo suo potenti, Heb. 1. 3. Nec non patratio miraculorum, inter quæ præcipue conspicua est Resuscitatio mortuorum, Joh. 5. 21. sicut Pater suscitatur mortuos, & vivificat, ita & Filius, quos vult, vivificat. Cujus specimen dedit in Resuscitatione Lazari, clamans: Lazare ades dum foras, Joh. 11. 43. &c. quod dictum factum. Et præsertim resuscitatio sui ipsius, Joh. 2. 19. dixit Jesus: destruite templum hoc, sc. corporis mei, & tribus diebus erigam illud: claris verbis dicit Joh. 10. 18. Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo rursus eam assumendi.*
- d. *Ex cultu divino, Joh. 5, 23. finem addit Christus omnis potestatis & gloriæ, quam à Patre habet, qui finis est, ut omnes hono-*

honorent Filium, prout honorant Patrem, ita ut, qui non honorat Filium, non honoret Patrem, qui eum misit. Quò pertinet adoratio, Heb. 1. 6. adorent Eum omnes Angeli Dei. Phil. 2. 10. 11. ad nomen Jesu omne genu se flectat, &c. Nec non fides, creditis in Deum, etiam credite in me, Joh. 14. 1. Spes, in ipso gentes sperabunt, Rom. 15. 12. Et fiducia, beati omnes confidentes ei, Pl. 2. 12. Quæ omnia sub maledictione nulli homini, sed soli Deo debentur, secundum Jer. 17. 5. *maledictus, qui fiduciam habet in homine &c.* Unde & in Sacramentis honoratur. Matth. 28. 19. *Baptisamur etiam in nomine Filii.* 1. Cor. 11. 24, 25. *jubemur omnia facere in ejus recordationem.*

3. Defendimus contra objectiones Socinianorum objicientium
- a. *Dependentiam à Patre, ex Joh. 5. 22. 27. ubi Pater dicitur Filio dedisse auctoritatem, &c.*
  - b. *Minoritatem præ Patre, ex Joh. 14. 28. ubi Christus dicit: Pater meus major est me.*
  - c. *Subordinationem sub Patre propter missionem, Joh. 12. 44. Jesus clamavit, dicens: qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me. Unde subordinatum fidei objectum, 1 Pet. 1. 21. Qui per Christum creditis Deo, qui excitavit eum à mortuis, & gloriam ei dedit, ut fides ac spes vestra in Deo esset. Restrictam potestatem, Matth. 20. 23. Sedere ad dextram meam & sinistram meam, non meum est dare, sed quibus paratum est à Patre meo.*
  - d. *Exclusionem à Deitate: Joh. 17. 3. 1 Cor. 8. 4-6. Novimus--nulum Deum alium nisi unum, etsi enim sint, qui dicuntur Dii & in celo & in terra, nobis tamen unus est, Pater ille, à quo omnia, & nos in ipso, & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Eph. 4. 6. 1 Tim. 2. 5.*
3. **DISTINCTIO PERSONALIS.** Hæc indigitatur, quotiescunque contradistinctè à Patre & Spiritu S. **FILIUS DEI** vocatur, Rom. 1. 3. 4. *definitè notatus est Filius Dei in potentia; secundum Spiritum Sanctitatis.* Imo **UNIGENITUS**, Joh. 1. 18. Cap. 3. 16. Ratio istius denominationis controvertitur cum Socinianis, Deitatem Filio subtrahentibus; ac proinde alias causas denominationis quærentibus

**Cap. III. SECUNDUM MYSTERIUM TRINITATIS. 49**

a. Sententia orthodoxa rationem denominationis in generatione invenit, quâ efficax voluntas Patris id præstat, ut secunda persona eandem essentiam æternam & independentem secum ab æterno communem possideat, atque adeo sit ἰσὸς τῷ Πατρὶ: æternam autem generationem dicimus vi testimoniorum, Pl. 2. 7. *Filius meus es tu, אָנִי הָיוֹם יִלְדְתִיךָ, Ego hodie genui te*, quæ generatio, ut scite Theologus, est processio ἀπαύρασµα, live *refulgescentia* à claritate, & χαεργλήσ ab ὑποστάσει, Heb. 1. 3. Prov. 8. 22. 25. dicit sapientia summa, *Jehova קָנִי אֲקִיִּפְתִּי, vel possedit me initium viae suae; ante opera sua jam inde à seculo חוֹלְלָתִי inuncta fui, ab initiis terrae, cum non erant voragines חוֹלְלָתִי genita, seu nata sum*. Mich. 5. 1. *Egressiones ejus à seculo, Chaldaeus יִפְרוֹק מְשִׁיחָא prodibit Messias*. De Messia hæc olim à Christianis intellecta ipse Alkoranus testis est, quin & Judæos olim sic accepisse, fatetur R. D. K. imo Rasi expresse dicit, Interpretes hæc de Messia accipere, addit, satius tamen esse, ut de Davide accipiantur, quò melius solvatur argumentum חַמְנִים hæreticorum, Christianorum.

b. Sententiam Socinianorum volentium, *Jesum Filium Dei* appellari propter dilectionem Patris, conceptionem miraculosam, sanctitatem, & missionem in orbem, nec non propter resurrectionem, & exaltationem ad dextram Dei, rejicimus, quæ abunde quidem produnt & probant, eum esse Dei Filium, non faciunt tamen, ut sit: characteres sunt, quibus nobis innotescat, non id tamen, cujus vi Pater & Filius Patris Filius sit; fuit enim ante ea omnia, & Filius fuit, hinc S. S. illas rationes non suppeditat, licet objiciant, & eò detorqueant testimonia, Luc. 1. 35. *Spiritus S. superveniet in te: ut dicit Angelus Mariæ, & virtus Altissimi inumbrabit te, διὸ ἢ τὸ γενόμενον ἅγιον, κληθήσεται υἱὸς Θεοῦ*. Joh. 10. 35. 36. ---- *Me, quem Pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis, me blasphemare, quia dixi, Filius Dei sum*. Act. 13. 32. 33.

Distinctio autem ipsa ponitur,

a. In secundo modo & ordine subsistendi.

β. In secundo modo & ordine operandi.

γ. In generatione à Patre, juxta quam prima persona dicitur pro-

(G)

prius

priusejus Pater, Joh. 5. 18. *Patrem suum dicit Deum, parem se faciens Deo.* Et ipse Filius proprius Patris, Rom. 8. 32.

δ. In spiratione, seu missione Spiritus S. unà cum Patre, unde ille vocatur Spiritus Filii æque ac Patris: Gal. 4. 6. *Emisit Deus Spiritum Filii sui.*

2. SPIRITUS SANCTUS, qui est tertia Deitatis Persona, suis characteribus à Patre & Filio distincta, & tamen cum utroque eandem Divinitatem possidens, cujus indaganda

AA. PERSONALITAS, quam in controversiam vocant Sociniani, volentes Spiritum Dei in S. S. denotare jam *virtutem Dei*, jam *Evangelium*, & alias *mentem bonam*, nunquam autem *Personam*.

a. Nos Personalitatem asserimus.

a. Quia Illi intellectus & voluntas libera adscribitur, 1 Cor. 2. 10. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunditates Dei.* cap. 12. 11. *Omnia hæc efficit unus ille & idem Spiritus, distribuens idia εναισω, sicut vult.*

b. Quia tertio loco & ordine collocatur cum Patre & Filio tanquam tertius Testis, 1 Joh. 5. 7. In ob signatione Baptismi tertio loco nominandus; quod potentia divina, per *προσωποποιαν* licet proposita, minus convenit.

c. Ex apparitionibus, distinctis symbolis hypostasim referentibus, ut Matth. 3. 16. *sub symbolo columbae.* Ezech. 9. 1 -- 4.

d. Quia contradistinguitur Filio, non tantum ut Spiritus Filii, sed ut *αλλο παροκλητο*, Joh. 14. 16. ac proinde tanquam persona consideratur cum persona conferenda, Gal. 4. 6. Zach. 9. 12. vocatur *מגיד משנה* alter *judex*, ad distinctionem primi, qui est Filius Dei.

e. Quia à potentia divina distinguitur ut principium potentia, nam Eph. 3. 16. optat Paulus, ut Ephesii *δυναμει*, *potenter roberentur per Spiritum Christi.*

f. Quia in ejus descriptione post nomen neutrius generis jungitur articulus masculini generis, Joh. 15. 26. *το πνεύμα ε̅ ἀληθείας, ὃ ἔστι & πατὴρ ἐμπορεύεται.* Quæ manifesta *Personalitatis* nota est.

β. Defendimus contra Socinianos allegantes,

a. Vn-

**Cap. III. SECUNDUM MYSTERIUM TRINITATIS. 51**

*a. Virtutem Altissimi appellari, Luc. 1. 35. Act. 1. 8. Recipietis Virtutem S. Spiritus, &c.*

*b. Mentem humanam ita vocari secundum partem bonam, patere ex doctrina de lucta Carnis & Spiritus, Gal. 5. 17.*

**BB.** DEITAS ipsa nuper alio modo in controversiam vocata est ab homine Arriano, qui fingebat Sp. S. in sacris notare Angelorum ordinem supremum, seu spirituum creatorum speciem nobilissimam: non autem unam certam in Deitate personam, abutens locis Apoc. 1. 4. & 1 Cor. 14. 32. Contrarium probamus ex eo.

**N.** Quod unus & unicus dicitur ille Spiritus, qui nos sanctificat. 1 Cor. 12. 4, 11, 13. Eph. 2. 18. 4. 4.

**2.** Quodque Deitati ita describatur intrinsecus, ut mens & conscientia homini. 1 Cor. 2. 11. 22.

**3.** Imo ut creator ab Angelis suis creaturis distinguitur. Ps. 33. 6.

**7.** Deitatem S. Spiritus probant,

*a. Nomina.* Sic audit יהוה Jesh. 6. 8. 9. ubi vox Jehovæ, Act. 28. 25. vocatur S. Spiritus vox. Num. 14. 27. Jehova conqueritur, quod *populus murmuret*, ille autem, contra quem murmurat, vocatur Esa. 63. 10. *S. Spiritus. Къесъ*, 1 Cor. 3. 16. 17. *Deus*, Act. 5. 4. coll. cum versu 3.

*b. Attributa divina*, ut æternitas, Gen. 1. 2. dicitur *incubasse a-*  
*quis.* Omnipræsentia, Ps. 139. 7. *quo ibo à Spiritu tuo?* 1 Cor. 3. 16. Omniscentia, Joh. 14. 26. 1 Cor. 2. 10. dicitur *scrutari omnia, etiam profunditates Dei.* Nec non omnipotentia, Jesh. 40. 13. *Quis aptavit Spiritum Domini? & Consiliarius ipsius faciet ipsum gnarum?* 1 Cor. 12. 4--11.

*c. Opera divina*, ut Creatio, Job 33. 4. *Spiritus fortis fecit me, & halitus Omnisufficientis vivificavit me.* Et potentissima opera gratiæ, Eph. 1. 19. 20. conf. Rom. 8. 11. ubi exerte dicitur *S. Spiritus excitasse Jesum à mortuis.*

*d.* Neque *cultus* illi denegandus, cum Seraphini cum honorem huic detulerunt, Jesh. 6. 2. 3. adde, quod dicamur *Ejus templum* 1 Cor. 3. 16 & in nomen ejus baptizemur, Matth. 28. 19. Apoc. 1. 4. 5.

**CC.** Distinctio à Patre & Filio exprimitur,

(G 2)

a. For-



- a. Formulis loquendi, dum
- a. Distincte recententur in administratione baptismi, Matth. 28. 19. Cap. 3. 16. 17.
- β. Diferta Trium fit appellatio & denominatio, 1 Joh. 5. 7.
- γ. Expresse alius à Filio dicitur, Joh. 14. 16. 17.
- b. Proprietatibus characteristicis, quæ dicuntur,
  - a. Tertius modus & ordo subsistendi.
  - β. Tertius modus & ordo operandi.
  - γ. Spiratio passiva à patre & Filio, dum dicitur Spiritus Patris & Filii, Matth. 10. 20. dicit *Filius, est Spiritus Patris vestri, qui loquitur* Rom. 8. 9. Gal. 4. 6. Dicimusque S. Spiritum non tantum à Patre sed & à Filio procedere, adversus dogma Ecclesiæ Græcæ, quæ admittit, Spiritum à Patre per Filium, non vero à Filio procedere, cum S. S. dicat, à Patre & Filio mitti, Joh. 14. 26. *Paracletus S. Spiritus, quem Pater meus mittet in nomine meo, vos omnia docebit.* Joh. 15. 26. eundem omnia à Christo accipere. Joh. 16. 14. *Ille vos docebit, quia sumet de meo, & vobis annuntiabit.* Christumque Spiritu baptizare dicit S. S. Matth. 3. 11. Nisi forsan tota quæstio sit λογوماχία, & Græci nihil aliud velint, quam Filio competere secundum operandi modum & ordinem, quod verissimum est.

Necessitatem dogmatis de Trinitate contra Remonstrantes asserimus, qui negant, articulum fidei ita fundamentalem esse, ut sine ejus fide nemo salvari possit: quibus causa ita statuendi videtur π. ψ. ut tueantur, gentiles cognitione Euangelicâ destitutos, & quibus hoc dogma non innotuit, nihilominus salvari potuisse; Nos vero

- a. Probamus necessitatem ejus,
  - 1. Ex institutione Baptismi à candidato Christianismi hanc fidem exigente, & oppositam incredulitatem cum damnatione connectente.
  - 2. Ex nexu inter cognitionem hanc & vitam æternam, Joh. 17. 3. conf. cum hypothesi, quod nemo cognoscat Patrem sine Filio, Joh. 14. 9-11. aut Filium sine Spiritu S. 1 Cor. 12. 3. *Nemo potest dicere Jesum Dominum suum, nisi per S. Spiritum.*
  - 3. Ex

### Cap. III. SECUNDUM MYSTERIUM TRINITATIS. 53

3. Ex fine Euangelii, qui est *vita æterna per nomen Jesu*, Joh. 20. 31. 1 Joh. 5. 20. dicitur *Filius verus Deus, & vita æterna.*

4. Ex connexione hujus articuli cum præcipuis Religionis Christianæ capitibus: sine cognitione hujus fundamenti enim nec doctrina de Mediatore ejusque satisfactione consistere potest.

β. Objiciunt quidem Adversarii,

1. Plurimos homines pios hoc mysterium non capere, nec propterea damnandos esse.
2. Usus præcticos resultare ex consideratione essentiæ, non autem personalitatum.

D. Commendatur ex hoc dogmate Summum Bonum, tanquam salvis suis decentiis communicabile etiam cum peccatore: nisi enim Pater haberet Filium, quem posset demittere ut sponsorem nostrum, & simul cum Filio haberet S. Spiritum, per quem posset peccatorem sanctificare, obsignare & glorificare, omnis dispensatio salutis, post peccatum primum concipi deberet ut factu impossibilis; cum nunc è contra hoc mysterium commendet divitias gratiæ divinæ in Filio manifestatas, & gloriam justitiæ & misericordiæ divinæ in hac ipsa œconomia gloriosissimo modo asserat, ut fere Deitas non ut omnimode amabilis nisi in Filio conspiciatur, & spes communicabilitatis Summi Boni in hoc mysterio solidissime radicetur.

## CAPUT IV.

### *De Decretis Dei.*

QUONIAM vidimus Summum illud Bonum ut communicabile propter omnimodam ejus sufficientiam, videndum nunc est, quomodo porro penes eum fuerit consilium manifestandi gloriam in multiplici bonitatis exercitio, & contra demonstrandi justitiam suam in omnibus, qui bonum oblatum spernerent, quod videbimus jam in titulis de *Decretis Dei.*

(G 3)

A. In

*A. In genere* DECRETUM DEI appellamus æternum & immutabile propositum Dei de manifestanda gloria sua in rebus possibilibus, de quibus secundum infinitam sapientiam & liberrimam sitam *eûdōctōr* definit, cum quid ad naturas constitutendas faceret, tum etiam ad futuritionem earum in tempore fieri, aut non fieri vellet.

**N.** Voluntatem Dei concipimus in decreto, quatenus tendit ad objecta præter Deum, cum relatione tamen ad gloriam Dei; quæ voluntas *דְּבַר* decretum vocatur, Dan. 4. 17. 24. *דְּבַר* definitum, Pf. 2. 7. *Πρόθεσις*, Rom. 8. 28. 9. 11. *Βουλή*, Eph. 1. 11. In qua voluntatē distincte concipimus,

*a.* Actum volendi, qui est ipse Deus; actus quippe simplicissimus.

*b.* Tendentiā ad objecta, in consideratione potentie suæ ad possibilitia; quæ actui solummodo superaddit relationem.

*γ.* Objecta, quæ tantummodo considerantur ut possibilitia, per decretum futura, quippe quæ suā naturā nil nisi possibilitatem existendi in se includunt: cogimurque conceptus nostros hic ita dirigere, quia simplicissimum actum in sua simplicitate repletentare non possumus: à parte rei tamen nihil aliud dicit, quam consideratā solā potentiā Dei res esse *possibiles*, consideratā autem voluntate Dei *futuras*, ut potentia Dei sit radix possibilitatis, sicuti voluntas futuritionis.

**2.** Dividimus decreta Dei in

*a.* Decretum quoad speciem, quod versatur circa creaturarum naturas consideratā Dei exprimibilitate, quatenus realitates eminenter in sese consideratas variis modis potuit limitare, conjungere, & inter se connectere, ut jam concipiatur tanquam voluntas Dei, quæ res, in statu possibilitatis indifferentes ad id, ut essent in hac aut illa specie seu classe rerum, constituat in determinata aliqua classe aut specie.

*b.* Quoad exercitium, ita appellamus voluntatem Dei, quæ rebus possibilibus & indifferentibus ad futuritionem aut non futuritionem attribuit determinatam futuritionem, tum in esse, tum in perseverare & operari.

Quæ

Quæ distinctio decretum Dei non multiplicat, sed, propter varietatem rerum decretarum, diversimode solummodo ad objecta diversa refert; eodem jure *decretum quoad exercitium* subdistinguitur,

- a. In decretum *permissivum*, quatenus ab æterno decrevit peccatum permittere.
- b. Et decretum *effectivum*, quo ab æterno proposuit, quicquid reale est, in tempore efficere.

3. Proprietates decreti sunt,

a. **ÆTERNITAS**, quam probamus contra Socinianos, decreta in tempore fingentes. π. ψ. ut actiones hominum spontaneas & eventus, quos vocant Fortunatos, à Deo faciant independentes.

a. **Asserimus tamen doctrinam Orthodoxorum,**

1. Ex locis S. Scripturæ expressis. Act. 15. 18. *Nota sunt Deo à seculo omnia opera sua.* 1 Cor. 2. 7. *Loquitur sapientiam Dei, --quam præfnerat Deus ante secula.* 2 Tim. 1. 9. Eph. 1. 4.

2. Ex simplicitate Dei, quæ non patitur, ut Deus ex, non volente transeat in volentem, sed is est, qui omnia unico actu & ictu absolvit.

3. Ex omniscientia Dei, aut omniscia præscientia, per varias prophetias confirmata, quæ sunt consilii divini interpretes.

β. Defendimus, adversus objectiones Adversariorum objicientium.

1. Fatum Stoicum sic introduci.

2. S. S. Deo attribuire experientiam, ut, quod dicitur Gen. 11. 5. *descendisse ad videndum urbem illam & turrim &c.*

b. **IMMUTABILITAS**, quæ

a. Probatur ex Jes. 14. 27. Cap. 46. 10. Psal. 33. 11. *Consilium Domini stabit in æternum.* Adde Prov. 19. 21. & præcipue Hebr. 6. 17.

β. Defenditur contra testimonia, quæ de pœnitentia Dei agunt; Gen. 6. 6. dicitur: *Deum pœnituisse, quod hominem creaverit, &c.* & alibi.

c. **SAPIENTIA**, Rom. 11. 33. 34. Ω θαυτα πλεον & σοφιας &

ἢ γνώσεως θεῆ. ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κείμενα αὐτῆ, ἢ ἀνεξιχνία-  
σαι αἱ ὁδοὶ αὐτῆ. Τίς γὰρ ἔγνω νῦν Κυρίου; ἢ τίς συνέβη αὐτῆ  
ἐγένετο; quæ consistit in ordinatione & subordinatione me-  
diorum cum fine atque inter se, ut aptissime fini ultimo re-  
spondeant.

- d. LIBERTAS, quæ excludit omnem determinationem consilii  
ab objectis extra Deum consideratis, solamque discernendi &  
agendi rationem collocat in amore gloriæ Dei, juxta quam  
discernit, & agit tantum *Propter se*, Prov. 16. 4. quam li-  
bertatem S. Scriptura inculcat simili figuli ad lutum suum,  
Rom. 9. 21. & Jer. 18. 6. Matth. 11. 26. dicit Christus: *Esti-  
am Pater, quia ita placuit Tibi.*
- e. AMPLITUDO, dum hoc decretum se extendit ad omnia  
Eph. 1. 11. Thren. 3. 37. 38. *Quis dixit & exstitit, quod Do-  
minus non præceperit? Ex ore Altissimi nonne exeunt mala &  
bonum?*

B. *In specie* DECRETUM PRÆDESTINATIONIS, quod est Consili-  
um Dei peculiare circa creaturas rationales de gloria gratiæ  
& justitiæ in ipsis manifestanda, convenienter decentiis suis;  
ordinans omnia, quæ successive illis evenirent, facerent, aut  
ab iis fieri permetterentur; quæ legitimam connexionem cum  
hoc fine habent.

8. Tale decretum innuit S. S. variis phrasibus; appellatur enim  
προορισμός à προορίζειν, Act. 4. 28. Rom. 8. 29. 30. 1 Cor. 2. 7.  
Eph. 1. 5. 11. ὁρισμός vocatur, quia Deus & omnia termina-  
vit & sigillatim sibi proposuit; προορισμός vero, quia destina-  
tio illa facta est ante res ipsas, & ab omni æternitate, Act.  
15. 18. Πρόγνωσις, *præscientia*, quod vocabulum latius est, ut  
patet ex Act. 2. 23. Rom. 8. 29. 1 Pet. 1. 20. Πρόθεσις, *propositum*,  
per omnes decreti partes se extendens, quia Deus circa illius  
executionem occupandus erat, quippe operaturus, quod pro-  
posuit. Eph. 1. 9-11. 3. 11. Εὐδοκία *beneplacitum*, Matth. 11.  
26. Βουλὴ *consilium*, Eph. 1. 11. Act. 4. 28. quia factum est  
tanta cum circumspectione & prudentia, ut ab omni parte  
divinam, id est, infinitam prodat sapientiam. ὁρισμένη βουλὴ,  
*determinatum consilium*. Act. 2. 23. consilium, cui adsit χάρις Act.  
4. 28.

4. 28. *manus*, vis, qua efficiat, quod decrevit. Βελὴν θελήματ<sup>ο</sup> memorat Apostolus, non enim nisi liberâ suâ voluntate consilium illud condidit divina Majestas.

2. Dividitur in decretum *Electiōnis* & *Reprobationis*. Reprobationem enim partem facere prædestinationis,

a. Probamus adversus Pontificios, Lutheranos, aliosque, putantes per hanc sententiam nos facere Deum Authorem peccati: probamus nihilominus sententiam orthodoxam,

a. Ex natura Decreti permiffivi, cujus est ipsam permissionem mali destinare ad gloriam suam, Rom. 9. 17. ubi *Scriptura Pharaoni dicit: ad hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te potestatem meam, & ut annuncietur nomen meum in tota terra.*

b. Ex loco expresso Act. 4. 28. ubi dicuntur *Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israel fecisse*, sc. circa Christi crucifixionem, *quæcunque manus & consilium Dei prius designerat faciendâ.*

c. Ex phrasibus æquipollentibus. Jud. vers. 4., *Homines quidam dicuntur prius jam olim descripti ad damnationem*, sc. *impii, &c.* 1 Thess. 5. 9. 1 Pet. 2. 8. *Offendentes ad sermonem, immorigerâ dicuntur ad id positi, εἰς ὃ ἡ ἐτέθησαν.*

d. Quia præscientia seu *προγνωσις* tam de reprobatione, quam electione dicitur. Act. 2. 23. *προγνωσέν* reprobi dicuntur crucifixisse Christum. Rom. 8. 29. de electis dicitur, *ὅτι ἔεγνω.*

β. Defendimus adversus calumniam Adversariorum; ubi statui-  
mus, inde non sequi, Deum esse authorem peccati.

A. DECRETUM ELECTIONIS concipitur,

1. Aut *Angelerum*, quæ est pars divinæ prædestinationis, qua ad glorificandam bonitatem suam Deus statuit Angelos creare, & ex iis plurimos ita confirmare in bono, ut à periculo peccandi liberi sint. Hinc 1 Tim. 5. 21. vocantur *Angeli electi*, contradistincte ad Angelos, *qui, non servatâ suâ origine, reliquerunt suum domicilium*, Judæ vers. 6.

2. Aut *Hominum*, quæ est prædestinationis divinæ pars, qua ad manifestationem gloriæ misericordiæ suæ ab æterno & liberrime constituit Deus, humanum genus ad imaginem suam con-

(H)

dere,

dere, lapsum permittere, & quosdam ex lapsis nominatim, interveniente satisfactione, sanctificare, & consequenter glorificare, aliis pro libertate suâ præteritis.

25. Actus Electionis pro nostro concipiendi modo respiciunt

a. *Finem*, qui hic nullus alius est, quam manifestatio gloriæ suæ, gratiæ & misericordiæ. Eph. 1. 6. *Prædestinavit nos--ad laudem gloriöse suæ gratiæ, &c.*

β. *Media*, quæ secundum perfectam Dei simplicitatem considerata, ut unum complexum concipi debent: ita ut creare, lapsum permittere, & hominem restaurare, quasi simul concipi debeant, tanquam unicum medium ad finem illum faciens.

Verum quando respectu rerum decretarum consideramus nexum, aut sequelam eventuum futurorum, & Dei virtutes plus manifestari in uno, quam in altero eventuum, *Electio* strictè dicitur *æterna Dei voluntas separandi quosdam ex numero peccatorum, sive lapsorum, quos velit salvari mediante Christi satisfactione, ut necessario ad salutem prærequisito*. Imo, quatenus voluntas exercendi gratiam in tali selectu hominum beneficia gratiæ

inter se connectit, & speciatim refert ad peculiare gratiæ donum, electionis latius aut strictius consideratæ objectum vario modo dici potest sine ulla heterodoxia: ut omnis quæstio de objecto electionis seu prædestinationis tantum sit de nomine: prout voluntas electionis latius aut strictius concipitur. Sic *voluntas sanctificandi* hominem habet pro objecto hominem miserum, in peccatore & impurum: *voluntas glorificandi* habet pro objecto hominem sanctificatum; quia nexum immediatus à Deo constitutus est inter sanctificationem & glorificationem, ut Deus ne quidem ab æterno voluerit alium glorificatum, quam sanctificatum.

26. Hinc sponte cadit quæstio à Lutheranis mota ex fide prævisa, secundum illi intelligunt voluntatem glorificandi hominem; Reformati voluntatem conferendi in hominem gratiam, ut adeo utraque pars sit orthodoxa.

β. Hinc elucet, quis sit status controversiæ cum Remonstrantibus, qui electionem ex fide prævisa urgent, non tamen ut Lutherani illi enim fidem requirunt antecedenter ad voluntatem gratificandi, ut eam habeant pro causa *αὐτὴν ἐκείνην* electionis ad gratiam, quæ

quæ tota quæstio pendet ex eo, an fides sit opus liberi arbitrii gratiam antecedens? num vero sit effectum gratiæ, benevolentiam Dei consequens?

- Probamus nos, electionem ad gratiam (sive æternam Dei voluntatem destinantem collationem gratiæ in tempore) non fieri posse ex fide prævisa, aut prævisis bonis operibus contra Remonstrantes primum, & Pontificios ultimum statuentes. II. ψ. ut liberum arbitrium suo sensu tueantur.

1. Ex disertis dictis S. Script. Rom. 9. 16. *Electio non est volentis, nec currentis, sed misentis Dei: hinc vocatur Electio gratuita, Rom. 11. 5. non ex operibus nostris, sed ex suo proposito & gratia, &c. 2 Tim. 1. 9.*

2. Ex eo, quod electio sit ad fidem, sanctitatem, & perseverantiam. Eph. 1. 3-5. *dicimur electi -- ut simus sancti & inculpati coram eo per charitatem: &c. Et crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam æternam, Act. 13. 48. Imo diserte dicit Christus, elegi vos -- ut fructum feratis, & fructus vester maneat, Joh. 15. 16.*

3. Quia Deus in tempore non aliter agit, quam ab æterno agere voluit. Jam vero suo loco ostendemus, fidem esse donum Dei gratiam consequens, non opus arbitrii gratiam antecedens, nec ullum aliquod meritum ex congruo, quod gratiam Dei antevertat, esse admittendum.

- β. Defendimus contra objectiones,

1. Ex locis. Heb. 11. 6. *Absque fide est impossibile Deo placere. Jac. 2. 5. nonne Deus elegit pauperes hujus mundi, πτωχείς ἐν πίσει, & κληρονόμους τῆς βασιλείας, ἧς ἐπηγγέλματο τοῖς ἀγαπᾶσιν αὐτὸν?*

2. Ex præcognitione prædestinationi præmissa, Rom. 8. 29. *quos præscivit, eos prædestinavit.*

3. Ex voluntate Dei, qua vult salvare omnes credentes; Joh. 3: 16. 1 Tim. 2. 4.

4. Ex negata προσηκοληψία Dei; Act. 10. 34 *in veritate compertio, ὅτι ἐκ ἑσὶ προσσηκοληψίης ὁ Θεός.*

- bb. Proprietates electionis sunt.

1. *Singularitas*: ubi negamus contra Socinianos & Remonstrantes,

(H 2)

tes,



tēs, electionem quādam *Universalem*, aut *Indefinitam*, secundum quam nominatim non determinatus esset Electorum numerus.

a. Probamus electionem versari circa certum & determinatum hominum numerum,

a. Ex locis disertis quosdam excludentibus, Joh. 13. 18. *non de omnibus loquor, ego scio, quos elegerim.* Mat. 20. 16. *multi vocati, pauci vero electi.* Adde actum illum judicialem, Mat. 25. 34. &c. & confer Luc. 10. 20.

b. Ex dictis Apostolicis, Rom. 9. 13. *Jacobum dilexi, Esavum vero odio habui,* confer versum 18. *Deus cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Hinc distinctio inter *vasa iræ* & *vasa misericordie*, vers. 21-23. & 2 Tim. 2. 19. dicitur *Deus nosse, qui sui sunt.*

β. Defendimus contra indefinitam universalitatem, quam probare conantur ex 1 Tim. 2. 4. ubi Deus dicitur, *quosvis homines velle servari* &c.

2. *Æternitas electionis*, Eph. 1. 4. *Deus nos elegit in Christo ante mundi fundamenta,* & 2 Tim. 1. 9. *ante tempora secularia.*

3. *Immutabilitas*. Heb. 6. 17. *Deus volens ostendere immutabilitatem consilii sui, fidei iussit jurejurando.* Mat. 24. 24.

4. *Certitudo objectiva*, 2 Tim. 2. 19. Rom. 11. 29. *donā & vocatio Dei sunt ἀμεταμέλητα.* Dan. 12. 1. *populus Dei dicitur scriptus in libro.* Quam certitudinem defendimus contra objectiones, ex Exod. 32. 32. ubi *Moses petit deleri è libro, quem scripsit Deus.* Ps. 69. 29. *deleantur ex libro viventium,* quod Apoc. 22. 19. exprimitur his verbis, *auferet Deus partem ejus è libro vitæ.*

B. DECRETUM REPROBATIONIS concipitur etiam

a. *Angelorum*, estque pars prædestinationis, qua ad manifestandam justitiam suam Deus proposuit Angelos creare, quorundam lapsum permittere, atque lapsos æternis vinculis tenebrarum ligare in poenam desertionis primæ stationis. Jud. v. 6. 2 Pet. 2. 4. *Deus Angelis, qui peccarunt, non pepercit, sed in tartarum detrusos, catenis caliginis tradidit damnationi servatas.* Joh. 8. 44.

6. Ho-

*β. Hominum*, quæ pars est divinæ prædestinationis, quæ a Deo liberrime statuit omnes homines ad imaginem suam creare, eorum lapsum permittere, quosdam in peccato derelinquere, imo in perversum sensum quandoque tradere, ac tandem post longanimitatis exercitium justo judicio punire ad sanctitatis & justitiæ suæ manifestationem.

*1. Reprobationem* talem dari asserimus contra Socinianos, rerum contingentium præscientiam negantes.

*α. Ex terminis negativis*, Ier. 41. 9. & Theff. 5. 9. *non constituit nos Deus ad iram, sed ad salutem obtinendam per D. N. J. C. Apoc. 13. 8. adorabunt eam sc. bestiam omnes incole terre, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni illius mactati.*

*β. Ex phrasibus positivis*, Jud. 4. dicuntur *quidam jam olim descripti ad damnationem*, &c. Rom. 9: 13, 18, 22.

*2. Causam αὐτοῦ θεοῦ* statuimus merum Dei beneplacitum, nequaquam aut infidelitatem, impœnitentiam, aut apostasiam prævisam, considerantes nempe voluntatem excludendi quosdam ex beneficiis gratiæ.

*α. Probamus hanc sententiam,*

*a. Ex fine omnis operationis Dei*, Prov. 16. 4. *quo omnia tractat* אֵלֶּיךָ לְמַעַן *ad responsum suum etiam improbum ad diem mali*, id est, ita omnia operatur & moderatur, ut respondeant Dei proposito, omniaque sint responsum Dei; quemadmodum egregii alicujus Artificis opus ideæ, quam sibi sapienter formaverat, ad amissim convenit & respondet, sic omnia, etiam improbus, fiunt, & ita diriguntur, ut opus respondeat *motiioni* אֵלֶּיךָ *& consilio Dei*. Adde exemplum Pharaonis, Rom. 9. 17.

*β. Ex beneplacito Dei in hac causa asserto*, Mat. 11: 25, 26. *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terre, quod absconderis hæc à sapientibus, & intelligentibus, & ea detexeris infantibus. Etiam Pater, quia ita placuit tibi.* Joh. 12. 37--40. *non credunt, quia excæcavit oculos eorum &c.*

*c. Ex negatione causæ in homine*, Rom. 9: 11, 18.

*β. Defendimus contra objectiones,*

(H 3)

• Ex

dere, lapsum permittere, & quosdam ex lapsis nominatim, interveniente satisfactione, sanctificare, & consequenter glorificare, aliis pro libertate suâ præteritis.

as. Actus Electionis pro nostro concipiendi modo respiciunt

a. *Finem*, qui hic nullus alius est, quam manifestatio gloriæ suæ, gratiæ & misericordiæ. Eph. 1. 6. *Prædestinavit nos ad laudem gloriæ suæ gratiæ, &c.*

β. *Media*, quæ secundum perfectam Dei simplicitatem considerata, ut unum complexum concipi debent: ita ut create, lapsum permittere, & hominem restaurare, quasi simul concipi debeant, tanquam unicum medium ad finem illum faciens.

Verum quando respectu rerum decretarum consideramus nexum, aut sequelam eventuum futurorum, & Dei virtutes plus manifestari in uno, quam in altero eventuum, *Electio* stricte dicitur *æterna Dei voluntas separandi quosdam ex numero peccatorum, sive lapsorum, quos velit salvari mediante Christi satisfactione, ut necessario ad salutem prærequisito*. Imo, quatenus voluntas exercendi gratiam in tali selectu hominum beneficia gratiæ inter se connectit, & speciatim refert ad peculiare gratiæ donum, electionis latius aut strictius consideratæ objectum vario modo dici potest sine ulla heterodoxia: ut omnis quæstio de objecto electionis seu prædestinationis tantum sit de nomine: prout voluntas electionis latius aut strictius concipitur. Sic *voluntas sanctificandi* hominem habet pro objecto hominem miserum, peccatorem & impurum: *voluntas glorificandi* habet pro objecto hominem sanctificatum; quia nexus immediatus à Deo constitutus est inter sanctificationem & glorificationem, ut Deus ne quidem ab æterno voluerit alium glorificatum, quam sanctificatum.

▲ Hinc sponte cadit quæstio à Lutheranis mota ex fide prævisa, admodum illi intelligunt voluntatem glorificandi hominem; Reformati voluntatem conferendi in hominem gratiam, ut adeo utraque pars sit orthodoxa.

β. Hinc elucet, quis sit status controversiæ cum Remonstrantibus, qui electionem ex fide prævisa urgent, non tamen ut Lutherani illienim fidem requirunt antecedentor ad voluntatem gratificandi, ut eam habeant pro causa electionis ad gratiam, quæ

quæ tota quæstio pendet ex eo, an fides sit opus liberi arbitrii gratiam antecedens? num vero sit effectum gratiæ, benevolentiam Dei consequens?

• Probamus nos, electionem ad gratiam (sive æternam Dei voluntatem destinantem collationem gratiæ in tempore) non fieri posse ex fide prævisa, aut prævisis bonis operibus contra Remonstrantes primum, & Pontificios ultimum statuentes. Π. ψ. ut liberum arbitrium suo sensu tueantur.

1. Ex disertis dictis S. Script. Rom. 9. 16. *Electio non est volentis, nec currentis, sed misereris Dei: hinc vocatur Electio gratuita, Rom. 11. 5. non ex operibus nostris, sed ex suo proposito & gratia, &c.* 2 Tim. 1. 9.

2. Ex eo, quod electio sit ad fidem, sanctitatem, & perseverantiam. Eph. 1. 3-5. *dicimur electi -- ut simus sancti & inculpati coram eo per charitatem: &c. Et crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam æternam, Act. 13. 48.* Imo diserte dicit Christus, *elegi vos -- ut fructum feratis, & fructus vester maneat, Joh. 15. 16.*

3. Quia Deus in tempore non aliter agit, quam ab æterno agere voluit. Jam vero suo loco ostendemus, fidem esse donum Dei gratiam consequens, non opus arbitrii gratiam antecedens, nec ullum aliquod meritum ex congruo, quod gratiam Dei antevertat, esse admittendum.

β. Defendimus contra objectiones,

1. Ex locis Heb. 11. 6. *Absque fide est impossibile Deo placere. Jac. 2. 5. nonne Deus elegit pauperes hujus mundi, πλουσις εν πίσει, & κληρονόμους τῆς βασιλείας, ἧς ἐπηγγέλατο τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτὸν?*

2. Ex præcognitione prædestinationi præmissa, Rom. 8. 29. *quos præscivit, eos prædestinavit.*

3. Ex voluntate Dei, qua vult salvare omnes credentes, Joh. 3: 16. 1 Tim. 2. 4.

4. Ex negata προζωποληψία Dei, Act. 10. 34 *in veritate compertio, ὅτι ἐκ ἑσῆ προσωποληψίης ὁ θεός.*

bb. Proprietates electionis sunt.

1. *Singularitas*: ubi negamus contra Socinianos & Remonstrantes,

(H 2)

tes,

- α. Ex loco, 2 Pet. 3: 9. *Deus est patiens erga nos, nolens ullos perire, sed omnes ad resipiscenciam tendere.*
- β. Ex consequentiis ad absurdum, dum causantur nostram sententiam facere,
- a. Deum & injustum & tyrannum.
- b. Fatum Stoicum introducere.
3. *Finis est manifestatio gloriæ Dei, Rom. 9: 17. ad hoc, dicit Scriptura Pharaoni, excitavi te, ut ostendam in te potestatem meam & ut predicetur nomen meum in tota terra.*
4. *Proprietates eadem sunt cum iis, quas in decreto generali & electionis in specie annotavimus.*

### Observatio Practica.

Qui hæctenus videramus SUMMUM BONUM, ut *communicabile*, jam per doctrinam decreti vidimus idem considerandum, ut *benignum & determinatum* ad communionem sui actua-lem, secundum omnes divitias gratiæ: ita tamen, ut hoc fiat decænti ordine & modo, ut maximam suam bonitatem non communi- cet nisi cum peccatoribus electis, quos vult sanctificare, & ad glo-riam suam aptare, non autem cum reprobis, id est, peccatoribus in peccato derelictis, idque in signum libertatis suæ inculpatæ.

## CAPUT V.

### De Creatione.

Sicuti voluntas Dei non est inefficax, ita nec decretum, cum *Deus omnia agat secundum consilium voluntatis suæ*, Eph. I. II. Postulat proinde ordo, ut nunc videamus quomodo Deus secundum decretum suum egerit in tempore, aut potius effecta constituerit in tempore. Secundum varias relationes ad effecta efficacia volunta- tis divinæ varias accipit denominationes, prout creaturæ concipi- untur aut *in fieri*, aut *in esse*, aut *in operari*. Prima species effica- ciæ dicitur *creatio*, altera *conservatio*, tertia *gubernatio*. Duæ ta- men ultimæ species veniunt sub communi nomine *providentiæ*.

CREA-

CREATIO est efficacia voluntatis divinæ, qua rebus in decreto ad futuritionem definitis, solo mentis imperio originem dedit ad manifestandam gloriam sapientiæ, potentiæ, & omnimodæ bonitatis suæ.

**A.** Hebræis verbum **ברא** significat res novas facere, quæ secundum hanc speciem nunquam ante exstiterant. Num. 16. 30. Jes. 45: 7. Jer. 31: 22. **ברא יְהוָה** creavit Jehovab novum in terra, *fœmina circumdat Værum*. Atque ita involvit,

**a.** Opus aliquod originale, rebus extra Deum primum ortum & originem concedens: unde contradistinguitur vocabulis **יצר** & **עשה**, quæ adornare & perficere, significant, conf.

Jes. 43. 7. **כל הנקרא בשמי להכבודי בראתי יצאתי אף עשיתי**. *Omnem, qui nominatur à nomine meo, & ad gloriam meam creavi eum, formavi (adornavi) eum, imo perfeci eum.* Gen. 2. 3.

**b.** Opus potentissimum, mero Dei nutu & voluntate effectum, ac prouide æternâ Dei potentiâ productum, Apoc. 4: 11. *Tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam sunt, & creata sunt.* Rom. 1: 19, 20. *xx creatione mandî perspicuntur æterna Dei tum potentia, tum divinitas, &c.*

**B.** Res ipsa; ubi considerantur

**α.** Acrus productionis; quique concipitur vel ut

**a.** *Immediatus* efficiens, ut res in decreto præconceptæ transeant à non esse ad esse, ita ut non habuerint præexistentem ab æterno materiam: quod contra Socinianos alioque *ψευδο φιλοσοφως*.

**a.** Probamus;

**1.** Ex creatione materiæ indigestæ, Gen. 1: 1, 2. *In principio creavit Deus cœlos & terram, & terra erat תהו ובהו inornata & non fundata: quod Salomon extenit ad ראש עפרורת תבל, principium pulvisculorum terræ, Prov. 8: 26.*

**2.** Ex testimoniis Paulinis hoc satis expresse exigentibus, Rom. 4: 17. *vocat, quæ non sunt, tanquam sint.* Heb. 11. 3. *fide consideramus, concinnata esse secula verbo Dei ad hoc, ut non ex apparentibus ea, quæ videntur, extiterint.*

**β.** Defendimus adversus objectiones, quibus urgent,

**1.** Ex nihilo nihil fieri.

**2.** Chaos præexistisse, Gen. 1. 2.

**3.** Col-

3. Collium æternorum mentionem fieri, Gen. 49: 26.
- b. *Mediatus*, circa materiam inhabilem versans, eamque ad speciem alicujus rei constituendam perficiens, qualis est productio corporis humani ex pulvere, omnisque productio rerum post creationem materię indigestę.
2. **AUTHOR ET CAUSA** celeberrimi operis est **SOLUS DEUS**: quod contra Arrianos præexistentiam Filii, ut primę creaturę, & ad opus primę creationis assumti. Π. Ψ. ne exinde ejus vera divinitas concludatur: nec non contra Pontificios, in doctrina de Transsubstantiatione Sacerdotes Creatoris nostri Creatores asserentes, defendimus:
- a. Probamus autem soli Deo competere,
- a. Ex eo, quod sibi soli hanc gloriam vindicet, Jcf. 40: 26, 28. *videte, quis creaverit ista, ---quis ista omnia vocet &c.* 44. 24. & secundum Job. 9: 8. *qui extendit celos solus.*
- b. Qui se exinde distinguit à Diis gentium, Pl. 96. 5. *omnes Dii gentium sunt* 𐤀𐤏𐤃𐤁𐤏 *nihil, at Jehovab cælum fecit.* Jer. 10. 11. *sic dicitote illis, Dii isti, qui cælus & terram non fecerunt, perituri sunt de terra &c.*
- c. Quia creaturas ab hoc opere excludit, ut impotes, Job. 38. 33. Matth. 6: 27. *quis ex vobis anxius potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?*
- d. Quia opus per solum imperium efficiendum causam instrumentalem non admittit, tale autem est opus creationis, Esai. 41: 4 *quis operatus est & fecit illud? quis vocat generationes inde a principio? ego Jehovab primum, etiam ultima ego idem operor.* Apoc. 4: 11.
- β. Defendimus adversus objectiones,
- a. Filium concipi ut causam instrumentalem. Joh. 1: 3, 10. *omnia per Ipsum facta sunt; mundus per Ipsum factus est.*
- b. Ex consideratione potentię Dei, qui potuit creaturas producere maxime efficaces ad agendum, ergo & ad creandum.
- c. Ex eo, quod creaturis opera miraculosa facere concesserit, jam vero quę causã esse potest miraculorum, videtur & esse posse Creationis.
1. **EFFECTUM** sive productam, quod est totum **UNIVERSUM** cujus

cujus primariæ partes veniunt sub nominibus *cæli & terre* unâ cum utriusque exercitu. Gen. 1. 1. coll. Gen. 2. 1. itaque *perfecti sunt cæli & terra, omnisque exercitus illorum.* Act. 4. 24. *Domine Deus, qui fecisti cælum, & mare, & terram, & omnia, quæ in iis sunt.* Vide Act. 4. 15. 17. 23, 24. Notandum tamen, quod sub traque notione Moyses (methodum servans architectonicam) præsertim respiciat duplex domicilium :

α. *Domicilium Angelorum*, quod venit sub nomine *cæli*, 1 Reg. 8. 27. *tertii cæli*, 2 Cor. 12. 2, 3. 4. cujus exercitus vocantur *Angeli*, Luc. 2. 13. coll. Mat. 26. 53. atque adeo inter creaturas referre oportet,

a. *Cælum beatorum*, Heb. 11. 10. *expectabat Abraham illam fundamenta habentem civitatem, cujus artifex & conditor Deus.*

b. *Angelos*, per quos intelligimus creaturas mere spirituales, sive mentes naturaliter corpori non conjunctas, intellectu, voluntate, & potentiâ præditas; horum Angelorum

1. Existentiâ, contra Sadducæos cum Pharisæis hic recte sentientibus, confirmat Evangelium, Matth. 22. 30. *æquales Angelis sunt filii Dei &c.* Luc. 20. 36. Act. 23. 8. *Sadducæi dicunt, non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum, Pharisei autem consentientur utraque.*

2. Naturam spiritualement, seu intellectualem, asserit S. S. vocibus *מלאכי* & *πνεύμα*, 1 Reg. 22. 21. Pf. 104. 4. *facit מלאכי רוחות* Angelos suos *Spiritus*. Ad quam naturam characterizandam notandum, quod iis attribuatur,

α. Intellectus, 1 Pet. 1. 12. *Angeli dicuntur, cum desiderio ἀγγελοφύλων &c.* Matth. 24. 36. *de die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli cælorum &c.* Ubi simul indicatur eorum intellectum finitum esse.

β. Voluntas ad obedientiam sub Deo, Pf. 103. 20. *benedicite Domino Angeli ejus, præpotentes robore, facientes verbum ejus, ut audiat vocem verbi ejus.*

γ. Potentia, Pf. 103. 20. 2 Theff. 1. 7. dicuntur *Angeli δυναμεις αὐτῶν.*

3. Negationem corporeitatis & corruptibilitatis, Luc. 20. 36. *mori non possunt æquales Angelis &c.* Cap. 24. 39. *Spiritus carnem & ossa non habet.*

(1)

4. Cre-



4. Creaturas esse, sive ante principium non extitisse, constat ex Pf. 104. 4. 148. 2, 5. Col. 1. 16. 17. Creationis autem eorum,
- α. Tempus licet definitè non designetur, nihilominus ad principium creationis referendum esse non male colligitur ex Gen. 1. 1. coll. Job. 38. 6. *jubilant unà stellæ matutine, & cecinerunt omnes filii Dei*, sc. gaudio & hilaritate sanctissimi hi Spiritus elati fuerant, quum terra (quod tertio creationis die factum) fundaretur, quippe theatrum Divinæ & sapientiæ & justitiæ & misericordiæ futurum: imo & habitaculum eorum, qui debebant κληρονομεῖν σπηλαίαν, Heb. 1. 14. &c.
- β. Numerus Angelorum multiplex est, Apoc. 5. 11. *numerus eorum est millies centies mille, & decies centies mille*. Dan. 7. 10. *millies mille, myrias myriadum*.
- γ. Conditio primigenia fuit bona, ut, qui mali sunt, tales facti sint per recessionem à principio, Jud. v. 6. *quidam Angeli non servatâ suâ origine reliquerunt suum domicilium &c.* Joh. 8. 44. *Diabolus dicitur in veritate non perstitisse*; sunt tamen satis multi Angeli confirmati in bono, qui appellantur Filii Dei, Job. 1. 6. *Filii Dei se stiterant coram Jehova*.
- δ. Finis est, ad ministerium præstandum etiam in iis, quæ circa peculium Dei agenda erant. Pf. 103. 21. 148. 2. *ubi omnes Angeli invitantur ad celebrandum Jehovam*, quod sc. Jehova appareret plenus gratiæ & veritatis Ecclesiæ. Jes. 6. 3. & in ordine ad fideles, ut Matth. 18. 10. *dicuntur parvorum Angeli, qui vident faciem Patris*. Heb. 1. 14. *ministratores Spiritus, qui ministerii causâ mittuntur propter eos, qui hæredes erunt salutis*; quippe eorum conservi, Apoc. 19. 10.
- ββ. *Domicilium hominum sub nomine terræ, & quæcunque in ea sunt; quæ omnia à Mose architectonice considerantur relatione ad usum humanum, ut homo terræ incola in ea commode degere possit ad laudem Dei Creatoris sui, quippe qui non frustra creavit omnes filios hominum; Pf. 89. 48. nec incassum creavit terram, sed ad inhabitandum, sc. iis, quos per verum Salvatorem salvare decrevit; Jes. 45. 18. In qua celeberrimum opus est Homo,*

α. Cui

- a. Cui corpus apparavit ex pulvere terræ, Gen. 2. 7. cujus respectu vocatur אֱדָמָה, & Deus comparatur cum figulo, dum organa apte disposuit imperio mentis subordinata, & per vitam animalem mobilia.
- b. Animam addidit creatam in medio corporis, Zach. 12. 1. dixit Jehovah, qui extendit cælos, & fundat terram, & format Spiritum hominis in medio ejus. Hinc vocatur Deus Spirituum & omnis carnis, Num. 16. 22. hæc mens humana,
1. Relate ad originem condita est, non ut ex traduce propagetur, sed ut perpetuâ creatione corpori ad conjunctionem destinato adjungatur; quod defendimus contra Lutheranos, alioque negantes peccatum originale explicari posse, nisi ex traduce propagetur.
- a. Probamus contrarium ex locis allegatis, de quocunque homine creationem mentis asserentibus.
- β. Defendimus contra objectiones, desumptas,
- a. Ex Gen. 2. 2. ubi dicitur Deus quiescere à creatione.
- b. Ex Gen. 46. 26. ubi animæ dicuntur egressæ ex femore Patriarcharum.
- c. Quod homo hominem non generat, nisi & animam generet.
2. Relate ad perpetuitatem, secundum quam asserimus, hominem accepisse mentem immortalem, id est, quæ post mortem propter corporis dissolutionem non perit, seu annihilatur; contra Socinianos, hanc perpetuitatem à sola gratia derivantes, ut obtineant, animas improborum cum morte aboleri.
- a. Asserimus sententiam orthodoxam ex locis Eccles. 12. 7. redeunte pulvere in terram, unde fuit, spiritus redit ad Deum, qui dedit eum. Adde Matth. 10. 28.
- β. Defendimus adversus objectiones ex testimoniis;
- a. Ubi mortui dicuntur non laudare Deum, Pf. 30. 10. 88. 12. 115. 17. Jes. 38. 18.
- b. Ubi dicuntur non esse. Pf. 39. 14. desiste à me, ut recreer, antequam abeam, & non sim. Mat. 2. 18.
- c. Ubi conferuntur cum brutis pereuntibus, Eccles. 3. 18, 19. dixeram ego cum animo meo secundum rationem humanam, quum declararet eos ipse Deus, & viderem hos bestias esse illis: eventum

*tum filiorum hominis similem esse eventui ipsius bestię, & eventum eundem illis esse: ut moritur hæc, ita mori illum: itaque præstantiam hominis præ bestiis nullam esse.*

C. MODUS productionis consistit in eo, quod hoc opus fuerit successivum; licet enim Deus potuisset omnia simul cum ornatu producere; Moses tamen docet, illi aliter visum fuisse, cumque terram condidisse *תהו ובהו* Gen. 1. 2. id est, *nondum ornata & fundata*, tenebrasque fuisse supra abyssum, cæterum intra sex dies hoc totum digessisse.

*Primæ* diei opus fuit *Lux*, unà cum motu telluris circa proprium axem, ut efficeret *diem & noctem*. Lucem primigeniam concipimus in formatione globulorum æthereorum solo creato motu conantium recedere à centro suo. Gen. 1. 3-5.

*Secundæ* diei opus fuit *aquarum superiorum separatio*, collectarum in nubes, & atmosphæram terræ constituentium. Gen. 1. 6-8. à simplicitate textus nimium recedunt, qui huic diei attribuunt creationem marium.

*Tertiæ* diei opus fuit *aquarum inferiorum in cavitates collectio*, Gen. 1. 9, 10. quæ in S. S. vocatur *terræ fundatio supra maria*, aut potius *juxta maria*, Job. 38. 4-8. Pf. 24. 1. *Dominus est terra, -quia ipse, על ימים*, *juxta maria fundavit illam*, & *juxta fluvios firmat illam*, adde Pf. 104. 5-9. Nec non *plantarum & arborum productio*, cujus interventu homini de victu prospectum fuit. Gen. 1. 11-13.

*Quartæ* diei opus fuit *productio luminarium cœlestium*. Gen. 1. 14-19. quod concipimus factum ex accessione majoris copię particularum primi elementi, intercedente vorticum minus consistentium absorptione, unde spatia centralia & firmata sunt, & majori copia materiæ subtilis impleta ad lucem hanc, quam nunc cernimus, fundendam.

*Quintæ* diei opus fuit *productio avium & piscium*, quarum illæ in aère, hi in aquis degerent, fovente jam calore solis naturali hoc universum. Gen. 1. 20-23.

*Sextæ* diei opus fuit *brutorum animalium creatio*, & abhinc *HOMINIS*, in operis Dei colophonem impositi. Gen. 1. 24-31. quæ creatio his versiculis continetur:

*Prima*

*Prima* dies cœlum, terram lucemque creavit.

*Alter*a distendit spatium, discrimen aquarum.

*Tertia* secernens undas, dat gramina terris.

*Quarta* creat solem, lunam, cœlestiaque astra.

*Quinta* dedit pisces, eadem genus omne volantum.

*Sexta* tulit pecudes, hominem quoque, quem Deus ipse

Condedit, hinc operis requies lux *Septima* fulsit.

- D. CONSEQUENS fuit *quies*, Gen. 2. 2. quæ significat à rerum ulteriore productione abstinentiam, ut novæ species rerum ab hinc non oriantur, aut ortæ fuerint.
- E. FINIS creationis est manifestatio gloriæ, non solum æternæ potentia, verum omnis *θεϊότης*; Rom. 1. 20. confer 11. 36. ubi non solum *ex Eo* sc. Deo, & *per Eum*, sed & *ad Ipsum* dicuntur esse omnia, *Ipsi sit gloria in secula, Amen.* Apoc. 4. 11. *dignus es Domine, qui accipias gloriam & honorem & virtutem, quia tu creasti omnia, &c.*

### Observatio Practica.

**S**UMMUM BONUM ex consideratione creationis nobis commendatur non tantum ut communicabile, sed & actu se communicans, & ulterius communicaturum; exhibet enim se

A. Ut fontem omnis realitatis, stipatum summo jure in omnes creaturas, quippe potest de suo disponere, ut vult: & inexhaustâ potentia in creatione comprobata, qui solo jussu potest, quod libet, *vocat enim, quæ non sunt, tanquam sint*, Rom. 4. 17. proinde detrudere potest & perficere, si ita visum fuerit.

B. Ut pronum ad majorem hominis perfectionem, quippe qui non solum terram condidit in domicilium peregrinationis, omnium rerum usu refertum; verum etiam cœlum in locum æternæ commorationis, ineffabili gloriæ conjunctum, in quem exploratos admittere potest: ut proinde evidentissimum sit, in favore & benevolentia Creatoris summum hominis bonum non tantum situm, sed & quærendum esse; & bene agendo animas nostras fidei Conditori commendandas esse. 1 Pet. 4. 19.

(I 3)

CA-

## CAPUT VI.

*De Providentiâ Dei.*

**A**Ltera actionum externarum Dei est PROVIDENTIA, quæ est perpetua Dei creatio, relatione tantum à creatione differens, quatenus terminus ad quem, efficaciam voluntatis divinæ, est creaturarum à non esse ad esse tractarum perpetuatio ad definitum terminum, & earundem operatio; ut ita sicut in fieri, ita quoque in esse & operari à Deo dependeant; proinde PROVIDENTIA DIVINA est Consilii divini executio altera, qua secundum æternam suam præscientiam & determinationem Deus res creatas, cum *quoad speciem*, tum *quoad individua* conservat, earumque actiones ita moderatur, ut omnia ad finem suum tendere debeant.

*A. Vocabulum Providentiæ mutuatum est ab administratione tum politica, tum œconomica, & singularem curam moderatorum significat. Quoad politicam, Act. 24. 3. Nos per te, dicit Tertullus Præsidi Felici, tuæque providentiæ egregia in hac gente facinorosa pacem consecutos, prorsus & ubique agnoscimus, præstantissime Felix, &c. Quoad œconomicam, 1 Tim. 5. 8. quod si quis suis & maxime domesticis non providebit, fidem abnegavit, &c. ac transfertur ad Deum, Gen. 22. 14. Abraham nomen loci, ubi sacrificare volebat Isaacum, vocavit: Jehovah providebit, hinc bodie dici solet, in monte יהוה יראא Jehovah providebit.*

*B. Veritas rei, seu existentia providentiæ in doctrina Scripturaria evidentissima est. Gen. 22. 8. Abraham rogatus à filio, ubinam sit pecus ad holocaustum, respondit, Deus providebit, quod versu 13. visum in ariete retrorsum detento, quem obtulit Abraham. Act. 17. 25, 28. Heb. 1. 3. sustinet omnia verbo suo potente.*

*C. Actus providentiæ sunt*

**N. CONSERVATIO**, seu rerum creaturarum sustentatio, quæ est opus providentiæ, qua moderator universi rebus, quibus existendi principium largitus est, etiam concedit permanendi durationem, seu perseverantiam, quamdiu lubet: asseritque S. S. hanc conservationem, Pf. 104. 29. 30. *universa in Te sperant, quum*

*quum abscondis faciem tuam, turbantur, quum auferis Spiritum tuum, expirant, & ad pulverem suum revertuntur, at quum mittis Spiritum tuum, creantur, & innovas faciem terræ. Sic Neh. 9. 6. Tu Jehova solus es, tu fecisti celos, celos celorum---terram, & quicquid in ea est, maria, & quicquid in iis est, & tu conservas hæc omnia. Col. 1. 17. Heb. 1. 2, 3. Apoc. 4. 11. versaturque,*

a. *Circa conservationem specierum, qua efficit, ut nulla species creaturarum intereat, ita ut post multarum rerum permutationes nihil earum desideretur, Jes. 40. 26. attollite in sublime oculos vestros, videte, quis ista omnia creavit, producens numero suo exercitum ipsorum, quis ista omnia vocet de nomine præ amplitudine virium, prout fortis est robore, adeo ut quicquam non desit.*

b. *Circa sustentationem individuorum, qua singula ita perpetuat, ut ad tempus ab eo statutum perseverent, nec moriantur, aut intereant, nisi ad nutum ejus. Hic nascitur quæstio de termino vitæ humanæ fixo an mutabili? contra Remonstrantes, Lutheranos, Semi-Pelagianos, aliosque, frustra ex termino vitæ fixo fatum metuentes.*

a. *Probatur sententia orthodoxa,*

1. *Ex dictis S. Script. Job. 14. 5. Pl. 139. 16. massam meam viderunt oculi tui, & in libro tuo omnia illa scripta sunt, &c. Pl. 39. 6. ecce palmares posuisti dies meos, &c. usque adeo ut etiam capilli capitis omnes sint numerati, Matth. 10. 30. addo Joh. 7. 30.*

2. *Ex nexu rerum, decreto Dei definitarum, qui mutabilis esset, nisi terminus vitæ hominum ad plurima in mundo perficienda destinatorum ratus esset. Act. 17. 26.*

β. *Defendimus contra objectiones urgentes,*

1. *Testimonia, quæ vitam longævam ab obedientia, decurtatam ab inobedientia suspendunt; Exod. 20. 12, honora patrem tuum & matrem tuam, ut prolongentur dies tui &c.*

2. *Ex prorogatione vitæ Hiskia, Jes. 38. 1. Esajas jussu Dei dicit: Tu Hiskia brevi morieris, ac non vives: ejusdemque jussu dicit versu 5. ecce ego addam diebus tuis 15. annos. Pl. 55. 24.*

3. *Ex*

3. Ex inutilitate usus mediorum, aut medicinæ, quam hæc sententia inferre videtur.
2. CONCURSUS, (hunc vulgo Alii contradistinguunt conservacioni; alii vero sub conservacione comprehendunt) dicit solummodo relationem ad actiones & operationes creaturarum, quatenus sunt dependentes à Deo: & sicuti conservatio est perpetua rerum reproductio, ita concursus, (si vocabulum sit admittendum) dicit solummodo productivum creaturarum suis cum actionibus, seu efficaciam voluntatis divinæ, qua præstat, ut sint res cum suis facultatibus & actionibus. Atque hic

α. Καθ' ἀγορί, removemus concursum

a. *Simultaneum*, quo Deus statuitur à Scholasticis in actiones potius influere, quam in agentes; quæ sententia actiones agentium revera facit independentes.

b. *Indifferentem*, quoposito agens non determinaretur ad agendum, sed relinqueretur indifferens ad agendum, & non agendum; quæ sententia voluntati Dei inefficaciam affingit.

β. Κατὰ θεόν, actionem Dei concipimus ordine priorem, & dependentiæ humanæ in operando radicem, cum S. Scriptura; Act. 17. 27, 28. *non longe abest Deus ab unoquoque nostrum, per ipsum enim vivimus, & movemur, & sumus, &c.* Eph. 1. 11. Phil. 2. 13. *operatur in nobis & velle & perficere.* Jes. 26. 12.

3. GUBERNATIO, quæ est providentiæ divinæ opus, quo omnes actiones, tam corporales, quam mentales, seu potius motus & cogitationes cum suis effectis, ita ad scopum dirigit, ut nihil non respondeat ipsius proposito: quod exemplo Pharaonis patet, de quo Deus dicit: Exod. 14. 18. *& experientur Egyptii, me esse Jehovam, quum glorificabor in Pharaone, in curribus ejus & in equitibus ejus.* Sic Esaj. 14. 24. *Juravit Jehova Deus Exercituum, dicendo: Si non, quemadmodum proposui mihi, ita factum est, & quemadmodum consilium inivi, illud stabit.* Exod. 15. 18. Ps. 33. 9-11. 103. 19. Quæ gubernatio alia concipitur

α. *Communis*, qua omnia simili modo gubernat: huc pertinent,  
a. *Leges naturæ*, ut Job. 38. 12. dixit Jehova Jobo: *An unquam*

*quam præcepisti matutino tempore? an notum fecisti aurore locum suum? quasi diceret? Ego Jehova solus has leges naturæ dedi, & nemo alius.*

*b. Propensiones naturales rerum & instinctus: pro exemplo sint formicæ, quarum propensio est ad continuum laborem, Prov. 6.6. abi ad formicam, ð piger, aspice vias ejus, id est, naturales agendi rationes, & sape, conf. Prov. 30. 24, 25.*

*c. Aptitudines & dispositiones ad respondendum imperio Dei, ut Ps 103. 21. omnes Dei exercitus dicuntur ministri ejus, facientes voluntatem ejus.*

*ß. Specialis, quam providentiam moralem vocant; quæ manifestatur in regno Dei & Christi, ut ejus consideratio hujus loci non sit.*

*D. Latitudo ejusdem providentiæ est, qua se extendit ad omnia & singula, etiam minima, nec non ad omnes causas secundas, sive ex necessitate naturæ, sive ex contingentia, sive etiam liberissime agentes.*

*N. Omnia & singula etiam minima divino moderamini subesse;*

*a. Probamus, contra quosdam de minimis dubitantes, ex locis expressis, ut Matth. 6: 26, 28. dicitur Deus volucres cæli alere, & incrementum dare liliis agrorum, & Matth. 10: 29. ne quidem passerculus dicitur in terram cadere absque Patre cælesti. Imo satisfiat omne vivens benevolentia, &c. Ps. 145. 15, 16.*

*ß. Defendimus contra objectionem ex loco, I Cor. 9. 9. num boves curæ sunt Deo?*

*2. Circa causas secundas non uno modo agentes, convenienter singularum naturæ, versatur quoque eadem providentia.*

*a. Circa causas necessarias ex proprietate naturæ agentes ita versatur, ut nunquam actiones suas exserant, nisi efficacia divinæ gubernationis proritata. Job. 38: 31. Ps. 74: 16, 17 Tuus est dies, tua etiam est nox. Tu constituisti luminare & solem. Tu fixisti omnes terminos terræ: æstatem & hyemem tu formasti. Solus etiam Jehova dicitur mari terminum ponere arenam, idque statuto perpetuo, & solus edit pluviam & imbres, Jer. 5. 22. 14. 22.*

*ß. Circa fortuita, ubi notandum;*

*a. Fortuita solummodo dici respectu nostri, dum quædam extra*

(K)

no-



nostram expectationem eveniunt, quorum causas prævidere nobis non conceditur: distinguunturque in tria genera; in

1. *Fortunam*, quando finis ab humana voluntate intentus, interveniente aliquo medio non prævisio, interruptitur aut turbatur.

2. *Casum*, qui notatur in rerum eventibus, in quibus nulla hominum opera, arbitrium, aut possibilis prævisio intercedit.

3. *Sortem*, cum ab aliquo eventu, à Deo suspenso, & extra nostram potestatem posito, determinationem litis aut dubii requirimus.

b. Fortuita gubernari à Deo

a. Afferimus contra Socinianos, determinationem providentiæ divinæ cum rerum contingentis irreconciliabilem esse declamantes.

a. Res Fortunæ Deo subesse patet, Gen. 22. 8, 19. *ex ariete veribus impleto, & loco Isaaci immolato.*

b. Res Casu evenientes, ut casus passeruli, Matth. 10. 29, 30. *quum alter alterum occiderit imprudenter, id est, præter consilium & factum suum, Deus dicitur talem objecisse manus alterius, adeoque providentiâ & certo Dei consilio omnia fieri, Exod. 21. 13. col. Deut. 19. 4, 5.*

c. Sortem à Deo dirigi, Prov. 16. 33. *In gremium conjicitur fors, à Jehovah autem est omne judicium, sive ratio ejus.*

ß. Defendimus adversus objectiones,

a. Necessitatem & contingentiam non uno loco consistere, sed contradictionem ponere in adjecto.

b. Fatum Stoicum hoc modo introduci.

2. *Circa liberas actiones voluntatis creatæ hæc etiam providentiæ versatur, & quidem*

a. *In genere*; eas providentiæ divinæ subjectas esse, ut legitime intelligamus,

a. *Distincte considerandæ sunt actiones elicitæ & imperatæ. Respectu actionum elicitarum, conservatio Dei est reproductio mentis perpetua cum variis suis cogitationibus; respectu actionum imperatarum, est efficax jussio, ut certi quidam motus corporis, cum quibusdam certis cogitationibus mentis, ita sint*

con-

connexi, ut data tali cogitatione mentis sequatur talis motus corporis ad imperium mentis.

b. Probamus hanc providentiam,

1. Ex testimoniis, Prov. 16. 1. *babeat homo dispositiones cordis, at à Domino est pronuntiatio linguæ*, id est, licet innumeras verberet homo in corde cogitationes, at ne hiscere quidem potest & movere linguam sine dispositione Dei. Prov. 21. 1. *ut rivi aquarum, sic animus Regis est in manu Jehovæ, quocunque vult, inclinat eum.* Ps. 139. 2-5.

2. Exemplis, ut 2 Chron. 36. 22, 23. dicitur *Deus excitasse spiritum Cyri Regis Persidis, ut promulgaret liberum abitum in Judam ad edificandum templum Jerusalem, &c.* conf. Ezeræ 6. 1, 22. adde 1 Sam. 10: 26.

β. In specie versatur circa actiones voluntarias:

a. Bonas efficienter. Jac. 1. 17. *omnis donatio bona, & omne donum perfectum superne est, descendens à Patre luminum.* Phil. 2. 13. 2 Cor. 3. 5. *dicimur idonei ad cogitandum quicquam non ex nobis ipsis, sed ex Deo.*

b. Malas permissivè; ubi duo extrema vitanda sunt: *Hinc*, ne Deum faciamus authorem peccati, quippe *cujus opus est perfectum, omnes ejus viæ jus, est Deus fidelis, & expers iniquitatis, justus & rectus*, Deut. 32. 4. item Job. 34. 10-12. *absit à Deo improbitas, & ab Omnipotente injustitia, nam actionem hominis retribuit ei, & secundum iter cujusque facit, ut inveniat: etiam vere Deus non agit improbe, & Omnipotens non distorquet judicium.* *Illinc*, ut Deum non subjiciamus mutabili hominum arbitrio, & creaturam faciamus à Deo independentem: in quem finem asserimus, providentiam Dei versari circa peccatum

1. *Permittendo*; aliàs peccare non possent, quod patet exemplo Abimeleci, quem Deus dicitur cohibuisse, ne peccaret in Deum, neque fuisse, ut attingat uxorem Abrahami, Gen. 20: 6. Ac Ps. 81. 13. dicit Deus: *dimisi Israel in obfirmatione cordis sui: ut abeant in consiliis suis; & Act. 14. 16. dicitur Deus fuisse omnes gentes suis ipsarum viis incedere;* Non quod Deus ut otiosus solum spectator sit consideran-

duſ, quippe qui facultates phyſicas, actusque vitales efficaciter conſervat, & occaſiones peccandi juſte occurrere facit, quibus peccator tamen ſuâ culpâ abutitur.

2. *Limitando* & peccatores cohibendo, ne conſiliorum molimina ultra id, quod Deus permittere definivit, extendant. Quod patet exemplo Satanæ, cui in omnia Jobi bona (at ſalvo Jobo) involare dabatur, Job. 1. 12. poſtea in manum Satanæ quidem dabatur Jobus, ſed ſalvâ ejus vitâ, Job. 2. 6. quos limites tranſgredi non auſus eſt ipſe Satanæ: & exemplo hominum: ut Jeſ. 37. 29. ubi dicit Deus Senacheribo: *quoniam tu furis contra me, ideo ponam hamum meum in naſo tuo, & frenum meum inter labia tua, ac reducam te viâ iſtâ, per quam veniſti.*
3. Ita *gubernando*, ut mala in bonum convertat, & ad gloriam ſuam exire faciat: quod noverat Joſephus, perfidis ſuis fratribus inſinuans: *Non vos me miſiſtis huc, ſed Deus ipſe, qui conſtituit me patrem apud Pharaonem, &c.* Gen. 45. 8. idem fere repetens Gen. 50. 20. dicit iis: *Vos quidem cogitaveratis contra me malum, ſed Deus cogitavit illud in bonum &c.* quemadmodum non ſolum Deus *amantibus ipſum omnia facit cooperari in bonum*, Rom. 8. 28. Sed & reſpectu improbi, quem fecit ad diem mali, Prov. 16. 4. *Deus oſtendit potentiam ſuam, ut annuncietur nomen Dei in tota terra, quemadmodum de Pharaone dicit Scriptura: Rom. 9. 17.*

### *Obſervatio Præctica.*

**H**æc providentia exhibet nobis DEUM, SUMMUM BONUM, ut moderatorem omnium, cujus gubernationi ſubſumus omnimodo, tum in eſſe, tum in operari. Unde quilibet facile conficit, rebus humanis maxime conducere, ut Summum hoc Bonum nobis habeamus propitium & benevolum, à cujus poteſtate dependemus in eſſe & operari, quippe à quo dependet in futurum, non ſolum noſtrum *melius* aut *pejus eſſe*; verum etiam noſtrum *jucundius* aut *moleſtius* operari; quippe qui amicis eſt ſcutum & merces magna; inimicis eſt contra juſtus judex & rigidus vindex: quærendus proinde ad amicitiam, & venerandus per tolerantiam in adverſis, per gratitudinem in proſperis, nec non per fiduciam in rebus incertis.

PARS II.

# PARS SECUNDA.

## *De dispositione hujus partis.*



**P**ROUT in prima parte consideravimus Deum relate ad homines, & quidem ut SUMMUM BONUM, ita nunc considerandus venit Homo relate ad Deum, & ad viam perveniendi ad communionem SUMMI BONI. Unde concipi potest

*A.* In ordine ad quadruplicem statum,

1. *Integritatis*, in quo conjunctus est cum Deo per amicitiam ad huc integram spem facientem vitæ æternæ per foedus operum.
2. *Miseriæ*, in quo intercedente peccato per contractam inimicitiam à Summo Bono disjunctus est & separatus, sub metu æternæ perditionis.
3. *Gratiæ*, in quo cum Summo Bono reconciliatus, illique reunitus per foedus gratiæ, pacem habet cum Summo Bono & spem salutis.
4. *Gloriæ*, in quo consummatus admittitur ad fruitionem Summi Boni.

*B.* Vel concipi potest in ordine ad viam vitæ manifestatæ in duplici foedere, adeoque est

1. *Fœdus operum*, cujus perpendenda,
  - a. Cum homine integro *erectio*.
  - β. *Violatio*: unde homo miser factus, subest omni malo in foedere operum violatoribus comminato.
2. *Fœdus gratiæ*, cujus consideranda est.
  - a. *Manifestatio*.
  - β. *Executio* per mediatorem Christum, & impetrationem salutis per eum peragenda.
  - γ. *Executio* respectu nostri per actualement collationem gratiæ,
    - a. Per beneficia hujus vitæ
    - r. Vocationis & regenerationis.

(K 3)

2 Ju.

2. Justificationis.
  3. Sanctificationis.
  4. Conservationis.
  5. Obignationis.
- b. Post hanc vitam in statu gloriæ, cujus beneficium est glorificatio,
1. Secundum mentem solam.
  2. Secundum corpus per resurrectionem carnis.
  3. Secundum utrumque in vita altera consummanda.

## C A P U T I.

*De Fœderibus Dei in Genere.*

**F**œdus Dei est conventio inter Deum & hominem, qua Deus stipulando certam quandam conditionem, & promittendo definitum aliquod præmium, homini viam commoustrat ad communionem sui; homo autem adstipulando conditionem in se suscipit, ut eâ adimplerâ jus restipulandi (scu præmium postulandi) accipiat. Hujus fœderis expendamus,

## A. NOMEN,

α. *Quoad Etymon*, כְּרִיתִי Hebræis dici videtur à כָּרַת *eligere*, quia in conventionem est mutua fœderatorum ad amicitiam & conditionum electio. Græcis συνθήκη dicitur, quia utraque pars ad dispositionem concurrat. S. S. tamen potius amat vocem διαθήκης, quoniam conditionis præscriptio & præmii definitio tantummodo dependent à plenaria dispositione Dei, & in fœdere gratiæ magis habet formam *Testamenti*, Gal. 3, 15. *fratres, secundum hominem dico*, ὅμοιο ἀνθρώπου κεκυρωμένη διαθήκην ἡ δὲ εἰς ἀθετεῖ, ἢ ἐπιδιατάσσεται. Heb. 9. 16. ὅτι διαθήκη, *ubi testamentum*, θάνατον ἀνάγκη φέρειν ἢ διαθεμένῃ &c. unde hoc respectu fœdus Dei μονόπλευρον est, licet & δίπλευρον dicatur propter requisitam adstipulationem hominis, ut fructuum fœderis particeps evadat.

β. *Quoad ὁμονυμίαν*, sæpe per synecdochen partis pro toto כְּרִיתִי signi-

Cap. L DE FOEDERIBUS DEI IN GENERE. 79

significat alterutram foederis partem, ut nunc indicet *Legem*, Exod. 34. 28. nunc *promissiones & donationes irrevocabiles*, Exod. 34. 10.

B. NATURA secundum partes contrahentes exigit, ut

§. A PARTE DEI concipiamus duos actus, secundum quos foedus Dei est divina declaratio de ratione percipiendi amoris Dei, & unione ac communione ipsius potiendi.

α. Ratio agendi est ipsa *stipulatio*, officium homini praescribens, tanquam viam ad vitam; cuius stipulationis declaratio vocatur תורה, sive commonstratio viae, & Θεία νομοθεσία, confer Ps. 25. 8. *Bonus & rectus est Jehova*, על־כֵן יורה חסאים בדרך ideoque monstrat peccatoribus viam, quae monstratio viae ψ. 10. & 14. vocatur ברית *foedus, testamentum*. Adde Heb. 8. 8, 9, 10. &c.

β. Oblatio amicitiae est ipsa *promissio divina*, qua amicitiam & conjunctionem ad ulteriorem hominis perfectionem, ut verum spei objectum, proponit. Haec amicitia vocatur in S. S. סוד יהוה, Ps. 25. 14. *secretum, commercium familiare Dei*, quale est inter aeternae conjunctionis amicos: סוד enim dicitur vel de duobus, ut Job. 29. 4. vel de pluribus una convenientibus familiariter, ut Ps. 111. 1. Secundum quod foedus Deus dicitur Deus ipsius, sc. foederati: Gen. 17. 7. dicit Deus Abrahamo: *faciam stare foedus meum inter me & inter te, & inter semen tuum post te in aetates ipsorum, in foedus seculi*, ut FIAM TIBI IN DEUM, ET SEMINI TUO post te. Imo dicitur propter conjunctionem amicitiae unum cum ipso, Joh. 17. 21. *ut omnes unum sint*, dicit Christus, *sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint*. Quum ejus fructus sit in futurum cum spe incrementi majoris, hujus declaratio *promissio* vocatur.

γ. Vinculum inter utramque declarationem est, quod praemium attingi nequeat, nisi per absolutam adstipulationem, ut spes demum oriatur ex praestita conditione, conf. Jes. 45. 22. *respicite ad me, & salvamini omnes fines terrae, nam ego sum Deus, & non est amplius*.

§. A PARTE HOMINIS, ut foedus illud obtineat, ac ratificari possit, requiritur

α. Ad-

- α. *Ad stipulatio*, quæ est stipulationis acceptatio. Ps. 27. 8. *Tibi (vicem tuam, vel pro te ô Deus! confer Exod. 4. 16.) dixit cor meum, quærite faciem meam*, quæ est stipulatio: *faciem tuam, ô Jehovab, quæro*, quæ est adstipulatio, atque in S. S. vocatur *ὁμολογία* 2 Cor. 9. 13. *per experimentum ministerii talis glorificantes Deum ἐπι τῇ ὑποταγῇ τῆ ὁμολογίας ὑμῶν εἰς τὸ εὐαγγέλιον τῆ Χρῆστῆ*, propter obedientiam ad stipulationis vestræ in *Evangelium Christi*, &c. Hinc Christus vocatur *ἔσ Apostolus ἔσ Pontifex ἔσ ὁμολογίας ἡμῶν*. ad stipulationis nostræ, Heb. 3. 1. quia in Christo, à Patre nobis in Pontificem dato & misso, fiduciam reponentes Patri ad stipulamur; per quem ad stipulationem similiter loquimur, ac ipse Deus in stipulatione sua, nempe Deo stipulanti assentientes, annuentes & subscribentes.
- β. *Restipulatio*, quæ est actus præstitam conditionem consequens ex conscientia peracti officii, præmium vi fœderis à Deo repetens & postulans, qui actus in S. S. venit sub nomine *הַנְּכִיחַ* Jef. 1. 18. *Agite, הַנְּכִיחַ ἔσ disputemus unà*: hoc est, depromamus utrimque *ἐλεγχῆς*; Vos recipite *ἐλεγχον* de peccato, iustitia & iudicio, & mihi ad stipulamini. credite in me, qui testor iustitiam extra filium meum non esse, recipite præceptum fidei & poenitentiae: sicque facultatem vobis do, imo exigo à vobis, ut ad me accedatis, & in bona conscientia mihi demonstrationem vestram cum restipulatione proponatis, &c. in qua disceptatione ipsa confœderatio consistit. Adde Job. 23. 4, 7. cuius restipulationis opus est *ἐπερωτᾶν*, 1 Pet. 3. 21. *qua habemus conscientia bona ἐπερωτήματα εἰς Θεόν*, stipulationem ad Deum, ut accedentes ad Deum *ἀφόβως* ab ipso, quæ sunt salutaria, petere possimus, imo gloriari in Deo per Christum. Tandem habitus mentis in eo actu est *παῖρησία*, 1 Joh. 3. 21, 22. *si cor nostrum nos non condemnet, παῖρησίαν*. libertatem habemus apud Deum, &c.
- γ. RATIFICATIO fœderis comprehendit ritus quosdam confirmatorios, seu hanc seu illam partem obstringentes ad fidem faciendam: quæ ratificatio fieri solet,
- κ. Juramento, unde fœderati vocantur *συνωμόται*, ut Amorrhæi fuerunt *συνωμόται* ipsius Abrahami, quippe fœdus invicem habentes. Gen. 14: 13.

Pigno-

## Cap. I. DE FOEDERIBUS DEI IN GENERE. 31

2. Pignoribus amicitiae, quae vulgo Sacramenta, seu sigilla foederum vocantur, & propter usum *ἱεροσλήματα*, 1 Pet. 3. 21.
3. Transitione per partes caesi animalis, Jer. 34. 18-20. *Et dabo viros illos, qui transgressi sunt foedus meum, qui non rata fecerunt verba foederis, quod fecerunt coram me, foederis vituli, quem secuerunt in duas partes, inter cujus partes transferunt, principes Judae, -- Et omnem populum terrae, qui transferunt inter partes vituli, dabo, inquam, illos in manum inimicorum suorum, &c. qui ritus sanguinem, vitamque obnoxiam facit, si quis falla*

## CAPUT II.

### *De Fœdere operum.*

**D**ividuntur foedera Dei cum hominibus in *foedus operum* & *foedus gratiae*, secundum duplicem legem, *operum* & *fidei*. Rom. 3. 29. Neque datur medium, propter duplicem tantum justitiam, propriam & fidei, seu imputatam, de qua Rom. 9. 30-32. conf. 10. 5. ut propria fit ex lege; imputata ex fide, Phil. 3. 9. *ut inveniar in Christo non habens meam justitiam quae ex lege est: sed illam quae ex fide est Christi, quae ex Deo est justitia in fide.* FOEDUS OPERUM appellamus pactum inter Deum & hominem rectum, in quo à parte Dei promissio vitae, sub signis paradisi & arboris vitae oppignorata, spem facit vitae beatæ in caelo perfruendæ; sed sub conditione perfectæ & constantis obedientiæ, legi Dei præstandæ, ad justitiam propriam, ut operanti merces sit ex debito. *A parte hominis* vero adstipulatio conditionem propositam per susceptionem legis, omni modo præstandæ, & sub interminatione maledictionis violatoribus foederis irrogandæ, in sese recipit.

- A. NOMEN FOEDERIS competere obligationi hominis recti, eruimus ex Hos. 6. 7. *Et illi, ut Adam, transgressi sunt foedus: phrasi collatâ cum Job. 31. 33. Si, ut Adam, obtegi meas transgressiones.*
- B. PARTES FOEDERIS respectu contrahentium considerantur,

(L)

NN. A



III. A PARTE DEI, qui homini proposuit,

aa. Legem, quam cum Paulo vocamus legem operum, Rom.

3. 27. cujus consideramus

aa. Postulatum, quod invenimus

1. In tabulis cordis, Rom. 2. 14, 15. *Gentes, quæ legem non habent, naturâ quæ legis sunt, faciunt, isti legem non habentes, sibi ipsis sunt lex, ut qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, unâ testimonium reddente ipsorum conscientia, & cogitationibus sese mutuo accusantibus, aut etiam excusantibus.* Ut officium hominis recti illi naturaliter fuerit cognitum, probantibus id etiam reliquiis luminis naturalis, in homine lapsa adhuc superstitionibus.

2. Ex revelationibus divinis, officium homini recto proponentibus, & convenienter statui exigentibus. Aliæ enim sunt relationes hominis recti, aliæ peccatoris, *ad Deum, ad proximum, & ad se ipsum.* Nam in statu recto Deus non occurrebat ut iratus & conciliandus, nec proximus sub schemate hostis aut miseri, nec ipse homo ut luctans cum concupiscentiis carnis: ut proinde officia, ex illis relationibus nata, ab homine recto non exigenterentur. Nihilominus radices omnium officiorum, in talibus casibus debitorum, jam erant in lege naturæ; in debito sc. amoris erga Deum & proximum, & temperantiæ erga se ipsum comprehensæ. Itaque convenienter statui recto obligationes quædam erant,

a. In lege dominii fundatæ, quum Deus, Gen. 1. 28. 30. dixit protoplastis: *Subjicite vobis terram, & dominamini in pisces maris, & in volucres cæli, & in omnes bestias reptantes super terram; etiam in herbas omnes, & arbores eorumque fructus &c.* quamvis enim dominium illud fuerit beneficium, & privilegium, primo homini concessum, nihilominus, cum illud non esset absolutum & independens, continebat quoque officium, seu obligationem legitimæ administrationis dominii, qua tenebatur, ad rationes villicationis suæ aliquando reddendas. Ut proinde hîc legem vere primigeniam inveniamus, exigentem,

a. Offi-

- α. *Officium pietatis* erga Deum, agnoscendum ut supremum Dominum & feudi collatorem, cui rationes villicationis deberet homo, num ex ejus arbitrio dominio concessio recte uteretur & ad debitum finem, id est, ad gloriam Dei dirigeret, responsurus.
- β. *Officium temperantiae*, cujus est rebus inferioribus velle uti, non frui, neque sibi ulterius applicare, quam ut inde aptior Dei servus evadat. Hoc officium includitur verbo *dominari*; cujus oppositum est *servire*; monetque, hominem debere illis rebus præesse, non subesse; illaque habere ut infra se collocata, non supra; quæque illi nullam majorem perfectionem conferre poterant; ut proin peccaret, seseque servum faceret, si exinde se perfici posse speraret aut cogitaret.
- γ. *Officium justitiæ*, cujus est proximum à communi dominio non arcere, sed socium admittere: ac proinde occupata non velle ad se rapere, sed contentum esse nondum occupatis, quibus uti posset.
- b. In lege *matrimonii*, quæ extat, Gen. 2. 23. 24. *tum dixit Adam: hæc vice adest os ex ossibus meis, & caro ex carne mea, hæc vocabitur virago, eo quod ex viro desumpta est, idcirco relicturus est vir patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt in carnem unam.* Conf. præceptum Dei, Gen. 1. 28. *fecundificate, & augete, & replete terram.* Ex quo officio omnia œconomica facile derivantur, & gradus amoris ac honoris deducuntur: quid sc. liberi debeant parentibus & contra; quidve conjugati sibi invicem. Ut fundamentum ejus sit, quærere semen Dei, sive crescere & multiplicari in posteris, cum rectitudine natis & ornatis.
- c. In lege *positiva*, seu *prohibitiva*, de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali, Gen. 2. 16, 17. *Interdixit Jehovah Deus homini, dicendo: de fructu quidem omnis arboris hujus horti libere comedes: de fructu vero arboris scientiæ boni & mali, de isto ne comedas: nam quo die comederis*

ris de eo, omnino moriturus es. De quo præcepto notare oportet,

- a. Fuisse illud præceptum *positivum mutabile*; quod proinde abrogari poterat, quodcumque id Deo visum foret, sine ulla abnegatione decentiæ divinæ.
- ß. Fuisse *exploratorium* obedientiæ, legi dominii debitiæ; quod ut bene percipiamus, concipiendum est, supremum universi Dominum à concessio dominio, quasi ex postliminio, arborem hanc exemisse, ut quasi occupata & à rebus communibus separata censeretur; in argumentum, quod Deus per concessum homini dominium se supremo dominio non exuisset, nec potestatem in creaturas abdicasset, sed hominem tantum sub se feudatarium constituisset. Hic legitima fuit exploratio,
  - a. *Pietatis, aut impietatis; prioris*, quando plus Dei quam sui rationem haberet, ejus arbitrio in abstinentia ab arbore persistens: *hujus*, si Deo non auctore contra hanc legem eo fructu uti vellet; in quo factio esset negatio dominii Dei,
    - b: *Temperantiæ*, num se contineret à re occupata, contentus reliquis uti; nulla re volens frui. *Intemperantia* enim est cupiditas sibi aliquam perfectionem acquirendi ex usu creaturæ.
    - c. *Justitiæ*, quando à re quasi occupata homo se contineret, statuens nullo jure ad se pertinere; & contra *Injustitiæ* est, si quis, his non consideratis, occupata ad se raperet.
- bb. *Exactitudinem postulati*, sive obedientiam exactam, quæ stipulatur,
  1. *Perfectionem partium*, consistentem in obedientia circa omnia & singula præcepta legis, *quisquis enim totam legem servat, offendit autem in uno, omnium fiet reus.* Jac. 2. 10.
  2. *Perfectionem graduum*, positam in obedientia omnibus viribus præstanda, ut diligas Dominum Deum tuum, dicit Christus, *ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua,* Matth. 22. 37. *Per-*

3. *Perseverantiam*, seu constantiam, quamdiu tempus explorationis duraret. Ezech. 18. 24. *quum enim avertens se iustus a iustitia sua facit iniquitatem -- hincine viveret? omnia iuste facta ejus, quæ fecerit, non commemorabuntur propter prævaricationem ipsius, quæ prævaricatur, & propter peccatum ipsius, quo peccat; propter hæc morietur.*

Quæ conditiones obedientiæ legalis etiam fundantur in duabus sententiis legalibus, Lev. 18. 5. *Homo, qui fecerit ea, vivet in eis.* Et Deut. 27. 26. *Maledictus, qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea,* Conf. Gal. 3. 10, 12. ubi hæc verba repetuntur.

ββ. *Promissionem*, (quæ constituit alteram partem foederis operum) homini recto quoque propositam fuisse sub nomine *vitæ*, probat *arbor vitæ* in Paradiso, Gen. 2. 9. coll. Apoc. 2. 7. *Vincenti dabo edere ex arbore vitæ, quæ est in medio Paradisi Dei.* Adde Gen. 3. 22.

a. Hanc vitam, cujus spem homini recto concedit foedus operum, respicere vitam in cœlis perfruendam cum transitu ex statu explorationis in statum confirmationis, probamus contra Socinianos,

1. Ex pignoribus vitæ, quæ fuerunt *Paradisus & arbor vitæ*, in medio Paradisi, quorum pignorum analogia nos ducit ad cœlum & vitam cœlestem, ut 2 Cor. 12. 2. *Paulus in tertium cœlum raptus, versu 4. dicitur raptus in Paradisum.* Luc. 23. 43. *Christus latroni vitam æternam in cœlo promittens, dicit hodiè mecum eris in Paradiso.* Adde Apoc. 2. 7.

2. Ex promissione legis, quæ vitam offert æternam, Lev. 18. 5. Ezech. 20. 11. Gal 3. 12. Rom. 7. 10. dicitur *lex ad vitam.* confer. Mat. 19. 16 17. ubi interroganti adolescenti, *quid boni faciam; ut habeam vitam æternam?* respondet Christus: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

3. Ex interpretatione Mosis, Gen. 3. 22. *& dixit Jehovah Deus: Ecce homo factus est ut unus ex nobis, ut cognoscat bonum & malum: nunc igitur, ne extendat manum suam, & capiat etiam de arbore vitæ, & comedat ut vivat* אכל in seculum.

(L 3)

4. Ex

4. Ex restitutione Christi, qui relate ad damnum per Adamum illatum proponitur ut causa vitæ, quæ cum sit vita in cœlis obtinenda, necesse est, ut eadem quoque fuerit vita ante lapsum promissa.
5. Ex opposito mortis comminatæ, quæ cum etiam includat damnationem ad infernum, ejus oppositum debet esse vita omnimoda, periculum moriendi excludens, & summam, seu cœlestem beatitudinem conferens.
- b. Huic vitæ cohæret immortalitas, quæ est beneficium conservationis ex statu amicitie profluens, quo homo rectus immunis constituebatur ab omni moriendi periculo: hæc immortalitas
1. *Relate ad animam*, homini est naturalis, quippe quæ inextremabilis cum sit, dissolvi & occidi non potest, Matth. 10. 28.
  2. *Relate ad totum suppositum*, inferebat quidem posse non mori, licet propter mutabilitatem hominis posset & mori; quippe non moriturus, si perflitisset, & propterea naturaliter perennaturus, quia nulla maledictio aut vanitas rebus supervenisset, confer Job. 5. 6. *non exit à pulvere vanitas, & de tellure non germinat arumna &c.* Sensus est: justum & rectum est, ut stultos occidat ægritudo, miseria enim è terra non nascitur, sed *creatura subjeeta est τῆ μαλακίῃ τῆς ἐξ ἑσῆα, vanitati non volens*, Rom. 8. 20. Deus & illius opera bona sunt, sed quod homo per creaturas noxam & molestiam accipit, id à poena est & hominis execratione; verbo, Eliphaz notat omnem laborem cum dolore, morbos, & mortem esse, ad quæ nascimur damnati in Adamo. Quod etiam contra Socinianos & Pelagianos, mortem esse sequelam naturæ statuentes, defendimus, ac
- a. Probamus sententiam orthodoxam,
- a. Ex ipsa comminatione, Gen. 2. 17. *quo die comederis, morte morieris*, collata cum ejus executione, Gen. 3. 19. *reverteris in humum, unde desumptus es: nam pulvis es, & in pulverem reverteris.*
  - b. Ex hypothesi S. S. statuentis, mortem esse poenam peccati, pro-

propter peccatum introductam: Rom. 5. 12. 14. *sicut per unum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors, & ita ad omnes homines mors transit, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, &c.* hinc Rom. 6. 23. *Mors vocatur stipendium peccati.* Adde 1 Cor. 15. 22, 26.

β. Defendimus contra objectiones ex

i. Gen. 3. 19. *pulvis es, & in pulverem reverteris.*

ii. 1 Cor. 15. 50. *Hoc dico, fratres, carnem & sanguinem non posse regnum Dei hereditare, nec corruptionem incorruptibilitatem.* Adcoque mortem prærequiri, antequam homo possit glorificari & consummari.

iii. Ex naturali constitutione corporis, quod solubile est atque proinde mortale.

γγ. *Vinculum* inter obedientiam & præmium vitæ in promissione foederis operum oblatæ, ita hæc duo inter se connectit, ut

a. Obedientia legalis se ad vitam habeat, ut causa meritoria juris vitæ, adeoque ut *justitia propria*: Phil. 3. 9. *ut justitia ex lege.* Rom. 10. 5. *ac proinde ut justitia ex operibus,* Rom. 9. 30, 32.

b. Et præmium vitæ se habeat ad illam obedientiam, ut merces non ex gratia, sed ex debito, Rom. 4. 4. *ei, qui operatur, merces non imputatur ex gratia, sed ex debito.* Quæ retributio tamen præsupponit non meritum *ex condigno*, nec *ex congruo*, sed *ex pacto*, cum nulla sit proportio æquivalens inter duo illa extrema.

1. *Non ex condigno*, quia natura debitores sumus omnis officii, præcedaneo beneficio obligati, ut Christus Luc. 17. 9, 10. præmissio simili servi concludit: *Ita & vos, quum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutilis sumus: nam, quod debuimus facere, fecimus.* Nec proportio est inter maximum opus obedientiæ & præmium, ut Rom. 8. 18. dicit Apostolus, *reputo, non esse dignas passiones præsentis temporis & gloriam, quæ futurum est ut reveletur in nos.*

2. *Nec ex congruo*, quia Deus non est προσωπολήπτης, qui pro-

propter externa dona unum aliis anteponit, Gal. 2. 6, 7. Job. 34. 19. *qui, sc. Deus, non accipit personam principum, nec recognoscit munificum præ tenui, quia opus manuum ejus sunt omnes ipsi.*

3. *Sed ex pacto*, quia ex liberrima Dei voluntate merces adstituitur operanti, ut debitum hoc solummodo sit ex eo, quod Deus se debitorem constituit juxta datam fidem fœderalem.

22. A PARTE HOMINIS fœdus cum Deo ineuntis, ubi homo considerandus est

222. *Antecedenter* ad fœdus,

A. Respectu virium seu aptitudinis præstandi omnem legis stipulationem, quæ vires indicantur per creationem hominis cum imagine Dei ad similitudinem ejus, Gen. 1. 26, 27. ubi notanda phrasis: *imago Dei ad similitudinem ejus*, id est, imago intercedente quadam similitudine referens Deum. Vox similitudinis latior est, quam imaginis, quippe similitudo intercedere potest, ubi non est imago, ita,

*Simia quam similis, turpissima bestia, nobis.*

Etiam individua ejusdem speciei sibi sunt similia, ut ovum ovo, homo homini: nec tamen alterum alterius imago est, quia alterum alterius *πρωτότυπον* non est: imaginis proprietas est construi, ut alium referat, & ad ejus intuitum idea alterius in mente excitetur, ad quod sufficiunt quædam lineamenta similitudinem referentia.

I. Hæc imago Dei itaque consistit in aptitudine, seu habitudine hominis recti, ad legitime exercendum dominium, homini à Deo concessum, ordinemque omnem Creatoris observandum, quod facile ex ipso Mose elicimus, si *vau* sequens ut consequitivum interpretemur.

222. Hanc aptitudinem consistere in donis mentis, seu cognitione Dei & usus rerum ad gloriam Dei, nec non sanctitate, seu propensione amoris ad ordinem Dei conservandum, & dictamen veritatis sequendum, asserimus contra Socinianos nihil præ-

præter rationem & mentem exigentes; π. ψ. ut corruptio-  
nem humanam negarent, & in homine primo nil ultra agno-  
scerent, quam nuac in quolibet homine inveniamus.

α. Probamus nos sententiam orthodoxam,

a. Ex ipsa relatione imaginis ad dominium; ut homo posset  
dominium ex relatione tueri, hæc dotes requirebantur in  
mente, quibus Deum domini datorem agnosceret, res au-  
tem creatas, ut se inferiores sibi que ad usum subjectas, di-  
gnosceret, referendas ad Summi Numinis gloriam. Dein  
dominium hoc legitime exercere non potuit, nisi vellet  
Deo frui, rebus tantum uti, totumque ordinem divinitus  
constitutum conservare.

b. Ex testimoniis, homini recenter creato bonitatem & recti-  
tudinem adstituentibus, Gen. 1. 31. *Et inspexit Deus, quic-  
quid fecerat, ecce autem bonum erat valde.* Eccles. 7. 29. *hoc  
inveni, quod fecerit Deus hominem W<sup>r</sup> rectum.* h. e. sine  
peccato & prava inclinatione, satisque illuminatum, ad  
unionem ac communionem Dei jam acceptam retinendam,  
ac majorem per fidem & studium, ipso adjuvante, conse-  
quendam.

c. Ex interpretatione Paulina, imaginem hanc in *sapientia &  
sanctitate veritatis* describente, Col. 3. 10. & Eph. 4. 24.  
*homo novus, qui est conditus ἐν δικαιοσύνη & ὁσιότητι τοῦ  
ἀληθείας.*

d. Ex inductione, quæ ostendit similitudinem Dei non inveniri  
in corpore, Act. 17. 29. *progenies Dei quum sumus, non debemus  
existimare auro aut argento, & χαρῆματι τέχνης & ἐνθυμήσεως  
ἀνθρώπου, Numen esse simile.* Nec simpliciter in natura mentis  
cogitantis, quæ & in Diabolo & impiis hominibus reman-  
et, enimvero homo, licet sit in gloria, dum non intelligit, *si-  
milis est pecudibus, quæ extinguuntur,* Ps. 49. 21. adde Ps. 73.  
22. adeoque constitit in iis, in quibus homo sanctus præ-  
stat hominibus impiis & vitiis contaminatis.

β. Defendimus contra Socinianos, in dominio solo imaginem  
constituentes, & præcellentiam illam abnegantes, qui

a. Primum probare conantur, ex Gen. 1. 26. ubi Deus dixit

(M)

fa-



faciamus hominem ad imaginem nostram, secundum similitudinem nostram *וְיִצְרָא אֱלֹהִים בְּצַלְמוֹ*, & dominantur in pisces maris, &c.

b. Alterum ex eo, quod S. S. imaginem Dei adhuc omnibus hominibus adjudicet, Gen. 9. 6. *qui effundit sanguinem hominis, per hominem sanguis illius effundetur, quoniam ad imaginem suam hominem fecit Deus*, & Jac. 3. 9. *per linguam-- maledicimus hominibus, qui ad similitudinem Dei conditi sunt.*

bb. Hanc aptitudinem corrumpunt, qui statum puræ naturæ fingunt, ut Pelagiani, volentes primum hominem nec sapientem nec stultum, nec bonum nec malum fuisse, sed tantum capacem, ut alteruter fiat; quod iterum statuunt, ut hominem creatum ad innocentiam revocent, & nobis recens natis similem constituent, quippe corruptionem naturalem quoque negantes.

a. Refutamus hanc sententiam,

a. Ex absurditate istius status; quum mens concipi non possit nisi cogitans, & inter Deum ac creaturas se convertens, aut ad Deum, aut ad creaturas; quæ prima actio menti simultanea non potest non esse aut bona aut mala.

b. Ex ipsa consideratione

1. Adami, qui in Evæ ortu illico dedit indicia prudentiæ & sanctitatis, quando leges matrimonii ipse noverat colligere. Deinde in impositione nominum creaturarum, dum animalibus imposuit nomina, naturæ eorum convenientia.

2. Evæ, quæ in ipsa tentatione exhibuit specimina cognitionis Dei, nec non legis & conditionis suæ sub lege, Gen. 3. 2, 3.

β. Defendamus contra objectiones,

a. Ex loco Gen. 2. 25. Cap. 3. 11. ubi protoplasti dicuntur *nudi, nec tamen erubuisse, nec id scivisse.*

b. Ex eo, quod passi sunt se decipi per diabolum.

cc. Errant quoque Pontificii, statuentes, justitiam primigeniam non fuisse homini primo naturalem, sed supernaturalem, id est, motus concupiscentiæ fuisse homini recto naturales, sed dona præstantiora ultra naturam fuisse addita ad frenum concupiscentiarum, ne in peccatum facile prorumpat. Π.ψ. est statuere, con-

concupiscentiam refranatam non censerī in numero peccatorum. Reformati contrā naturalem vocant justitiam (seu habitum cuique suum tribuendi) non quod ex essentia & ejus facultatibus fluat, sed quod homo dignum Deo opificium non esset sine illa rectitudine mentis & voluntatis.

- a. Probamus nostram sententiam;
  - a. Ex gloria Creatoris, qui, cum Author sit boni, nisi hominem creasset cum illa cognitione & amore Dei, haud dignum suæ gloriæ fecisset opus, quippe quod non esset ad gloriam ejus.
  - b. Ab amore hominis illi naturali, quippe qui sine amore esse non potest: qui amor si non fuisset tendens ad Deum ut summum suum Bonum, bonum fuisset omnia cætera amare sine Deo; quicquid autem homini naturale est, bonum est, quippe à Deo.
  - c. Ex subjectione naturali, quæ non patitur, ut creatura rationalis Creatori non omnimode subjiciatur.
  - d. Ex eo, quod concupiscentia prava in quocunque homine vitiosa sit & peccatum, ut suo loco probabimus.
- β. Defendimus contra instantiam, quæ urget, sublatā à imagine Dei nihilominus manere humanam naturam, ac proinde imaginem istam ad naturam hominis constituendam nihil facere.

II. Hæc aptitudo virium sufficiebat (mediantibus istis facultatibus & dotibus ad obedientiam) ad jus vitæ ex pacto promovendum: nefas enim est, Deum hominem obligare sub conditione plane impossibili, ad amicitiam suam quærendam.

1. Non tamen necessarium fuit, ut homo possideret vires actu idoneas. Sufficiebat, ut in tali statu constitueretur, in quo ubi opus esset, augmentum virium posset à Deo rogare & impetrare. Poterat etiam quædam ignorare, quæ erant facti; sufficiebat tamen, in casu dubio potuisse judicium suspendere, & penitientem informationem à Deo rogare.
2. Nec necesse erat, ut auxilium gratiæ divini actu concurreret ad confirmationem; qui status cum statu explorationis minis congrueret: debebat enim homo explorandus esse mutabilis, & posse quærere rationes multas, uti fecit. Eccl. 7.

29. *Deus fecit hominem rectum, sed ipsi quaesiverunt rationia multa.*

B. Respectu antecedentæ obligationis tenendum, quod homo rectus, per legem fœderis ad obligationem indebitam vocatus, jam in antecessum (propter naturalem dependentiam à Deo) subesse Deo, ut servus Domino suo, debuerit.

20. *Consequenter* ad fœderis & legis fœderalis propositionem accedebat homo rectus & sufficientibus viribus instructus, ad stipulando, seu conditionem fœderis in se suscipiendo.

α. Factum adstipulationis ante peractæ satis evidenter colligitur ex dictis mulieris, Gen. 3. 3.

β. Qualitas adstipulationis fuit, quod Adamus habuerit rationem capitis & procuratoris humani generis: quâ in parte similis est Christo, Rom. 5. 14. *Adam est typus illius, qui erat venturus.* 1 Cor. 15. 22. unde in Adamo ut capite, Evæ idem præceptum datum fuisse innuitur, Gen. 2. 16. *interdixit Jehovah homini, &c.* sc. Adamo & Evæ, qui erant una caro, vs. 24. Cap. 3. 3. *nam Vir est caput mulieris.* 1 Cor. 11. 3. 1 Tim. 2. 14. qui si perstitisset, integritatem suam, & imaginem Dei una cum posteris propagasset, idque vi benedictionis primævæ, Gen. 1. 28. *crescite & multiplicamini, &c.*

C. SANCTIO FŒDERIS suscipiendi duplex est,

✱. Per *Sacramenta* fœderis hujus, homini in officio constanti omnia fausta obsignantia: huc spectant

α. *Paradisus*, cujus

a. *Locus* in terra Hedemis, seu Mesopotamiæ Australis plaga, arboribus constitus fuit, & irrigatus Edenis fluvio, aquas suas post divisionem, cum quatuor fluviis majoribus communicante, Gen. 2. 8-15.

b. *Ufus* fuit præfigurare tertium cœlum, ut 2 Cor. 12. 2; 4. ubi raptus Pauli in tertium cœlum, vocatur raptus in Paradisum. Luc. 23. 43. *hodie mecum eris in Paradiso.* confer. Apoc. 2. 7. Unde Socinus ipse cogitur fateri Beatorum sedem adumbrasse, ac proinde & significasse. Obsignavit itaque spem vitæ (in Paradiso cœlesti degendæ) quamdiu homo in statu recto perseverabat; non autem jus absolutum, quod nondum possidebat.

β. Ar-

β. *Arbor vitæ:*

- a. Quæ arbor describitur Gen. 2: 9. quod ea etiam, ut reliquæ arbores, fuerit desiderabilis ad aspectum, & bona ad cibum, in medio horti illius. Probabile est, non fuisse unam in individuo arborem, quia alibi repræsentatur ab utraque parte fluminis, Apoc. 22: 2. *in medio plateæ ejus, & ex utraque parte fluminis erat arbor vitæ, &c.* Ezech. 47. 12.
- b. Usus fuit non Physicus ad vitam protrahendam, quia hocce præstaret vel ut alimentum, quod cum reliquis omnibus commune habebat; vel ut medicamentum, cui in statu primævo locus non erat; sed ad obsignandum,
  1. *Filium Dei*, Apoc. 2: 7. *Victori dabo edere ex arbore vitæ, quæ est in medio Paradisi Dei, quæ arbor significat Deum vivificantem, vel certe germen Dei vivificans; h. e. Filium Dei.* Prov. 3. 18. sapientia dicitur *Arbor vitæ, apprehendentibus illam, & qui tenent eam, beatus est prædicandus qui vis.* In Filio Dei enim erat & est *vita*, Joh. 1: 4. Non quidem Filium Dei obsignabat ut Mediatorem: talis enim in solo foedere gratiæ consideratur, sed ut per quem Pater se vellet manifestare, & glorificare in hominibus.
  2. *Vitam æternam* in Filio, ut Remuneratore foederis propositam; Gen. 3: 22. *Ecce homo est ut unus ex nobis, qui unus mihi videtur Filius Dei esse, --- nunc videndum, ne extendens manum suam etiam accipiat de fructu Arboris vitæ, & comedat; ut vivat in æternum.* Prov. 13: 12. *Arbor vitæ desiderium veniens.*
3. Per *comminationem*, quando Deus præcepto exploratorio addidit *comminationem* mortis, transgressori statutæ, Gen: 2: 16, 17. *quo die comederis de eo fructu, morte morieris.* Cujus *comminationis* indaganda,
  - a. *Latitudo*, ita ut mors interminata includat,
    - a. Mortem corporis cum conjunctis ipsi ærumnis, vitæ humanæ damnum inferentibus; ut Gen. 3: 16--19. *ubi dolores partus Evæ, sudor faciei Adamo, & utrique mors sive inbumum reversio*, intentantur,
    - b. Mortem animæ seu separationem à Deo, qua abalienati sunt à vita

(M 3)

à vita

à vita Dei, Eph: 4: 18. qui status vocatur mors in peccatis, Eph: 2: 1.

c. Utriusque aggravationem seu consummationem:

1. Respectu animæ à morte transferendæ in locum cruciatuum, quod patet ex Luc. 16: 23, 24. *dives Epulo in infero no dicitur esse in tormentis, & cruciari in flamma ista.*

2. Respectu corporis resuscitandi, & cum mente reuniendi ad supplicia æterna, Dan. 12: 2. *multi ex dormientibus in pulverulenta terra expergiscuntur, --- ad opprobria & contemptum æternum.*

β. *Aequitas*, derivanda ex justitia Dei vindicativa. Ps. 50: 21. *Hæc fecisti & filii, putasti, quod omnino tui similis extiteris sim. Arguam te, & aciem dirigam contra oculos tuos.* Unde omnis maledictio ut sententia legis, hoc *δυναμιον* postulantis, concipitur in scripturis.

D. STATUS hominis sub primo scedere fuit *felicissimus*, quia

1. Dives fuit donorum Dei; quippe cui omnia vitæ subsidia, nulli vanitati subjecta, ad usum opulenter fuerant concessa.

2. Dominus constitutus fuit supra omnes res creatas, ita ut omnia illi fuerint subjecta, Gen. 1: 28-30.

3. Amicus Dei fuit, quem non solum habuit clementem, & largum benedictionum Datorem, verum etiam familiarem vitæ Ducem, quocum familiariter pluries collocutus est, cum ante creationem mulieris, quando animalibus nomina imponere in signum acquisiti domini ei concessum est; tum post creatam feminam, cum Deus uxorem ad eum adduceret: & forte ita septimum diem transegit Deus cum homine, cum dicatur, Gen. 2: 3. *ipsam diem sanctificasse*, h. e. sanctis operibus transegisse; quod de colloquiis cum protoplastis initis commode accipi potest.

4. Nondum tamen fuit plane justus, h. e. jus vitæ habens, multo minus beatus, sed tantum in via ad justitiam & beatitudinem consequendam.

C A P U T III.

*De Fœderis operum violatione per peccatum.*

Postquam vidimus fœdus operum erectum, sequitur nunc ejusdem *violatio per peccatum*, mediante tentatione facta: ubi considerabimus peccatum in genere, & deinde in specie.

- A. In Genere**, peccatum est *ἀνομία*, sive recessio à canone vitæ, hominem ad omnem obedientiam obligante, cujus interventu non solum reatum & maculam contrahit peccator, sed & pœnam, quam, nisi gratia intercedat, certo exspectandam habet:
- β. Variis nominibus** peccatum aggravatur in S. S., vocatur enim,
- a. **אָמִיצָה** *ἀμαρτία*, propter aberrationem à scopo, quæ oblivionem aut contemptum finis includit, & exitum habet perditionem æternam.
  - β. **עֲוֹנוֹת** *ἁμαρτία*, quatenus homo habet relationem ad Deum, tanquam Dominum & Imperatorem, quem abnegat, cujusque legem excutit.
  - γ. **מִצְוָה** *adversaria*, quando ad Deum refertur ut exemplar suum, à quo cum recedit, deturpatur, & rectitudinem amittit.
  - δ. **בַּיִת**, *perfidia*, ex relatione ad fœdus, ad stipulationem susceptum, dum fidem frangit.
  - ε. **מִרְדָּה** & **מִרְדָּה**, *rebellio*, in quantum includit inimicitiam adversus Deum, cujus ordinem & virtutem impugnat.
  - ζ. **עֲוֹנוֹת**, *prevaricatio*, quatenus hæc omnia hypocrisis sunt conjuncta, ut non velit videri peccator, qualis est.
- 2. Natura peccati**, ubi cavendum serio, ne putemus peccatum esse substantiam, aut aliquod positivum, aut etiam mere negativum: sed esse *privativum*, sive absentiam ejus, quod adesse debebat, dicimus: unde *ἀνομία* eleganter vocatur, 1 Joh. 3: 4.
- 3. Discrimen** ponitur in eo, quod alia peccata dicuntur,
- a. **Commissionis**, quando privatio adhæret actioni, quæ aliter fieri debebat; Jac. 4. 17. *qui noverit recte facere, nec facit, ἀνομία ἀντὶ ἐστίν*. Cujus respectu aliud est peccatum cordis.

dis, ut Matth. 5: 21. *quicumque aspicit mulierem, ut concupiscat eam, jam adulteravit eam in corde suo.* Adde Matth. 15: 19. *aliud oris; ut Matth. 12: 36. pro quovis verbo otioso reddet homo rationem in die judicii.* Aliud est peccatum operis, qualia opera describuntur, Gal. 5: 19-21. & alibi.

β. *Omissionis*, quando privatio adhæret potentia, quæ non agit, cum agere deberet, hinc Matth. 25: 42. *condemnantur impii etiam ob omissionem boni, Esurivi, & non dedistis mihi edere, sitivi, & non dedistis mihi potum, &c.*

B. *In specie peccatum est primum vel ortum.*

α. PRIMUM PECCATUM est opus inobedientia primorum parentum, qui astutiâ Satanæ tentati, contra ac præceptum fuerat, fecerunt, cum ederunt de arbore cognitionis Boni & Mali, atque eopse fœdus primum violarunt. Hic considerare oportet,

aa. *Occasionem seu tentationem*, cujus causa Diabolus sub involucro serpentis latitabat.

a. Diaboli hanc artem fuisse patet,

1. Quia falsa per serpentem loqui præter spiritum malum nihil potuit, unde *mendax ab initio* dicitur, Joh. 8. 44.
2. Quia fraudem serpentis Paulus applicat diabolo. 2 Cor 11. 13. col. vs. 14. *Ejusmodi pseudapostoli, operarii dolosi, transformati sunt in Apostolos Christi, neque id mirum, Ipse enim Satanas transformatur in Angelum lucis, sc. id in Satanæ technis semper observari potest.* Primam matrem adiit tanquam legatus Dei, & tanquam Angelus, qui in veritate stabat; qui faciem Dei videt, qui à Deo sanctificatus est ad ministeria ipsius; qui in cœlesti beatitudine versatur.
3. Quia inde Satanas nomine serpentis insignitur; Apoc: 12. 9. *Et projectus est draco ille magnus, serpens ille antiquus; qui vocatur Diabolus & Satanas, qui seducit &c.* Adde Apoc. 20: 2.

b. Ejus fraus & astus notari debet:

1. In consilio induendi serpentem, quippe animal homini recto non ingratum; & ab astutiâ commendatum, Gen. 3. 1. *serpens erat astutus præ quavis bestia agri, &c.* & Christus dicit:

dicit: *Esote prudentes ut serpentes*, Matth. 10: 15. præsertim cum non sine spe miraculi inde sermo exire posset.

2. In transformatione sui in Angelum lucis, cum velit videri agere Dei nomine, eumque alleget dictorum testem, Gen. 3. 5. *novit Deus, quo die &c.* quasi Evæ nil nisi mentem Dei aperiret circa medium facillimum, velut comparatum ad maximum hominis bonum.
3. In causæ involutione: volens enim homini persuadere, præceptum explorativum (quum sit positivum & suâ naturâ mutabile) Deo revocante non amplius obligare, simul credi voluit ita mortis periculum abiisse, & facultatem comedendi illis restitutam fuisse, imo commendari, quasi nunc cum ejusefu Deus conjunctam voluerit intellectus novam illuminationem, seu amplificationem, quo Deus magis similibus evadat.

ββ. *Lapsus ipsum* seu ἀποσασίαν relate

a. Ad transgredientes, ubi

1. Mulier prior fuit in transgressione, Gen. 3. 6. *de illo fructu edit, & dedit etiam viro suo.* 1 Tim. 2. 14. *mulier fuit seducta, & causa transgressionis facta.*
2. Adam, Gen. 3. 6. *etiam Adam comedit.* Rom. 5. 12. *per unum hominem peccatum in mundum introiit.*

b. Ad progressum peccati: peccatum enim hoc primum concipi debet ut συμπλοκή variorum actuum vitiosorum, uti quod præcessit tepor in precibus, secuta non est suspensio iudicii, sed festinatio mentis ad statuendum aliquid in re dubia; quibus præmissis subnascebatur concupiscentia, quæ peccatum concepit & peperit.

c. Respectu gravitatis; licet enim in re leviuscula videantur peccare, non tamen inde elevatur, sed aggravatur reatus, si consideremus, homines maximâ rerum copiâ abundasse, & dominium Dei abnegasse (quippe quo inconsulto rem Dei attingere non licuit) ab usu vero creaturarum nimia expectasse, quæ à solo Deo expectanda erant. Adde, id fecisse homines maximis dotibus instructos, & vix è manibus Creatoris egressos.

e. Relate ad providentiam Dei, qui homini nullas vires sub-

(N)

tra-



traxit ante peccatum. Aliàs enim jam ante peccatum homopœnas dedisset: sed inter peccandum, cum jam se à Deo averterent protoplastæ, ut justus judex eos tradidit in manum consilii ipsorum, lapsumque ita permisit, ut Deo ab iis recedente tenebræ in locum lucis juste successerint.

γγ. *Sequelas peccati*, quæ in primo homine fuerunt

- a. Amissio rectitudinis, ut illico *in intellectu* conspicua fuerit *aversionis*, non attendens ad Deum ejusque proprietates, hinc (Gen. 3. 8.) auditâ voce Dei hortum pervadentis, (sive sono velut strepitu advenientis Dei, qui in horto velut domicilio suo ambularet) timebant Adam & Eva, quum & gaudere debuissent, quod Deus Paradisum elegisset, in quo homo quasi apud ipsum & cum ipso habitaret, tanquam in domo ipsius, in atris ipsius, sub oculis ipsius, ubi אֱלֹהִים, Job. 29. 4. *commercium Dei* futurum erat. *In voluntate* fuit studium occultandi peccatum & excusandi, Gen. 3. 7. *estimavi*, inquit Adam, *eo quod nudus sim, & abscondi me*. Imo v. 12, 13. Adam culpam rejicit in Evam, indirecte in Deum, Eva vero in serpentem. *In affectibus* fuerunt motus irregulares concupiscentiæ, quos extinguere cum non possent, obvelare conabantur, *dum consutis foliis ficulneis fecerunt sibi subligacula*, Gen. 3. 7.
- b. Conscientia reatus contracti, cujus testis erat fuga, ut non confisteret coram facie Jehovæ, quem judicem horrebat, sic Gen. 3. 8. *ab ejus facie inter arbores se abscondit*.
- c. Mala præliminaria, & maledictio, terræ & operibus humanis incumbens; Gen. 3. 16, 19.
- d. Deplorata spes sanctificationis aut glorificationis ex fœdere operum, indicata per ejectionem πρωτοπλαστων ex Paradiso, perque viam reditus munitam custode Cherubino, gladium ignivomum vibrante, & regressum ad arborem vitæ prohibente; Gen. 3. 23. 24. quo factò homines erudire voluit Deus de ratione fœderis jam mutata, atque monere, fœderis operum per peccatum transgressi viam inviam factam, adeo ut, qui per eam convenire Deum cuperet, in gladium vindictæ incideret, qui que propriam sibi erigere justitiam ex eo fœdere con-

con-

Cap. III. VIOLATIONE PAR PECCATUM. 99

conaretur, adeoque jus sibi vindicare de arbore vitæ comedendi, ille hoc symbolo moneatur, se vitam æternam non inventurum, sed ei rem fore cum Deo tanquam igne confumente.

2. PECCATUM ORTUM involvit omnem statum miserix, ex primo peccato in omnes humani generis posteros derivatæ; ubi concipimus,

I. *Peccatum in se*, quod relate ad posteros dividitur in originale & actuale,

NN. PECCATUM ORIGINALE est vitiositas, posteris à reatu imputato ab origine insita, quâ tum propter justitiæ originalis carentiam, tum propter pronitatem ad malum omnis posteritas legi Dei difformis est. Considerari itaque debet,

I. *Secundum reatus imputationem*, quatenus censentur posteri in Adamo, ut Capite, vi fœderis contineri, ita ut jure, imagine Dei destituti, filii iræ nascantur & censeantur: quam imputationem probamus contra Remonstrantes & reliquos Pelagianos, puræ naturæ defensores. Π.Ψ. ut vires liberi arbitrii tueantur.

a. Argumentamur itaque,

a. Ex loco expresso, Rom. 5. 12. *propterea sicut per unum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors, & ita in omnes homines mors transit*, ἡφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, in quo omnes peccarunt.

b. Ex involutione poenarum; nulla enim poenarum Adamo denunciata est, cui non & omnes posteri sint subjecti, ut est terra maledicta, esus cibi in sudore vultus, reversio in humum s. mors, ejectio ex Paradiso, &c. Gen. 3. 17, 18, 19, 23, 24. Rom. 5. 14. *Mors*. Ephes. 2, 3. *natura filii iræ*. Nulla autem poena sine antecedente reatu justa dici potest.

c. Ex collatione justificationis per imputationem cum judicio ex Adami peccato derivato, Rom. 5. 14, 16, 18. *nempe sicut per unum lapsum in omnes homines ad condemnationem, ita per unum justitiæ meritum (ceu causam) in omnes homines in justificationem vitæ res processit*.

β. Vendicamus contra objectiones desumptas,

(N 2)

a. Ex

- a. Ex locis, Ezech. 18. 20. *anima quæ peccat, morietur; filius non feret de pravitate patris, &c.* Gal. 6. 5. *quivis proprium suum onus portabit.*
- b. Ex ratione, quod posteris non possit imputari peccatum, quod ne ipsi quidem Adamo imputatum fuit: nec Deum punire justum cum injusto: nec actus unius possit dici actus univerforum
2. *Secundum maculam* posteris adhærentem, seu vitiositatem propagatam; asserimus,
- A. *Vitiositatem* adhærerere posteris;
- aa. *Ab ipsa origine*, mediante nativitate, quod etiam contra Pelagianos urgemus, vitiositatem à studio imitandi derivantes. Π. ψ. ut iterum puram naturam defendant.
- α. Probamus sententiam orthodoxam,
1. Ex disertis S. S. locis: Ps. 51. 7. *ecce in iniquitate genitus sum, & in peccato יחמתני* concepit me mater mea. Gen. 8. 21. *יצר הלב רע מעריו* figmentum cordis hominis est malum ab infantia ejus. Job. 14. 5. Joh. 3. 6. *quod genitum est ex carne, caro est, &c.*
2. Ex universali corruptione, postea probanda, & ipsâ experientia satis confirmata.
- β. Defendimus contra objectiones:
1. Ex S. Scripturis, infantium innocentiam asserentibus: Ps. 106. 38. *& fuderunt sanguinem innoxium, sanguinum filiorum suorum & filiarum suarum.* Jon. 4. 11. dicit Deus Jonæ: *An ego non parcerem Ninive civitati maximæ, in qua plures duodecim myriadibus hominum, qui non norunt discrimen inter dextram suam & sinistram suam? Et cæci impeccantiam, Joh. 9. 3. neque iste sc. cæcus peccavit, neque parentes ejus.*
2. Ex ratione, quia vitiositas debebat propagari vel per animam, vel per corpus; non animam, quæ à Deo creatur; nec per corpus, quod materiale est, & vitiositatis non capax.
- bb. *Universaliter*, nemine nisi solo Christo excepto, Job. 14. 5. *quis dabit mundum ex immundo? לא אחד, ne unus quidem.* Joh. 3. 6. Rom. 3. 9, 10. *Judæi & Græci omnes sunt sub peccato, sicut scriptum est: Non est justus, ne unus quidem.* Ita ut Pontificii frustra Mariam excipiant, quæ ipsa in Deum Servatorem speravit.

Cap. III. VIOLATIONE PER PECCATUM. 101

ravit. Luc. 1. 47. Sacrificia purificationis obtulit, cap. 2. 22. 24. quod sine peccati confessione nefas erat. Imo quæ & à Christo sæpius reprehensa fuit. Christus autem excipitur, quia non secundum legem naturæ genitus est, & alterius fœderis caput est constitutum.

cc. *Latissime se extendens ad omnes partes & facultates: quod patet*

a. Quia vitiositas ita extenditur in S. S. Jer. 17. 9. *cor hominis est fraudulentum præ omni re, & incurabiliter ægrum. Quis cognoscit illud?* Rom. 3. 13-18. *sepulchrum apertum guttur eorum, linguis suis ad dolum usi sunt, venenum aspidum sub labiis eorum, &c.* Tit. 1. 15.

b. Quia omnes partes & facultates, juxta hypothefin S. Script. regeneratione opus habent. Eph. 4. 23, 24. *edocti estis--- veterem hominem deponere: renovari vero Spiritu mentis vestræ, & induere novum illum hominem, qui secundum Deum conditus est ad justitiam & sanctimoniam veritatis.* Col. 3. 10. 1 Theff. 5. 23. *toti debemus sanctificari--- Spiritus, anima, & corpus.*

B. *Vitiositatem consistere,*

a. *In carentia justitiæ originalis, seu ineptitudine ad verum & spirituale bonum præstandum: quod ut probe intelligamus, verum & spirituale bonum appellamus, non quod materialiter solum legi convenit, sed & formaliter, ita ut fiat ex legitimo scopo & justo modo. Quod, contra Remonstr. & Pelagianos liberi arbitrii vires propugnantes, iterum asserimus.*

aa. *Argumentamur nos,*

1. Ex locis diferte id asserentibus, Rom. 8. 7. τὸ φρόνημα τῆ σαρκός, *studium carnis est inimicitia adversus Deum: rationes addit Paulus, 1. nam legi Dei non subjicitur, non capit ea quæ sunt Spiritus Dei, sunt enim ei stultitia, nec convertitur ad Deum ut in præceptis ejus ambulet. 2. nam ne potest quidem, ne cognoscere quidem potest, neque quidem idonei sumus ex nobis ipsis ad cogitandum quicquam sc. boni. Caro serva est, & quæ lex Dei dicit, sunt adversa peccatori, & concupiscentiis ejus; non potest igitur non rebellare. Prius actuale est, posterius habituale & naturale malum est. Hinc etiam Christus dicit: absque me nihil potestis facere.* Joh. 15. 5.

(N 3)

2. Ex

2. Ex necessitate regenerationis, quam S. S. requirit, quæque probanda erit suo loco. Conf. 1 Cor. 2. 14. 2 Cor. 3. 5.
- β. Defendimus contra objectiones, desumptas ex locis, Deut. 30. 15. 31. 29. Gen. 4. 7. Luc. 6. 32, 33. Rom. 2. 14. 15. 1 Cor. 7. 37. in quibus aut optio agendi, quod bonum est, conceditur hominibus; aut impii & gentiles dicuntur bona patrassè, legemque observassè.
- b. In *proinitate ad malum*, quæ collocatur in concupiscentia prava: quam licet admittant Adversarii, nihilominus negant aut peccatum esse, aut hominem ita vitare, ut illum necessario peccatorem constituat.
- aa. Concupiscentiam homini congenitam peccatum esse,
- a. Probamus nos,
- a. Ex loco expresso, ubi vitiositas originalis sub titulo *Concupiscentiæ*, peccati nomine insignitur, Rom. 7. 8, 9, 11, 13, 17, 20.
- b. Ex eo, quod definitio peccati ei competat, quæ est difformitas & recessio à lege, Rom. 7. 23. *video aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captivum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis.*
- c. Quia malus fructus non est nisi ex mala arbore; cum itaque concupiscentia sit causa peccati, non potest non concipi ut mala & sanctitati opposita.
- β. Defendimus contra objectiones,
- a. Ex loco Jac. 1. 15. *postquam cupiditas concepit, parit peccatum, &c.*
- b. Ex eo, quod homini sit naturalis.
- bb. Concupiscentia efficit, ut nisi homo regeneretur, nihil facere possit, quam peccare: hoc S. S. appellat *servitutem peccati*, atque id,
- a. Probamus,
- a. Ex locis disertis; Gen. 6. 5. *vidit Jehovah, --- omne figmentum, ac cogitationes cordis hominis, tantummodo malum esse omni tempore.* Cap. 8, 21. *quemadmodum putris arbor non potest bonos ferre fructus*, Matt. 7. 18. *sic nec homines, edobti malum facere*, Jer. 13. 23.
- b. Ex servitute peccati in S. S. asserti Joh. 8. 34. *quisquis peccatum*

*tum facit, servus est peccati. 2. Pet. 2. 19. servi sunt corruptionis, siquidem à quo quis superatus est, huic etiam in servitutem est additus.*

- c. Ex morte peccati, Eph. 2. 1, 5.
- β. Defendimus contra objectiones,
  - a. Quod ita Deus frustra officium imperet.
  - b. Quod ad impossibile adstringat, idque injustum sit.
  - c. Quod in S. S. *ægri, saucii & dormientes* vocentur, quæ quidem debilitatem virium non impotentiam inferunt.
- ββ. PECCATUM ACTUALE est *ἀνομία*, pietatem in actionibus lege Dei requisitam lædens, & ut fructus ex peccato originali inseparabiliter pullulans. Dicimus autem pietatem lædi, non quasi peccata non committantur adversus proximum, sed quod primo committantur adversus Deum; omnisque obligationis violatio proprie in Deum peccet: Pl. 51. 6. *contra te solum peccavi*, dicit David Deo suo, quum etiam contra Bathsebam & Uriam peccasset. Hoc peccatum varie dividitur:
  - 1. *Ex consideratione causæ*; in peccatum
    - a. *Ex infirmitate*, quod locum habet in rege[n]itis, peccato resistere conantibus, licet in fine succumbant; ubi per infirmitatem non intelligimus impotentiam naturæ, quæ per vitiositatem naturæ in omnibus manifestatur, sed debilitatem roboris ob sanctificationem imperfectam, quo minus ad resistendum se opponere valent, 1 Reg. 13. 9-11, 17-20. Rom. 7. 8, 19. *non enim facio bonum, quod volo; sed malum, quod nolo, hoc ago.* adde vers. 23.
    - b. *Ex malitia*, quando quis dedita opera peccat, & pleno impetu ad flagitia proruit, quale peccatum iterum concipitur;
      - a. Velut *simpliciter malum*, & ex malitia ortum, dum perpetratur contra conscientiam obligationis, Pl. 94. 3, 4 Eph. 4. 19. dicuntur Gentes *dedoluisse, & semet ipsas dedisse protervie, ad certam patranda[m] omnem impuritatem.* Tales dicuntur *κακαυτηρασμίνοι τῆν ἰδίαν συνέδνοι*, 1 Tim. 4. 2. *habentes conscientiam cauterio adustam*, quod fit, quando homo se ita induravit, ut non utatur lumine conscientiæ, sed omnibus modis quasi cauterio conscientiam exurat, quem-

admodum quis gangrænam, vel aliud malum pestilens ex corpore suo exurit.

- β. Vel ut *atrox*, quod vocatur *peccatum in Spir. Sanct.* seu *blasphemia in Spir. S.*; non quod solummodo hic Majestas Sp. S. lædatur, cum contra universam Deitatem committatur; sed quod S. Spiritus opus œconomicum, quod est illuminatio Evangelii, cum summa atrocitate vilipendatur. Mat. 12. 31, 32. Marc. 3. 28, 29. Luc. 12. 20. *quisquis dicet quispian in Filium hominis, ei remittetur: Ei vero, qui in S. Spiritum blasphemarit, non remittetur.* Unde ad hoc peccatum requirunt Theologi abnegationem veritatis cognitæ & approbatæ, intercedente illuminatione quæpiam Spiritus Evangelium manifestantis, ita ut non proficiscatur illa abnegatio ex infirmitate aut periculi metu, (hoc enim in Petro etiam locum habuit) sed ex præfracto veritatis odio, cum blasphemia & persecutione veritatis, Evangelio resistente; *qua semel illuminati, qui gustaverunt donum illud cœleste, & participes facti sunt S. Spiritus, & bonum gustaverunt Dei verbum, ac virtutes futuri seculi, Heb. 6. 4, 5. hinc ibidem dicuntur non posse renovari ad respicientiam.* Et Heb. 10. 26. *voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, non amplius pro peccato relinquitur hostia.*
1. *Ex consideratione adjunctorum*, ut dicatur commissum,
- α. Vel *ignoranter*. Non dicimus ex ignorantia, ita enim posset pertinere ad peccatum ex infirmitate, sed ignoranter, ita ut ignorantia sit vel *Facti*, cum quis nescit, se factum tale peccaminosum committere, licet quoad jus sciat illicitum esse; ut patet exemplo Lothi, qui dicitur *nescivisse, dum cubarent filia suæ, aut dum exsurgerent*, Gen. 19. 33, 35. vel *Juris* cum factum, quod committit, nescit vitiosum esse & legi contrarium; ut 1 Tim. 1. 13. ipse Paulus dicit: *prius eram blasphemus, & persecutor & injuriosus, sed mei misertus est Deus: nam ignorans id feci in animis in infidelitate.* Confer Act. 26. 9, 10.
- β. Vel *scienter*, cum quis id perpetrat, quod in antecessum novit illicitum esse, Luc. 12. 47. *ille servus, qui novit voluntatem*

*tem Domini sui, nec se preparans, nec faciens ad voluntatem ejus, multis cædetur.* Licet autem hæc ultima species peccati gravior sit priori, nihilominus & prior à reatu excusari, aut ut actus mere involuntarius concipi non potest, quia ibi est ignorantia pravæ dispositionis; ita ut voluntas applicandi mentem ad *vōnōiv* suo officio desit.

3. Rejicimus autem divisionem peccatorum actualium, quam Pontif. inculcant, quando ea dividunt in *remissibilia* & *irremissibila*, seu *venitalia* & *mortalia*; volentes esse peccatum, quod suâ naturâ mortem non promeretur Π. ψ. ut ita consulant suo purgatorio, & operibus pœnitentialibus, quæ satisfactoria volunt.

α. Probamus sententiam orthodoxam,

a. Ex eo, quod *stipendium peccati dicatur mors*, Rom. 6: 23. Job. 24. 19. *ut siccitas & æstus abripiunt aquas nivales, ita infernus abripit eos, qui peccarunt.*

b. Quod omne peccatum est violatio legis, quæ transgressorem reum facit maledictionis legis, *quotquot enim ex operibus legis sunt, sub maledictione sunt*, Gal. 3. 10. Adde Jac. 2. 10.

c. Quia in ultimo judicio damnatio etiam fiet secundum minima peccata, Matth. 5. 19. *quisquis solverit unum ex mandatis his minimis--- minimus vocabitur in regno cælorum.* Et cap. 12. 36. *quodcumque verbum otiosum locuti fuerint homines, de eo reddent rationem in die judicii.*

β. Defendimus adversus objectiones;

a. Quod S. S. distinguat inter peccatum *ad mortem*, & *non ad mortem*; 1 Joh. 5: 16.

b. Quod statuat peccata cum salute non dissona, 1 Cor. 3. 15. *si cujus opus exustum fuerit, damnum faciet; ipse vero servabitur; ita tamen ut per ignem.*

c. Quod statuat esse peccata minori judicio punienda; Mat. 5. 22. *ego dico vobis; quicumque irascitur fratri suo temere: tenebitur judicio; quicumque vero dixerit fratri suo; Raka: tenebitur confessu, quisquis autem dixerit, fatue; tenebitur gebennâ ignis.*

d. Quod peccata quædam statuat minima, quibus peccator sit

(O)

sol-



solvendo, ut Luc. 6. 41. peccatum aliud vocetur *festuca*, aliud *trabs*: conf. Matt. 23. 24. & adde Luc. 12. 59. *dico tibi, non exhibis illinc, usque quo ultimum etiam minutum reddideris.*

II. *Relate ad consequentias seu fructus peccati, qui sunt triplices:*

a. **REATUS**, qui aliter concipitur à Jurisconsultis, aliter apud Theologos. Sub reatu Jurisconsultis dicitur esse quicumque est sub accusatione antecedenter ad justificationem, jurene, an injuria? non curant. Theologis autem est obligatio ad pœnam ex peccato nata; qua quis dicitur **ὄν** Lev. 5: 2-5. in N. T. ὄφ' ἁμαρτιαν εἶναι, *sub peccato esse*, Rom. 3. 9. & ὑπίδικον γίνεσθαι τῷ Θεῷ *obnoxium fieri Deo*, Rom. 3. 19. Distinguitur autem in reatum,

1. *Potentialem*, quatenus dicit demeritum pœnæ, & peccatum suâ naturâ pœnam flagitat; hic autem reatus est inseparabilis à peccato. Rom. 1: 32. *jus Dei scientes, quod, qui talia faciunt, digni sint morte.*

2. *Actualem*, qui est actualis ordinatio ad pœnam, & à peccato separabilis est per misericordiam Dei, ut locus detur remissioni peccatorum. Pontificii male distinguunt inter reatum *culpæ* & *pœnæ*, urgentes, reatum culpæ auferri posse, non ablato reatu pœnæ, Π. ψ. ut doctrinam de Purgatorio & Satisfactionibus pœnalibus cum doctrina de satisfactione Christi concilient. Verum hæc distinctio tollenda est:

i. Quia infanti pœna juste infligi non potest; ast qui liber est à reatu culpæ, infans est.

ii. Quia lex pœnam comminatur transgressori ob culpam, sublata autem causâ tollitur effectum; nec juvat eorum causam, quod justificati affligantur quibusdam castigationibus: illæ enim rationem pœnæ non habent.

b. **MACULA**, quæ est pollutio spiritualis, peccatorem deformans, & coram Deo abominabilem faciens, hominique, sibi ejus conscio, pudorem inferens.

1. Hæc vitiositas est ipsa enormitas naturæ, facultates mentis corrumpens, & magis magisque impotes reddens ad officium præstandum: de quâ impotentiam jam ante vidimus. Sub ratione formali commaculationis & inquinamenti occurrit,

currit, Matth. 15. 11. quod *polluat hominem*. 2 Cor. 7. 1. vocatur *inquinamentum carnis ac Spiritus*. Adde Apoc. 22. 11. Tit. 1. 15.

2. Abominatio Dei, ab illa difformitate recedens, ut cum ea conjungi non possit, notatur, Hab. 1. 13. Prov. 3. 32. *abominatio Jehovæ est refractarius. Nam quod consortium justitiæ cum injustitia? & quæ communicio luci cum tenebris? quæ concordia Christo cum Belial? &c.* 2 Cor. 6. 14, 15.
  3. Conscientia pudoris & metus notatur, Rom. 6. 21. *quem fructum habebatis tunc, de quibus nunc erubescitis?*
- c. P O E N A est tertius peccati effectus, reatum actualem consequens, estque malum molestum, quod homini propter demeritum peccati à Deo ex justitia infligitur.
1. Ad naturam pœnæ requiritur, ut malum molestum non simpliciter consideretur ut privatio boni, sed ut nascatur ex demerito peccati: utque secundum exactiorem legis, juxta demeritum peccati punire postulantis, infligatur. Ita enim distinguimus pœnam à castigationibus, quæ licet hominem bono jucundo privent, nihilominus ex longe alia ratione oriuntur; tendunt enim in bonum hominis sic constituti, ut hac medicina corrigatur & restituatur: ut proinde ibi non consideretur justitia Dei, sed potius providentia ejus œconomica, qua servato rerum ordine ea methodo gradatim restituere, & electos consummare vult, quæ naturæ institutæ convenientissima est; potest enim hoc salvâ suâ justitiâ.
  2. Pœna vulgo distingui solet in pœnam *damni*, & pœnam *sensus*, ad distinctam relationem retinendam; ut pœna *damni* dicatur privatio bonorum, pœna *sensus* illatio malorum, quatenus molestum sensum inferunt. Cavendum tamen, ut divisio fiat, quemadmodum Remonstrantes volunt & Pontificii, pœnam *damni* sine pœna *sensus* statuentes; quasi mens, privationum suarum sibi conscia, illam conscientiam sine molestia ferre possit. Jam vero S. S. pœnam constituit in morsu conscientiæ rodentis; atque ex hac consideratione sensum molestum exaggerat.
  3. Modus pœnarum differt pro magnitudine demeriti peccati;

unde alii aliis gravius puniendi. Luc. 12. 47, 48. *servus sciens voluntatem Domini, nec secundum eam faciens, cadetur multis, qui vero non novit, & fecit digna plagis, cadetur paucis, &c.* Matth. 11: 22. *Tyri & Sydonis conditio erit tolerabilior in die judicii quam eorum, qui ad editas virtutes non respiciunt &c.* Adde Matth. 11: 24. Cap. 5. 22. Rom. 2. 5, 6.

4. Mala infligenda quoque multa sunt :

- i. *Alia hujus vitæ*, quorsum respiciunt,
  - a. Omnia infortunia humano generi immissa, Gen. 3. & alibi recensita.
  - b. Privatio boni honesti, secundum quam Deus dicitur peccatum peccatis punire, quod fieri probamus contra Socinianos & Remonstrantes, perperam metuentes, sic Deum fieri authorem peccati.
- æ. Probamus hanc sententiam.
  1. Ex phrasi traditionis improborum in manum proprii consilii, & in cupiditates suas, Ps. 81. 13. *permisi eum, sc. Israëlem, in obfirmatione cordis sui, abeant in consiliis suis.* Rom. 1. 24. *tradidit Deus gentiles cupiditatibus cordium ipsorum ad impuritatem &c.*
  2. Ex phrasi indurationis, & immissionis efficacis erroris, Joh. 12. 40. *excæcavit oculos eorum, & obduravit corda eorum, ne videant oculis, & intelligant corde, & convertantur.* 2 Thess. 2. 11, 12. dicitur Deus, *mittere ενέργειαν πλάνης, efficaciam deceptionis, ut credant mendacio, &c.*
  3. Ex asserta providentia directrice, ut homines ob priora delicta in nova incidant; quod patet exemplo Davidis, cui Deus sic minatus fuit: *Ecce ego suscitabo contra te malum è domo tua, & accipiens uxores tuas ante oculos tradam proximo tuo, qui cubabit cum uxoribus tuis coram isto sole,* 2 Sam. 12. 11. 2. Sam. 17. 14. Ps. 105. 25.
8. Defendimus adversus objectiones,
  1. Quod Deus sit author poenæ, non peccati.
  2. Quod poena sit passio involuntaria, peccatum actio voluntaria.
- ii. *Alia vite future*, cujus est poena infernalis & æterna.
  - æ. Inferni

- a. Inferni & abyssi hic fit mentio, ut loci maximorum cruciatuum domicilio Dei oppositi, Luc. 16. 23. vocatur *αδύη*, ubi tormenta. cap. 8. 31. *abyssus*, ubi sunt *daemonia*. Marc. 9. 44-48. *gehenna*, ubi ignis inextinguibilis. Apoc. 21. 8. Matt. 25. 41.
- b. Æternitas, quæ in controversiam vocatur à Socinianis, statuentibus, homines morti traditos interire; omnemque rationem pœnalem constituunt in transitione ad statum *non-existentiæ*.
- a. Probamus sententiam orthodoxam,
  - 1. Ex locis æternam illam pœnam evidenter asserentibus, Dan. 12. 2. vocatur *opprobria* & *contemptus æternus*. Mat. 25. 46. *supplicium æternum*.
  - 2. Ex eo, quod *vermis*, id est, conscientia, dicatur, *non mori*, Marc. 9. 43, 44. confer Matth. 13. 42. Cap. 22. 13. *fornax ignis*, ubi *fletus* & *stridor dentium*.
  - 3. Ex hypothesi immortalitatis animæ.
- β. Defendimus contra objectiones:
  - 1. Quod mors & interitus vocitetur ille status & perditio in *gehenna*, Matth. 7. 13. 10. 28. *timete vobis ab eo, qui animam & corpus potest ἀπολέσαι perdere in gehenna*.
  - 2. Quod mors & infernus conjiciuntur in *stagnum ignis*, Apoc. 20. 14.
  - 3. Quod nulla sit proportio inter fruitionem concupiscentiarum momentaneam, & pœnam æternam, ac proinde in eo nulla sit justitia.
  - 4. Quod immortalitas & *ἀθανασία* sit beneficium gratiæ.

## C A P U T IV.

### De Fœdere Gratiæ.

Postquam enervatum est fœdus operum, promissio ejus homini quidem facta erat inutilis, ita ut ex lege nulla spes sanctificationis superesset; nihilominus ejus pertractatio non erat inutilis,

(O 3) lis,

lis, sed necessaria, ad commonefactionem, ne quis tentaret per idem foedus redire ad Deum, sed aliundè restitutionem spei expectaret, ut hic prærequiratur abnegatio propriæ justitiæ, à quo via ad Paradisum & ad arborem vitæ occlusa fuit. Hinc deliberandum de alia salutis via, rationi quidem incognita, ex consilio Dei tamen manifestata; quæ, quia gratiæ divinæ originem debet, Fœderi gratiæ quoque originem præbet. Est autem FOEDUS GRATIÆ Pactum Dei misericordis cum homine peccatore sed electo, in quo Deus justitiam & vitam sponse Christo impetratam aut impetrandam in communionem Filii offert, sub stipulatione respiscentiæ & fidei. Cui quando peccator sincere adstipulatur respiscendo, & in Filium sincere credendo, accipit jus restipulandi omnia dona salutaria & salutem ipsam, etiam variis ἐπερωτήμασι obsignatam.

A. A PARTE DEI hic considerare oportet,

NN. PROMISSIONEM, quæ offert justitiam & salutem.

a. *Justitia* oblata concipitur ut jus vitæ, atque donum homini aliunde adferendum; quemadmodum, Rom. 5. 16. vocatur χάρισμα ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων εἰς δικαίωμα, *donum ex multis lapsibus in justitiæ causam.* 5. 17. vocatur περισσεια τῆς χάριτος ἢ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης, *abundantia gratiæ & donationis justitiæ.* 5. 18, 19. εἰς δικαίωσιν ζωῆς, *in justificationem vitæ, &c.* Quæ justitia tamen debuit esse δικαίωμα ἢ νόμος, Rom. 8. 4. differens solummodo in eo à justitia fœderis operum, quod illa nasci debuit ex propria cujuscunque hominis obedientia; hæc vero nascatur ex obedientia sponsoris nostro loco præstita aut præstanda.

β. *Salus accedit*, quæ & vita appellatur, ut pateat sua natura idem esse bonum, quod in fœdere operum offerebatur, Dan. 12. 2. *evigilabunt in vitam æternam. Et quicumque vivit & credit in Christum, non morietur in æternum,* Joh. 11. 26. licet tamen alias relationes subeat, ut

a. *Σωτηρία* vocitetur relate ad terminum à quo, in quantum collatio summi boni esset cum ablatione malorum, quæ homini recto non incumbabant; ac proinde speciem refert liberationis à periculo pereundi per constitutionem periclitati in statum ultimi

mæ

mæ securitatis & felicitatis. 1 Pet. 1. 10-12. Ps. 50. 23. *faciam ipsum aspiciere salutem Dei.* Joh. 11. 25. 26.

b. *Hæreditas audiatur*, quatenus scriptura notat profluere hanc vitam ex dono gratiæ seu Testamento Dei sine ullo hominis merito, Heb. 9. 15, 16.

c. *Donum regni*, quatenus gloria vitæ glorioſæ conſequeretur debellatos hoſtes, & ſuperatam inimicitiam à ſemine ſerpentis ferendam; Luc. 22. 29. *Διατιθεμαι υμῖν, καθὼς διέθετο μοι ὁ πατήρ μου βασιλείαν.* Hoc referendum eſt ad explicationem *διαθήκης*, de qua ſ. 20. adeoque vertendum: *Vobis per testamentum decerno, quemadmodum mihi per testamentum decrevit Pater meus, regnum.*

γ. Quæ proponitur ut *manifestatio Testamenti*, ſive voluntatis æternæ de danda certis quibuſdam hæredibus per ſponſorem Filium juſtitia & hæreditate cæleſti. Quod teſtamentum ut æternum concipitur, Heb. 13. 20. *Deus pacis, qui eduxit è mortuis paſtorem illum ovium magnum in ſanguine Teſtamenti æterni &c.* hæredes nominati ibi dicuntur conſcripti, Luc. 10. 20. *gaudete potius*, inquit Chriſtus Diſcipulis, *quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* Et hæreditas ante jacta mundi fundamenta parata; Matth. 25. 34. *Venite benedicti Patris, hereditario jure poſſidete regnum, paratum vobis à jactis mundi fundamentis.* Unde patet, Teſtamentum hoc eſſe fundamentum foederis gratiæ, cujus natura expenſa eſt ad doctrinam de prædeſtinatione. Relatio autem ſimpliciter eſt ad promiſſionem, quæ alteram foederis gratiæ partem conſtituit.

δ. Pro fundamento quoque habet *Pactum Patris & Filii*, quod eſt conventio inter Patrem & Filium, qua Pater Filio proponit populum in peculium acceptandum, & juſtitia ac vita donandum; ſub ſtipulatione ſatiſfactionis, juſtitia divina præſtandæ, & impletionis omnis *δικαιώματι & νόμου*: Filius autem ſponſione ſtipulationis facta juſ accipit, illud peculium ſibi aſſerendi & vindicandi. Ad hujus pacti rationem pertinet, quod *Conſilium pacis*, vocetur, Zach. 6. 13. *Conſilium pacis erit inter utrumque ſc. Jehovah & Virum germen*: adeoque includit altrinſecam voluntatem Patris & Filii de pace faciendâ; ſeu

seu de peccatoribus cum Deo conciliandis & servandis, quæ communis voluntas Deitatis, cum aliam relationem habeat ad Patrem, aliam ad Filium, faciem pacti refert, ubi

**N. PATER** occurrit; qui œconomice suscipit personam tuentis jura Deitatis; & quidem.

i. *Relate ad gloriam Deitatis*, quam per exercitium gratiæ vult manifestatam in quodam peculio, quod Filius redimat. Vult proinde Pater, ut Filius peculium habeat ratæ & immutabilis promissionis. In ordine ad Filium dicitur *Testamentum*, Luc. 22. 29. Gal. 3: 17. *Hoc autem dico, testamentum ante ratum factum à Deo in Christum, &c.* Quo Filium constituit hæredem, Heb. 1. 2. seu peculium addixit in hæreditatem, Ps. 2. 8. *postula à me, & dabo gentes hæreditatem tuam, & proprietatem tuam extrema terræ.* Promittens, *rum visurum semen*, h. e. peculium, populum, Filios non ex generatione carnali, sed divina regeneratione prognatos: Jel. 53. 10. & *se eum daturum in fœdus populi, & lucem gentium*, Jel. 42. 6. 49: 8. *In fœdus populi*, h. e. ut populo impetret hæreditatem Testamento assignatam, & ut sibi, ipsis bona à se præstita proponenti, per gratiarum actionem ut Domino suo responderent, atque ita populus Dei fierent. *In lumen gentium*, h. e. mittetur in mundum, ut gentes in eo cognoscant, quis sit verus Deus; atque ita ad verum Deum convertantur & salventur.

ii. *Relate ad decentiam suam*, dum hoc peculium vult redemptum iri. Hinc speciem stipulationis habet voluntas Patris, qua postulat, ut Filius *servus fiat*, Jel. 42. 1. seu voluntatem suam in opere conciliationis per satisfactionem & meritum præstet, quippe *melioris Testamenti Mediator, quod super melioribus promissionibus in legis formulam deductum est*, Heb. 8: 6.

iii. *Relate ad nexum* inter duo illa extrema, sc. debitum satisfactionis & acquisitionem peculii sibi sanctificandi & vivificandi; ubi impetratio salutis Mediatoris ad ipsam acquisitionem & salvationem populi se habet ut meritum ex condigno; ut proportio inter meritum & præmium æqua sit; ut sit justa redemptio; quippe *precioso sanguine--Christi*, 1 Pet. 1. 19. τιμῆ: 1 Cor. 6. 20. λύτρω; Mat. 20: 28. ἀντιλύτρω; 1 Tim. 2: 6. facta.

Qui

Quinexus etiam patet ex Phil. 2: 9. Διὸ καὶ ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερψώ-  
σε, καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πάντων ὀνομα.

2. FILIUS hic suscipit personam œconomicam Testatoris & Spon-  
soris. In quo notare oportet adstipulationem ejus, & qui-  
dem,

i. *Relate ad promissionem*, ubi æterna voluntas Filii, salutem Ele-  
ctorum cupientis, & in peculium recipere volentis, eadem est  
cum voluntate Patris eos in peculium dantis, qua proinde induit  
non tantum personam hæredis, verum & Testatoris, qui nos faciat  
suos cohæredes: Luc. 22: 29. Rom. 8: 17. *si Filii sumus, etiam  
hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Atque  
ita hæc voluntas Filii refert speciem Testamenti gratiæ, firman-  
di sua morte, Heb. 9: 15-17. *Et propter hoc Testamenti novi Me-  
diator est*, quia sc. sanguis Jesu ita purgat, (vide §. 14.) estque  
ipse Mediator, Sponsor, Confirmator, Executor N. Testamenti,  
(vide Heb. 7: 22.) *ut morte intercedente ad redemptionem sub priori  
Testamento transgressionum*, (quæ sunt transgressionum sub V. T.  
nondum sacrificio sufficienti sublata, sed tantum ob sponsonem  
Christi per πάρεσιν dissimulata.) *vocati*, sc. secundum Dei Testa-  
mentum per verbum promissionis & S. Spiritum potenter, *pro-  
missionem accipiant æternæ hereditatis.*

ii. *Relate ad stipulationem*, seu modum acquirendi peculium, &  
hæreditatem cum peculio communicandam: per adstipulatio-  
nem suscipit personam sponsoris, Pl. 119: 122. ערב עבדך לטוב  
*in fidem tuam suscipe servum tuum in bonam*, h. e. siste te Patro-  
num meum & q. vadem, asserere causam meam, ut solet גואל  
vindex, proximus, &c. Jer. 38: 14. ערבני *sponde pro me.* Quod  
potest solus אריר ומשל *supremus & Dominator ex medio*, sc. po-  
puli, de quo Deus dicit: *Et faciam, ut accedat, Et accedet ad  
me*, sc. ut sacerdos solus jus habens, & potestatem ad expiandum  
peccatum, & ad accipiendum bonum pro peccatore. *Nam quis  
est, qui in fidem suam recipiat cor suum, ut accedat ad me?* quis  
tam audax est, ut considerato, quod ego sum ignis devorans,  
& ipse sit peccator, ausit ad me accedere, ut quicquam in justi-  
tia sua petat a me aut impetret, vel pro se, vel pro aliis? vel ut offer-  
rat aliquid mihi, quod ego gratum habeam? Jer. 30: 21. Est ergo

(P) *Filius*



*Filius Dei, qui melioris Testamenti factus est sponsor, Heb. 7. 22. Quæ sponſio eſt voluntas ſe ſiſtendi Deo ſervum: Pf. 40: 8, 9. ſacrificio & munere non oblectabaris: Aures perforaſti mihi, ſc. ad audiendum & obediendum voci tuæ, h. e. addixiſti me tibi in ſervum, vel ut Apoſtolus ex LXX. ſenſum ſequens, dicit: corpus adaptaſti mihi, Heb. 10: 5. &c. ſacrificium & oblationem noluiſti, ſc. ut cauſas juſtitiz & medium reconciliationis veræ, per quod peccator accedat ad Deum, & pacem cum eo faciat: Tunc dixi: Ecce veni--facere voluntatem tuam volupe mihi eſt, &c. ſc. per obedientiam & paſſiones. Adeoque hæc Chriſti ſponſio eſt voluntas in ſe recipiendi mandatum Patris de Electis redimendis, & cum Deo reconciliandis: hinc Jeſ. 43: 10, 11. fideles dicuntur Dei teſtes eſſe, habentes verbum ejus in ſe manens, ad cognoscendum, quod ante Ipſum non ſit formatus Deus, aut poſt illum futurus; Unde colligitur, quod Ipſe ſit Jehovah, qui promiſſiones ſuas impleat, & præter Ipſum non ſit alius, qui ſalvet. Quod Chriſtus clare probat, Joh. 6: 38-40. deſcendi è cælo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me; hæc autem eſt voluntas ejus, qui miſit me, Patris, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo--& omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.*

- iii. *Relate ad reſtipulationem, ſeu juſ interceſſionis adſtipulationem conſequens, dum conſtitutus Mediator facultatem petendi habet, ut ad pacem cum Deo admittantur, quos ex decreto electionis cupit ſibi dari. Pf. 2: 8. ſive poſtulatam inſtituat ex juſte ſponſionis, ante abſolutam ſatiſfactionem, ut Job. 33. 24. dicit Angelus מַלְאָכִי Interpres, interceſſor: פֶּרַעְוִי Redime ipſum, ne deſcendat in foveam; פֶּרַחִי ſignificat liberationem à reatu, ab obligatione & poteſtate alterius, eamque proprie intercedente pretio: hinc ſubjungit, כִּפְרֵי לְצַדִּיקִי irveni lytrum, h. e. æternam redemptionem irveni, Heb. 9. 11. Adde Jeſ. 63: 9. in omni anguſtia ipſorum non oppugnavit eos quiſquam, quin ſtatim Angelus faciei Domini, id eſt, qui eſt apud Deum, & faciem Dei videt, & in quo videtur Deus, quando mittitur ad homines, ipſos ſalvaverit, & in dilectione ſua & clementia ſua ipſos aſſeruerit ſuos, ſive pro ipſis tanquam ſponſor interceſſerit, & ſibi liberos dimitti*

Cap. IV. DE FOEDERE GRATIÆ. 115

mitti petierit, quodque illos sibi quasi *impositos* tulerit verbo potentiae suae, *omnibus diebus seculi*. Sive Christus agat ex jure satisfactionis post actualem debiti per solutionem, quâ factus *ἰλασμός* pro peccatis nostris, est Advocatus jam apud Patrem, 1 Joh. 2: 1, 2.

22. STIPULATIONEM DIVINAM in foedere gratiæ per mandatum resipiscentiæ & fidei, Act. 2. 38. *Resipiscite*. Cap. 16. 31. *Crede in Dominum Jesum Christum, & servaberis*. Marc. 1. 15. *resipiscite & credite Evangelio*.

a. RESIPISCENTIA est novum mentis propositum, ex prudenti viarum consideratione natum, de mutando vitæ genere, quod, dum quemquam antea in peccatis vitæ poenitet, penes se statuit à peccato desistere, & ex amore Dei gratiosi ac misericordis pietati studere, ut sit ad gloriam ejus.

a. Varias voces S. S. adhibet ad hujus resipiscentiæ explicationem. Huc pertinent voces *ἄνω*, *ἐπιστροφή*, Græcorum *Μετάνοια* & *Μεταμέλησις*.

b. Res ipsa exigit,

1. Actuum considerationem, qui respectu termini à quo & ad quem duplices sunt:

i. Prior est propositum omittendi peccatum, cui adheret tristitia secundum Deum, quæ *resipiscentiæ* efficit ad salutem, 2 Cor. 7. 10. *dolor & Spiritus contritus*, Ps. 51. 19. *Nec non pudor & confessio peccatorum*, Job. 42. 6. Ps. 32. 3-5, *dixi, confitebor super peccatis meis domino: & tu abstulisti pravitatem peccati mei*. 1 Joh. 1. 9.

ii. Alter est propositum emendandi vitam, qua *nos nova vita ambulamus*, Rom. 6. 4. conf. Jes. 1. 16-18.

2. Objecti considerationem; locum enim habet resipiscencia in omnibus peccatis, excepto peccato in Spir. S. Luc. 12. 10. alias obtinet etiam in gravissimis peccatis & omni vitæ tempore; quicquid contra Sociniani, & Remonstrantes velint, seræ poenitentiae spem vitæ derogantes, contra manifestum exemplum ipsius Latronis, Luc. 23. 43.

β. FIDES est actus ad stipulationis foederalis, quo cognito foederis argumento mens assensum adhibet cum gaudio, sese-

(P 2) que

que cum fame & siti justitiæ Christo ad salutem commendat, atque ad eum tanquam ad sacram anchoram confugit. Obs.

- a. Voces, quas S. S. hic adhibet. Verba Hebræa sunt פִּדְוֹן, se rejicere gestandum in alicujus veritatem & potentiam, nisi aliquo, se alicui committere, aliquo se fulcire. Ut notet non testimonii tantum admissionem, verum & fiduciam. פִּדְוֹן, omnem fiduciam ponere, qua anima plenam possidet tranquillitatem, quæ omne dubium & timorem excludit. פִּדְוֹן, ad aliquod refugium salutis causa se recipere. Vox Græca πίστις quasi πείθω a πείθω persuadere. Cujus tamen ἀπορρηξία diligenter removenda, cum nonnunquam notet *fidem historicam*, aliquando *fiduciam miraculorum*, imo etiam *fidem temporalem*, accuratius à fide justificante discernendam: de quo discrimine Christus per parabolam fatoris egregie nos edocet: dum *semen aliud in viam projectum ab avibus devoratur, aliud in petrosam cecidit, aliud in spinas, aliud denique in terram bonam, &c.* Vide Matth. 13. 4-9, 20, 23.

- b. Natura fidei justificantis seu foederalis,

1. Prærequirit cognitionem de autoritate testium, 2 Tim. 1. 12. *novi, cui crediderim & mihi persuasum est, eum posse depositum meum in illum diem servare.* Prærequirit etiam cognitionem argumenti testimonii, quod est *non nisi Jesus Christus isque crucifixus*, 1 Cor. 2. 2. quod contra Pontificios asserimus, fidem cœcam introducentes. Π. ψ. ut homines sola starent autoritate Ecclesiæ.

- a. Probamus hanc necessitatem cognitionis,

- i. Ex origine fidei, quæ nasci debet ex auditu, Rom. 10. 17. *fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei.*  
 ii. Ex denominatione fidei, quando ipsa cognitio, seu potius agnitio vocatur, Jes. 53. 11. *cognitione sui justificabit Servus meus justus multos.* Ita ut *in eo consistat vita æterna, ut cognoscant, &c.* Joh. 17. 3.  
 iii. Ex requisito cum fide conjuncto, nempe confessione seu professione fidei, Rom. 10. 9. *quod si confessus fueris ore tuo Dominum Jesum, & credideris in corde tuo, quod Deus eum excitavit ex mortuis, servaberis.* & ψ. 10. Adde 1 Pet. 3. 15.

β. De-

β. Defendimus contra objectiones: ex locis, *Jes. 7: 9. אַל תִּשְׁכַּח לֵךְ כִּי לֹא תִּשְׁכַּח לֵךְ*, si non credatis, non permanebitis. Versio vulgata habet: *nisi credideritis, non intelligetis.* 2 Cor. 10: 5. *captivandus omnis intellectus in obedientiam Christi.* 1 Cor. 13: 2. Heb. 11. 1.

2. Requirit,

a. *Affensum*, cum generalem, quo quis omnibus in verbo revelatis assentitur, *Joh. 3. 33. qui recipit ejus testimonium, is obsequavit, quod Deus verax sit.* Ut Paulus Agrippæ dicit: *Credis Rex Agrippa Prophetis? scio te credere,* Act. 26. 27. tum præsertim particularem, quo assensus præbet medio salutis in Christo proposito, cum gaudium ex restituta spe salutis coconcepto. Hic assensus venit sub nomine *ὁμολογίας*, & *ὑποταγῆς ἢ ὁμολογίας*, 2 Cor. 9. 13. Heb. 3. 1. *ὁμολογία*. Sic fidei est dicere: *γένοιτό μοι καὶ λόγον σου.* Huc facit cognitio pro agnitione, quæ Evangelium suscipit, non tantum ut nuncium verum, sed ut lætum etiam & jucundum.

b. *Fiduciam*, cujus actus alius est *directus*, alius *reflexus*. Prior proprie consistit in confugio ad gratiam Dei cum fame & siti justitiæ, quod eleganter exprimit *emphasis verbi* *יָרַדְנָה*, quod, ut diximus, salutis causa confugere ad arcem refugii significat. *Alter* autem nascitur ex conscientia fidei: atque est fiducia *πληροφορίας* & *παρήσιας*: Heb. 6. 11. *cupimus unumquemque vestrum idem ostendere studium πρὸς τὴν πληροφορίαν ἢ ἐλπίδα ἄδ plenitudinem spei ad finem.* Heb. 10. 22. *accedamus cum vero corde ἐν πληροφορίᾳ πίστεως*: metaphora desumpta forsan à navibus, quæ velis vento secundo turgidis vehementissime feruntur; est ergo vehemens animæ latio in Christum, quæ excludit dubitationem, obmurmurationem, ratiocinationem humanam, & committit se Deo, in eo secura. De *παρήσιας* dicit Paulus Heb. 10. 35. *Ne itaque abjiciatis τὴν παρήσiam ὑμῶν, fiduciam vestram, quæ habet remunerationem magnam*: quæ *παρήσια* est fidei perfectio, & illa *ἔξυσις τέκνω θεῷ γενέσθαι*, Joh. 1. 12. qua in *πληροφορίᾳ* sive certitudine *μετὰ θάρρους*, nihil timentes, Deum possumus dicere Deum

(P 3)

&

& Patrem nostrum, cujus quasi *ὑπολόκισις* est Deut. 26. 17. 18. 1 Joh. 3. 24. *ea fiducia accedimus ad thronum gratiæ*; Heb. 4. 16. Prioris opus adstipulatio est; posterioris restipulatio: ut proinde ad amicitiam & fœdus cum Deo contrahendum nondum requiratur fiducia *πληροφορίας*, sed sufficiat fiducia confugii, quæ sola facit adstipulationem.

γ. UTRIVSQUE OBLIGATIO certo quodam respectu naturalis est, & ex lege naturæ profluit, quippe peccator natura debitor est, ut ab ulteriori peccandi progressu absteat, & virtutes lege præscriptas sectetur; prout & natura debitor est, ut quicquid Deus testatur de se & viis suis, habeat pro vero & in iis acquiescat. Nihilominus naturalis illa obligatio in stipulatione fœderis gratiæ recipit novum objectum & argumentum, quo ad resipiscendum & credendum pelliciat.

Δ. NEXUS inter utramque, seu relatio, quam officia stipulata habent ad promissionem præmii, talis est, ut jure censendus sit hæres vitæ, qui per resipiscentiam & fidem ad Christum rediit; adeo ut nexus sit inter fidem & vitam indissolubilis, ut & inter resipiscentiam & regnum. Unde hypotheticæ propositiones in S. Script. frequentes, quæ resipiscentibus & credentibus vitam & salutem promittunt: ut Ezech. 18. 21, 22, 23. *quum improbus conversus ab omnibus peccatis suis, quæ fecit, observaverit omnia statuta mea, & fecerit iudicium & justitiam* (secundum legem resipiscentiæ & fidei ambulaverit, & crediderit in eum, quem dedit Deus ad justitiam, & justitiæ in ipso datæ servierit, tanquam justitiæ servus factus, Rom. 6. 16, 18.) *vivendo vivet, nec morietur.* Adde Joh. 3. 16, 18. *Ita Deus dilexit mundum, ut dederit Filium suum unigenitum, ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. &c.*

ε. Non tamen hæ conditiones sunt conditiones prærequisitiæ ad gratiam primam, seu regenerationis; cum utraque sit regenerationis effectum, seu Spiritus regenerantis donum, *Resipiscentiam enim dat Deus ad agnitionem veritatis*, 2 Tim. 2. 25. *etiam gentibus Deus dedit resipiscentiam ad vitam*, Act. 11. 18. Fidem etiam efficit S. Spiritus, hinc *Spiritus fidei* appellatur, 2 Cor.

4. 13. Eph. 2. 8. Sed sunt conditiones ad gratiam omnem consequentem sc. justificationis & sanctificationis, adque ipsam glorificationem : jus enim regenerationis ad gratiam non est nostrum, sed Christi, qui sibi jus impetravit, populum aliquem sibi vivificandi seu regenerandi.

β. Ut non sint conditiones meritoria, quasi resipiscentia & fides essent merita gratia & gloria consequentis, sed indicia consilii divini de gratia jam incepta & abhinc consummanda ; ut proinde conditionata propositio foederalis dicat tantum nexum extremorum ad ingenerandam fiduciam restipulationis, ita ut nisi hæ conditiones adsint, nemo sibi jure vitam polliceatur. Unde etiam patet, neminem teneri credere Christum pro se mortuum esse, nisi habeat conscientiam resipiscentia & fidei anterioris.

B. A PARTE HOMINIS, qui constituit alteram partem contrahentium, dicitur homo foedus cum Deo facere, Pl. 50. 5. *Colligite mihi pios meos, facientes foedus mecum per sacrificium.* Homo ergo concipitur vocari ad foedus gratia ut peccator, ad pacem cum Deo accipiendam, qui juxta decretum electionis à Christo Mediatore postulatur, ut per donum resipiscentia & fidei ad foedus adducatur.

κ. *Antecedenter* ad illud foedus seu statum pacis & amicitia restaurata cum Deo, homo ille vocandus concipitur ut homo mentem habens, & in mente conscientiam recti, qui magis aut minus de partibus foederis edoctus est: quippe qui verbum foederis audire, ex parte intelligere, & de multis convictus esse possit, licet per corruptionem naturalem ineptus sit ad officia stipulata præstandum, ut vid. cap. anteriori.

ζ. *In ipso actu* tamen contrahendi concipitur à Spiritu regenerante & eum aptum faciente correptus, dum illi ad postulatum Mediatoris conceditur gratia illuminationis ad debitam attentionem, claram rei oblata perceptionem, & pronitatem obediendi mandato resipiscentia & fidei, ut jus vitæ in Christo consequatur: quam regenerationem non potest non consequi liberrima resipiscentia & fides, tanquam actus hominis redempti & Christo donati.  
 ω. *Resipiscentia & fides* proinde sunt actus ad stipulationis foederis oblata,

oblati, nec multum inter se differunt; unde aliquando sola fides, aliquando sola resipiscentia, hinc in mandato stipulantis, illinc in obsequio adstipulantis, commemoratur; differunt enim solummodo relatione, nam sicuti in resipiscentia est aversio, & conversio, *aversio* sc. ab amore peccati, & *conversio* ad amorem virtutis & Dei; ita in fide quoque est aufugium & confugium; *aufugium* a statu peccati periculo pleno, *confugium* ad Christum ut arcem salutis, in cujus communionem ab omni pereundi periculo tutus est confugiens, & invenit omnia salutaria ad defectuum suorum implementum necessaria; unde evidens est, quod fides sit principium resipiscentiæ; poenitet enim resipiscentem, peccato omnia mala retalianti se servum stitisse; superaddit solummodo respectum ad peccatum ut inhonestum seu turpe quid, quod fides respicit ut noxium. Quando itaque sola resipiscentia exigitur, intelligitur ea, quæ nascitur ex fide: quando autem sola fides exigitur, intelligitur ea, quæ crudelem peccati tyrannidem abhorrens, regnum peccati diligentius expendit, & agnita semel ejus turpitudine illud odit atque deserit, in amplexus autem Christi ruens, conjunctum habet amorem Dei ut gratiosi in Christo, illamque gratiam agnoscendam cum gratitudine censet.

β. *Restipulatio hominis* adstipulantis est, dicitque exercitium postulandi gratiæ augmentum & collationem: jus autem id petendi sequitur primum fidei actum; fiducia petendi sequitur conscientiam fidei sincerioris. Quæ se longe aliter hic habent ac in fœdere operum, ubi nullum erat restipulandi jus nisi post exploratam obedientiæ perseverantiam, in qua cum primus homo defecerit, nunquam restipulandi jus habuit. Hoc jus restipulandi innuitur, quotiescunque homo justus ex fide dicitur, Hab. 2. 4. *Justus in fide illius vivet*; *Justus* hic dicitur, non adeo qui aliquid rectum facit, sed qui in judicio Dei absolutus est, quique jus habet filii Dei ad sperandam & petendam hæreditatem lege promissam; *in fide illius*, sc. Christi; fides enim est in Christum ceu testem illum promissum, qui non mentitur, adstipulando, & se ei ad justitiam & salutem acquirendam committendo; *vivet* sc. hic cum sanctimonia & gaudio spi-

spirituali, in quibus est prægustus cœlestis beatitudinis, (est enim *vita* in gratia Dei, Pf. 30. 6.) & post hanc vitam vivet apud Deum in cœlis, ubi est *fons vitæ*, Pf. 36. 10. Plura videbimus ad titulum de justificatione & obfignatione.

**C. RESPECTU UTRIUSQUE**, & Dei & hominis, consideranda porro est ratificatio fœderis gratiæ, quæ fit,

**N. Per Mediatorem**, unde Christus dicitur Angelus fœderis, Mal. 3. 1. de quo, in quo, & per quem est fœdus suis, in quem iussit etiam credere omnes ad habendum fœdus cum Deo. *Sponsor*, Heb. 7. 22. qui promisit pro Electis, se facturum ea, quæ Pater in fœdere, seu Testamento, exigit facienda, ut hæreditas salutis veniat ad Electos. Et *Mediator fœderis*, Heb. 8. 6. qui reconciliat Deum cum peccatoribus, intercedens inter Deum & homines, cum obedientia & merito ad faciendam pacem. In pacto enim pacis promisit de suo, & ita est *Testator*. Quando stat promissis, obedit, moritur, ac intercedit pro peccatore, ratum facit Testamentum, s. fœdus, & est *Mediator*. *Executor* est per meritum, & S. Spiritus gratiam, quæ ex obedientia ejus datur: addeis Heb. 9. 15. Cap. 12. 24. Hinc quia Christus hæc efficit, dicitur Ἀπόστολος ἢ Ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας ἡμῶν, Heb. 3. 1. *Apostolus*, quatenus ut *Legatus Dei* ab Electis suscipit ad stipulationem nomine Dei; & *Pontifex*, quatenus eam defert ad Patrem: Imo vero preces ad Deum refert, bona ad homines. In qua mediatione quandoquidem *spondet jurejurando*, (id est, interponit omnes suas virtutes, imprimis sanctitatem suam, quasi diceret: se non esse sanctum, &c. nisi quod promisit præster) quo validior est nostra cum tranquillitate fides, *ut confugere possimus ad apprehendendam spem expositam*, Heb. 6. 17, 18.

**1. Per sacramenta obfignantia.**

*a.* Sacramentum apud Latinos est ejusdem significationis, ac *μυστήριον* apud Græcos; suntque voces religionis, reverentiæ, & majestatis plenæ; ita enim vocabant Gentiles *Sacra*, ad quorum conspectum non admittebant nisi initiatos. Scriptura N. T. transtulit hanc vocem in usum sacrum, significans quandoque totam doctrinam Christianam, Matth. 13. 11. Marc. 4. 11. Luc. 8. 10. *Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum.*

(2)

Strictè



- Stricte autem ita appellat quædam dogmata, à cognitione vulgi & naturali remota, 1 Cor. 15. 51. 1 Tim. 3. 16. ἡ ὁμολογημένης μέγα ἐστὶ τὸ εὐσεβείας μυστήριον, *extra controversiam magnum est mysterium pietatis, Deus manifestatus est in carne, &c.* Quæ tamen cum constituent totum fundamentum religionis Christianæ, eamque universam permeent, jure notio *mysterii* ad totam doctrinam synecdochice transfertur. Cumque apud Gentiles nemo admitteretur ad conspectum mysteriorum, præterquam initiatus, simul connotat & hic nemini nisi regenito concedi, ut videat τὰ ἐν πνεύματι & Θεῷ, 1 Cor. 2. 7-14 *nisi enim quis fuerit regenitus, non potest videre regnum Dei*, Joh. 3. 3.
- Doctores Ecclesiastici hoc nomen ad sacrum signum contulere, & forte Paulus, vocans *Ministros Christi Dispensatores Mysteriorum Dei*, 1 Cor. 4. 1. ut monerent, illa dogmata mysteriosa sub signorum externorum involucris non nisi solis initiationis proponi fide conspicienda, ita ut illi soli per illa ἐπερωτήματα admittantur ad familiare cum Deo commercium.
- β. Quod ad rem ipsam attinet, Sacramentum est sacrum signum & sigillum fœderis gratiæ, à Deo institutum, quo Deus usu rei visibilis & externæ gratiam invisibilem per Christum impetrandam aut impetratam fidelibus significat & confirmat; homo autem fidelis se ad omnem subjectionem & fidelitatem Deo præstandam obligat.
- α. *Sacramenta sunt,*
1. *Signa fœderis, confœderationem utriusque partis significantia, Gen. 17. 11. circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit signum fœderis inter me & vos. Sic Pascha dicitur etiam in signum esse, Exod. 12. 13. 13. 9. 1 Cor. 11. 24. 25. 1 Pet. 3. 21.*
  2. *Sigilla sunt & quasi tesseræ amicitiae, quibus Deus oppignorat gratiam suam: Rom. 4. 11. Abraham signum accepit circumcisionis, sigillum justitiæ fidei, quæ fuerat in præputio, ut esset Pater omnium credentium in præputio, ut imputetur etiam ipsis justitia. Hinc ipsum fœdus & Testamentum vocantur, Gen. 17. 10. hoc est הברית fœdus, testamentum meum inter me & vos, & semen tuum post te, quod servabitis, ut circumcidatur vobis omnis mas.*

b. In-

b. Institui debent sola auctoritate divina, quâ sublatâ tolluntur, aut mutatâ mutantur: quicquid contra Pontif. velint, Ecclesiæ concedentes facultatem instituendi Sacramenta. Π. Ψ. ut Ecclesiæ totam auctoritatem adstituant. Nos probamus contrarium,

1. Ex eo, quod cultum humani instituti respuit Deus, Matth. 15. 9. *frustra mecolunt, docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum.*

2. Quod S. Scriptura provocet ad institutionem divinam; quâ auctoritate quis faciat ista? & quis dederit istam auctoritatem? Matth. 21. 23.

3. Quod foedus omne Dei, quoad præscriptum est, sit *μὴ ἀπὸ πλεον*: Ecclesia autem faciat alteram partem adstipulantem, & leges Dei recipientem.

c. Res externæ visibiles hic requiruntur, ut relationem habentes ad res spirituales, illis similes & correspondentes, ut *nubes illa, sub qua fuerunt per mare transcuntes Patres, qua nube & mari omnes in Moysen sunt baptizati: omnesque eandem escam spirituales ederunt, & omnes eundem potum spirituales biberunt, bibebant enim ex sequente spirituali petra. Petra vero erat Christus, 1 Cor. 10. 1-4.* ubi nubes & mare, deinde esca illa sc. manna & potus egregiam habent relationem & similitudinem ad rem suam spirituales.

d. Gratia significativa & obsignans, quæ hic respicit omnem gratiam foederis & Testamentum Dei, atque ad eo non tantum gratiam infisionis, sed & corroborationis: unde Sacramenta alia *infisionis*, alia *corroborationis* in quacunque œconomia suo loco videbimus.

e. Connotant simul omnia Sacramenta Christum omnis gratiæ causam, sive concipiatur gratia dispensari vi sponisionis ejus ante plenitudinem temporis, sive vi actualis perfolutionis, 1 Cor. 10. 1-4.

f. Finis est

1. *A parte Dei significare & confirmare, quatenus Sacramenta nobis fiunt ἐπιστημῶτα, 1 Pet. 3. 21. & ipse Deus dicitur per institutionem Sacramentorum stabilire foedus, Gen: 17.*

7. *stabilio autem fœdus meum, sc. per circumfionem, inter me & te, ac semen tuum post te per ætates suas, ut fœdus sit perpetuum, me esse tibi Deum, & semini tuo post te.*
2. *A parte fidelium, quibus solis usus Sacramentorum aliquid confert exclusis infidelibus, hi enim indigne edentes & bibentes rei tenentur corporis & sanguinis Domini, & sic damnationem sibi edunt & bibunt, &c. 1 Cor. II. 27-29. Finis ergo est obligationem fœderalem subire, aut renovare prædicando nomen Dei, 1 Cor. II. 26. annunciate mortem Domini, usque quo venerit.*

## C A P. V.

*De promissione Salutis per Sponsorem impetrandæ.*

**H**oc consilium Dei (quo statuit tale fœdus gratiæ sancire cum electis ex peccatoribus) manifestatum fuit in antecessum verbo promissionis, dum ipsa salutis impetratio differretur usque ad plenitudinem temporis, & adventum Mediatoris in carnem. Unde occurrit tanquam doctrina spei & exspectationis, in verbo promissionis fundatæ: quam spem Patrum cum promissionibus collectam hic excutere oportet.

*A.* Primus articulus divinæ spei fuit gratia Christi ut Sponsoris, venturi ad jus salutis plenarium impetrandum:

*✱.* Promissiones hujus rei multifariam, & per multas partes sunt propositæ, primò quidem in Paradiso statim post lapsum, Gen. 3. 15. *inimicitiam ponam inter te & mulierem, inter semen ejus & semen tuum; illud tibi coneret caput, & tu coneres ei calcaneum.* Deinde sæpius cum aliquo fœnore majoris elucidationis repetitæ sunt Abrahamo, Gen. 12. 2, 3. coll. Gal. 3. 8, 9. Gen. 22. 18. *benedicam in semine tuo, Christo, omnibus gentibus terræ.* Isaaco, Gen. 26. 3, 4. & pluries apud Prophetas, qui distinctius genus & familiam, locum & signa temporum adventus Christi in carnem definivère; ut videbimus cap. seq.

*✱.* Credidisse & intellexisse, ac proinde rem ipsam sperasse Patres ante-

Cap. V. PER SPONSOREM IMPETRANDÆ. 125

anteriores, patet ex eorum confessionibus; qualis Adami, qui *nominavit nomen uxoris suæ חוה Eva, quia ipsa esse incipiebat mater omnis viventis*, Gen. 3. 20. Evæ: quæ Cainum pariens dixit: *קניתי איש את-יהוה, acquisivi virum Jehovah*, Gen. 4. 1. Noachi, qui fretus promissionibus Dei, prædicit: *dilatet (aut persuadeat) Deus fapbetum, ut habitet in tabernaculis Semi*, Gen. 9. 27. & præfertim Jacobi, qui, Gen. 48. 15, 16. vindicationem sui ab omni malo, Deo & Angelo tribuit, quem pari honore dignatur cum Patre; quemque Gen. 49. 10-12. vocat *Schilo*, de quo egregia prædicat & prædicit, &c.

B. Secundus articulus fidei fuit, quod vi hujus sponsonis per vim retroactivam meritorum Christi acceperint gratiam hujus vitæ, & gloriam post hanc vitam, secundum quam fidem etiam salvati sunt. Ubi notare oportet

α. Contra Socinianos aliosque, Patribus ante Christum spem vitæ cælestis denegantes, ut ita obtineant, Jesum primitus cognitionem vitæ cælestis dedisse, atque exinde jure κατ' ἐξοχήν Servatorem appellari posse.

α. Nos autem probamus promissiones vitæ Patres habuisse, & exinde spem salutis æternæ sibi formasse. Atque hoc patet:

a. Ex promissionibus fœderalibus, spem vitæ facientibus, nec non satis sufficienter explicantibus: quippe dixit Deus, *se esse & fore illis in Deum*, Gen. 17. 7. h. e. se esse & fore omnia electis ad plenissimam salutem animæ & corporis. Confer Ps. 33. 12. Ezech. 20. 12. Mat. 22. 32. Hebr. 11. 16. Unde dicitur *fœdus vitæ & pacis*, Mal. 2. 4, 5. Jes. 54. 10. & Deus vocatur *Deus salutis, & Deus salus nostra*, Ps. 68. 20, 21. adde promissiones remissionis peccatorum, Ps. 130. 7, 8. *spera, ô Israel, ad Dominum, quia cum Domino Domini est gratia, & multa cum ipso redemptio. Et ipse redimet Israel ex omnibus pravitatibus suis.* Item promissiones vitæ æternæ. Ps. 73. 24. *consilio tuo regis me, & postea in gloriam recipies me.* Ps. 16. 11. Ps. 17. 15. *Ego in justitia videbo vultum tuum, satiabor, quum evigilavero, specie tua.* Ps. 48. 15. Prov. 15. 24. Nec non promissiones resuscitationis ad vitam: Dan. 12. 2. *expergiscuntur multi ad vitam æternam.*

(23)

b. Ex

126 DE PROMISSIONE SALUTIS. Cap. V.

- b. Ex confessionibus Veterum eam spem testantium, ut Jacobi, Gen. 49. 18. *salutem tuam exspecto, Jehovah.* Jobi, Cap. 19. 25. *אני ידעתי גאלי חיי, novi Redemptorem meum vivum, &c.*
- c. Ex testimoniis Apostolicis eandem spem Patrum nobiscum asserentibus; Act. 26. 6, 7. *ad spem promissionis factæ Patribus nostris à Deo, ad quam 12. tribus nostræ, assidue nocte & die (Deo) servientes, sperant se perventuras.* Et Heb. 11. 13-16. *dicuntur secundum fidem mortui omnes Patres, &c.*
- ß. Probamus quoque eos hanc spem fundasse in Christum venturum:
- a. Ex sperato adventu **Χριστου** seu Assertoris & Redemptoris, Gen. 48. 16. Job. 19. 25. 33. 23, 24.
- b. Ex fide communi ejusque fructu, qui est justitia imputata, Rom. 4. 3. *Scriptura dicit: Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei in Justitiam.* Heb. 11. 7. *πιστις χηρηματισθηδεις fide divinitus admonitus Noe--& justitiæ (nempe Messie, quæ est secundum fidem) factus est hæres.* Rom. 10. 5--9.
- c. Ex testimoniis asserentibus Christum etiam pro eorum peccatis satisfecisse; Rom. 3. 25, 26. quem, sc. Jesum; *proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, **Δεξτε τὴν χάριν τοῦ θεοῦ** propter transmissionem peccatorum ante factorum: Intolerantia Dei, ad ostensionem justitiæ suæ in presenti tempore, ad hoc, ut sit ipse justus & justificans eum, qui est ex fide Jesu.* Adde Heb. 9. 15, 25, 26. Heb. 13. 8.
- d. Ex fine legis, qui est Christus, Rom. 10. 4. *cujus legis est, pedagogum agere ad Christum,* Gal. 3. 24. *Et adumbrare Christum; quippe omnia fuerunt umbra rerum futurarum, at corpus est Christi.* Col. 2. 17. Heb. 10. 1.
- γ. Vindicamus hanc sententiam contra objectiones Sociniano-  
rum, qui urgent
- a. Salutaris doctrinam fuisse incognitam ante Christi adventum, quia Joh. Baptista demum *dederit cognitionem salutis populo ejus,* sc. Domini, *ἐν τῷ φωνῆσι ἀπαγγελλῶν εὐαγγέλιον,* Luc. 1. 77. & Heb. 2. 3. *quomodo nos effugiemus, tanta salute neglecta? quo quam cepisset dici per Dominum, ab illis, qui audierunt, usque ad nos stabili-*

- ta est.* Quasi hanc salutem ipse Christus demum incepisset prædicare &c. Urgent etiam, Evangelium fuisse occultatum & temporibus secularibus tacitum, Rom. 16. 25. Et per ingressum Pontificis V. T. semel in anno in sanctum sanctorum significasse S. Spiritum, nondum manifestam factam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente stationem, Heb. 9. 8.
- b. Differentiam V. & N. Testamenti collocari in eo, quod V. Testamenti Patres promissiones non acceperint, Heb. 11. 39. 40. *Hi omnes testimonium adepti per fidem non sunt potiti promissione: quum Deus de nobis melius quid providisset, ne sine nobis consummarentur.* Quodque N. T. promissiones sint meliores; quippe quod super melioribus promissionibus in legis formulam deductum est, Heb. 8. 6. Imo quod *lex tantummodo umbram habuerit futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum,* Heb. 10: 1.
- c. Quod fides nondum adfuerit; Gal. 3. 23. *Antequam autem venisset fides, sub lege custodiebamur, conclusi in fidem, quæ futurum erat ut revelaretur.*
- d. Quod Sadducæi vitam æternam negarint; ac proinde res obscurius proposita fuerit.
2. Contra Pontif. Limbum Patrum statuentes, negantesque, ante peractam satisfactionem Christi credentes, potuisse solo jure sponsonis vitam coelestem ingredi.
3. Nos probamus contrarium,
- a. Ex locis evidentibus, Heb. 2. 10. *decebat ipsum, propter quem, Et per quem sunt omnia, multis filiis in gloriam introductis, principum saluti israhel per passiones consummare.* Ubi per filios intelliguntur fideles V. T. quos jam in V. T. ex sponsonem istius principis postmodum præstanda, in cælum introduxerat Pater; jam ergo decebat Deum, illum actu per passiones, quibus præstaret sponsonem & ratam faceret, consummare; gratia introductionis alias Deo indecens fuisset. Hanc introductionem alibi Scriptura testatur. Joh. 14. 2. *In domo Patris sunt πολλὰι πολλὰι, hoc est (confer. ψ. 23) πολλοὶ μωὴ ποιῶντες ἐκεί.* Adde Eph. 1. 10. Heb. 12. 23.
- b. Ex ipsa παρέσει V. T. quæ infert non-punitionem.

128 DE PROMISSIONE SALUTIS. Cap. V.

c. Ab exemplis eorum, qui in cœlum fuerant sublati, quales *Enoch*: Gen. 5. 24. *Elias*, 2 Reg. 2. 11. *Abraham*, Mat. 8. 11. *Lazarus*, Luc. 16. 23. Unde & *Hierosolyma superna* memoratur, Gal. 4. 26.

β. Vindicamus contra objectiones desumptas:

a. Ex testimoniis, 1 Pet. 3. 19. *In quo & spiritibus, qui in carcere sunt, profectus prædicavit.* Zach. 9. 11. *vocatur fovea, in qua non est aqua:* Heb. 11. 39.

b. Ex eo, quod *Christus præcursor pro nobis intravit &c.* Heb. 6. 20. *ante quem nemo ascendit in cœlum.* Joh. 3. 13. *nec via sanctuarii fuit aperta,* Heb. 9. 8.

c. Quia reditus non dicitur è cœlo: Ergo redeuntes fuere ante in limbo, quod patet exemplo *Samuelis, per Pythoniſſam evocati,* 1 Sam. 28. 11.

C. Tertius articulus est, quod ex promissione profluxerit œconomia gratiæ parcior, unde spes excitata vehementius sitiebat tempora *τελειώσεως*: ita tamen ut administratio gratiæ respectu sanctificationis, & justificationis fuerit sufficiens ad salutem. Notanda tamen hic varietas & differentia œconomiz sub mera promissione, & sub promissione legis velamine obvelata.

Ν. Ante legem

a. Verbum spei minus definitum fuit circumstantiis ad Christum spectantibus, ac proinde obscurius, licet satis intelligibile, ut per illud electi vocarentur ad fidem, accedente nimirum catechesi Patrum & illuminatione Spir. S.

β. Justificatio propter nondum adductam salutis impetrationem fuit respectu reatum solummodo *πάρεσις*, non *ἀφεσις*, Rom. 3. 25. *prætermisso, non remisso: ubi enim est ἀφεσις, non est amplius oblatio pro peccato,* Heb. 10. 18. quum in V. T. fuerit oblatio pro peccato, sequitur, non fuisse *ἀφεσιν*, ergo, quia tamen etiam fuerunt servati, fuit *πάρεσις ἢ ἀμαρτημάτων*. Respectu justitiæ, jus ex mera sponſione fuit natum, non ex merito sponſoris præstito profluens, quoniam illa *justitia seculorum* delata fuerat ad plenitudinem temporis, Dan. 9. 24.

γ. Libertas major fuit, quam sub lege; quia eorum sacrificia, nondum lege exacta, liberi ritus fuere, seu subsidia exercitii fide,

dei, sine jugo aut exprobratione reatus, libere suscepta.

2. Sub lege promissio quidem non fuit abolita, Gal. 3. 17. *lex διαθήκην, testamentum antereatum factum à Deo in Christum non facit irritum ad abolendam promissionem.* Nihilominus aliquo velamine fuit obducta, 2 Cor. 3. 13-16. legis nimirum introductio facta est propter transgressiones, Gal. 3. 19. *quid lex? propter transgressiones addita est.* Inde fuit effectus fœderis operum (ante adductum λυτρον) œconomiam aliquam maledictionis exercens, aut si ita mavis *condemnationis*, 2 Cor. 3. 6, 9. Gal. 3. 10. quæ maledictio non concipienda est ut sententia Dei judicis, sed legis, jus suum exigentis, à Christo tandem solvendum: hæc vulgo vocatur schefis Ministerii Mosis legalis, dispensationem gratiæ diminuens, non auferentis; consistens

α. In reatus exstantis commemoratione, quæ non permittebat, ut conscientia peccati deponeretur, Heb. 10: 1-3. quamque lex exercuit; introducendo sacrificia lege exacta, lotiones carnales, discrimina puri ab impuro, populique separationem ab altari; in quibus ritibus erat *chirographum ipsis subcontractarium*, Col. 2, 14.

β. In servitutis severioris introductione, quæ servitus notatur, Rom. 8. 15. Gal. 4. 1-14. Heb. 2. 15. & exaggeratur ut jugum *ἀβέστανον*, Act. 15. 10. consistebat autem in subjectione populi sub dictis Diis, Heb. 2. 5. & rigidis illis censoribus, Col. 2. 16. nec non in molestis & scrupulosis operibus, per legem cærimoniam multiplicatis. Cum Spir. S. in obedientiæ dono illos etiam urgeret ad subjectionem hanc sub lege subeundam, merito *Spiritus servitutis* audiebat apud Paulum, locis citatis.

γ. In metus mortis incussione; Heb. 2. 15. *timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti*; quam servitutem obibant fideles V. T. ex instinctu S. Spiritus, qui ideo dicitur *Spiritus servitutis*, & quia huic servituti annexus erat metus mortis, dicitur Spiritus servitutis *ad metum*, Rom. 8. 15. Non quod mors illis simpliciter esset metuenda, sed mors speciem pœnæ referens, severe in lege cærimoniali comminata; sive illa esset præmatura mors, sive subitanea intra terram plagis inflicta,

(R) aut



aut quemquam extra terram in exilio corriprens. Ratio mali metuendi erat in ratione & relatione terræ Canaan, patriam cœlestem oppignorantis; quo pignore quum, Deo per aliquod iudicium illud auferente, privatur homo, mors hæc non potest non horridam referre speciem. Eratque hic metus calcar servitutis, perpetuam mentibus scrupulositatem injiciens, ne in minimis, & laboriosis cærimoniarum præceptis neglectus aut omissionis rei fiant. Hinc dispensatio gratiæ consolationis seu obfignationis sub illa œconomia parcior & impeditior fuit.

¶ In inimicitæ cujusdam introductione, dum lex superingrediens parietem intergerinum erexit, gentes excludentem, Eph. 2. 14, 15.

## CAPUT VI.

### *De Mediatore.*

**P**ost promissionem sequitur fœderis gratiæ executio plenaria, hinc respectu Mediatoris, illinc respectu fœderatorum. MEDIATOR in principio venit considerandus *secundum adventum, personam, & impetrationem salutis ipsam.*

A. MEDIATOREM (antea descriptum) jam ante aliquot sæcula advenisse, & quidem in ipso *Jesu Mariae Filio*, defendit Christiana fides adversus Judaicam perfidiam; & quidem advenisse,

¶ In genere probamus;

a. Ex tempore definito jam præterito; Sc. ab edicto *restaurandæ Hierosolymæ*, fuerunt primo *septimana septem*; tum *septimana sexaginta & due*, quibus finitis *Messias erat excidendus &c.* Dan. 9. 24. 27. Hab. 2. 3. 4. *visio adhuc futura est ad statutum tempus, & præco aderit in fine, qui non mentietur: si tunc tabitur, præsolator eum: nam veniendo veniet: non extra tempus veniet.*

b. Ex qualitatibus temporis jam etiam præterlapsis; & antehac

hac justo tempore conspicuis, quarum notamus alias pertinere ad

a. Statum politiaë Judaicæ, sc. Sceptro ablato; Gen. 49. 10. *Sceptrum non recedet à Juda, & legislator ab interpede ejus, donec venit Schilo, & erit ei expectatio populorum.*

b. Statum orbis sub Monarchia quarta, Dan. 2. 44. *in diebus Regum illorum, sub regno quarto, nempe Romano, eriget Deus cæli regnum, quod in secula non corrumpetur, &c.* quod regnum est hujus Mediatoris Jesu.

c. Statum œconomiaë legalis, quæ exigit præsentiam Templi secundi & cultus Levitici, ut est ædificatio Hieros. quoad *forum & fossam, ædificatio urbis & sancti, sacrificium & donum &c.* Dan. 9. 24, 27. Hag. 2. 8-11. Mal. 3. 1.

γ. Ex definitione familiaë & loci; Mich. 5. 1. *Tu Bethlebem Ephrata parva es, ut sis inter familias Judæ? ex te mihi prodibit (Judex) ut sit Dominator in Israël, &c.*

2. In specie, Jesum esse Christum, Afferimus,

a. Ex omnibus requisitis ortus ejus, quippe qui natus est in plenitudine temporis, Gal. 4. 4. loco à Propheta designato, qui fuit Bethlehem, Luc. 2. 6. Filius Davidis ex matre Virgine, Jes. 7. 14. *ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, &c.*

b. Ex dictis & gestis; quippe qui docuit, fecit, & passus est omnia illa, quæ à Prophetis erant prædicta. Docuit enim Euangelium, Luc. 4. 21. Jes. 61. 1. additis miraculis & signis, quæ fecit convenienter Prophetiaë Joël. 2. 26. *fecit vobiscum ad miraculum usque &c.* confer. Joh. 7. 31. *Ex turba multi crediderunt in eam, & dicebant, Christus quum venerit, num signa plura edet iis, quæ hic edidit?* Denique passus est mortem crucis, convenienter Ps. 22. 69. Jes. 53.

c. Ex consequentis, Christi adventum sequutis, quippe qui non solum resurrexit ex mortuis, & ascendit in cœlos, sed testes utriusque solenni effusione Spir. S. fecit ἀνοσίστως, Act. 2. 1--17, 32, 33. quorum præconium gentes ab idololatria reduxit ad Deum rejectis Judæis, qui Euangelio non obsecundarunt.

(R 2)

β. De-

- β. Defendimus veritatem contra objectiones, quas desumunt,  
 a. Ex promissionibus conditionatis, conditiones tamen non exprimentibus, obtinentes, peccata Judæorum hoc bonum ab illis avertisse.  
 b. Ex defectu conditionum, cum regno Christi inferendarum, quas nondum orbis conspexit, ut sunt *accursus populorum ad montem domus Jehovæ, elatio ejus montis super omnes alios. Profunda inter gentes excisis armis pax, &c.* Jel. 2. 1-5. *ut lupus cum agno, pardus cum hædo &c. simul quiete recumbant*, Jel. 11. 6--9.  
 c. Doctrinam hanc esse seductionem ab unitate Deitatis, & introduxisse Deorum multiplicationem, atque adeo novam idololatriam.  
 d. Eliam nondum venisse, qui debebat præmitti; Mal. 4. 5. *Ecce mitto vobis Eliam Propbetam, antequam veniat dies Jehovæ magnus & tremendus.*

B. PERSONA Mediatoris distinctius considerari debet, atque ibi expendi

⌘. *Aptitudo requisita ad munus mediatorium.*

- a. Mediatorem debuisse esse θεῶν ὁρατὸν, constat per vaticinia,  
 Jel. 7. 14. *יְהוָה עִמָּנוּ nobiscum Deus.* Cap. 9. 5. *Puer natus est nobis, filius datus nobis, super cujus humero est principatus, & vocatum est nomen ejus, admirabilis, consiliarius, Deus Victor, Pater æternitatis, Princeps pacis.* Mich. 5. 1. Zach. 13. 7. *Vir proximus Dei.* Et in specie  
 a. *Homo esse debuit, & quidem*  
 1. *Verus*; Gen. 3. 15. *semen mulieris.* Pf. 8. 5. *homo & Filius hominis.* Jel. 9. 6. *quoniam fieri debuit;*  
 i. *יְהוָה*, sive assertor, ac proinde Frater, Deut. 18. 15, 18. Job. 19: 25. Gen. 48: 16.  
 ii. *Sub lege*, ut impleat *δικαίωμα & νόμος*, Pf. 40: 9.  
 iii. *Sub pœna mortis*, quam nostro loco ferre debuit, Jel. 53: 5-7, 12.  
 2. *Sanctus*, יְהוָה: Pf. 16: 10.  
 i. *Quia peccator non potest satisfacere pro se, si enim pravitates servet* *Jab Dominus, quis stabit?* Pf. 130: 3.  
 ii. *Mul-*

- ii. Multominus pro aliis, Pf. 49. 8. *fratrem nullo modo redimet quisquam, non dabit Deo כפרו redemptionis pretium ejus &c.*
- b. *Deus* quoque esse debuit, exigentibus id quoque Prophe- tiis, Gen. 18: 15, 16. Pf. 45. 7, 8. vocatur *Deus*. Jcf. 45. 21, 25. *Ego Jehovah, nullusque amplius Deus præter me, Deus fortis, justus & Salvator, nullus præterquam ego, respicite ad me, & servemini omnes fines terræ, &c.* Neque alias dignitas personæ constaret; talis enim requirebatur,
1. Propter impetrationem salutis; ejus enim obedientia & satisfactio stare non potuisset pro multis, neque satis va- lidus fuisset ad sustinendam iram Dei, nisi penes eum fu- issent æque robur ac justitia, Jcf. 45. 23, 24. *in Jehova omnis justitia & robur est, &c.*
  2. Propter applicationem salutis: non enim homines pote- rant fieri peculium non---Dei, aut mera creatura Caput redemptorum ad vivificandum corpus suum: oportet e- nim, ut talis habeat Spiritum Dei ut suum, quem mit- tere possit. Imo nec hæreditatem Dei decernere. ut Te- stator poterat, nisi ipse Deus esset.
- β. Talem autem fuisse Jesum, ac per consequens muneri Mediatorio aptum, tradit S. S., quando Jesu Christo at- tribuit
- aa. *Utramque naturam,*
1. *Divinam* caracterizatam in personæ Filii: cujus Deita- tem probavimus suo loco.
  2. *Humanam*; illum enim verum fuisse hominem, non au- tem Phantasticum, seu tantummodo secundum speciem externam, ut olim errarunt Gnostici, & hoc seculo im- prudentiores quidam Mennonitæ,
- α. Probamus:
- a. Ex locis, in quibus *Homo* appellatur, Joh. 8: 40. 1 Cor. 15. 21. 1 Tim. 2. 5. & *Filius hominis, Filius Davidis*, Matth. 9. 6, 27.
  - b. Ex partibus naturam humanam constituentibus, agno- scit enim S. S. in eo,
    - a. Mentem junctam corpori: de corpore, Heb. 10. 5. *corpus* (R 3) *adapta-*

*adaptasti mihi.* Matth. 26. 28. 1 Pet. 2. 24. de anima, Jcf. 53. 10, 11. Matth. 20. 28. 26. 38. *anima mea est undiquaque trifis usque ad mortem.*

b. Affectiones qualescunque humanas cum corporeas, ut *esurire*, Matth. 4. 2. *fitire*, Joh. 4. 7. 19. 28. tum spirituales, ut *ira* & *compassio*, Marc. 3. 5. *Tristitia*, Matth. 26: 38.

c. Ex morte ejus, in quo Spiritus Deo, corpus sepulchro traditum, Luc. 23. 46, 53.

β. Defendimus contra objectiones ex locis, Pl. 22. 7. *Vermis sum, non Vir, opprobrium hominum & contemptus populi.* Rom. 8. 3. Phil. 2: 6, 8.

bb. Utriusque naturæ unionem personalem, Joh. 1: 14. *ὁ λόγος ὁ ἀρξ ἐγένετο, sermo caro factus est, &c.* Phil. 2: 6, 7. 1 Tim. 3: 16. circa quam unionem notare oportet,

*AA.* Quid sit, seu quomodo natura una ad alteram se habeat?

I. Sententia orthodoxa docet hanc unionem,

a. Causam habere Patrem, Heb. 10: 5. & Filium ipsum, Phil. 2: 7. cumque conjunctio naturarum sit opus ad extra, jure tribus personis communis censenda est.

b. Modum definimus esse *mysteriosum*, 1 Tim. 3: 15. *plenarium* Col. 2: 9. *arctum*, ut una tantum constituatur persona, Matth. 1: 23. & *constantem*, ut non solvatur.

II. Sententia heterodoxa, olim ventilata, cernitur in erroribus oppositis, hinc Nestorio adscriptis, illinc Eutychi; (quamvis de Nestorio res non adeo evidens sit; ut insigni tractatu suppresso nomine ostendit Cl: Derodon) Hic cavet Ecclesia,

i. Ne ex duabis naturis duas personas conficiamus, qui error Nestorii dicitur, cui opposuit vocolas *ἀδιαιρέτως* & *ἀχωρίσως*. Discretionem negamus vi testimoniorum, 1 Tim. 2: 5. Gal. 3: 16. Individuam statuimus unionem, nequidem in morte separatam, qua mansit Dominus gloriæ etiam crucifixus; 1 Cor. 2: 8.

ii. Ne duas naturas in unam patiamur confundi aut converti, qui error Eutyichianorum fuit, cui oppositæ vocolæ *ἀτρέπτως*, & *ἀσυγχύτως*. Hunc errorem fere revocarunt,

a. Ana-

- a. Anabaptistæ quidam, statuente conversionem Deitatis in humanitatem per commutationem unius naturæ in aliam. Contra quos defendimus illud antiquorum ἀπίπτος.
- a. Probamusque sententiam orthodoxam,
- i. Ex immutabilitate Deitatis, suo loco probata.
  - ii. Ex locis utramque naturam distinguentibus, Rom. 1: 3, 4. dicitur factus ex semine Davidis secundum carnem, & declaratus Filius Dei potenter secundum Spiritum sanctificationis. Adde Rom. 9: 5.
  - iii. Ex proprietatibus utriusque naturæ distinctis, & simul consistentibus: de quibus videbimus postea.
- β. Defendimus contra objectiones, ex Joh. 1. 14.
- b. Lutherani proprietatum communicationem statuente, quibus opponimus illud antiquorum ἀσυγχύτως, & quorum errorem sequenti articulo refutabimus,
- BB.** Qui sint unionis effectus, indagandum porro; Theologi duos recensent,
- i. Communicationem *χαρασμάτων*, quæ consistit
    - a. In communicatione decoris à Deitate naturæ humanæ accedentis, qua Filius hominis factus est Filius Dei, non adoptivus, sed verus & proprius; juxta Rom. 8: 32. *qui quidem proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum*, Heb. 7: 26.
    - β. In communicatione donorum & habituum, Joh. 3. 34. *Is, quem misit Deus, verba Dei loquitur, non enim admetitur Deus ei Spiritum*. Col. 2. 3. *In Christo sunt omnes thesauri sapientiæ ac cognitionis absconditi*. Heb. 7: 27.
    - γ. In communicatione potestatis, ad exercitium operis Mediatorii requisitæ. Matth. 28: 18. Joh. 5: 27. *Pater dedit Filio auctoritatem etiam judicium exercendi, quatenus Filius hominis est*. Matth. 9. 6.
    - δ. In communicatione honoris, ut tota persona sit adoranda, Heb. 1. 6. *adorent eum omnes Angeli Dei*; adde Phil. 2. 10, 11. *propterea dedit ei Deus nomen super omne nomen, ut ad nomen Jesu omne genu se flectat, -- omnisque lingua confiteatur, Dominum esse Jesum Christum, &c.*
  - ii. Communicationem idiomatum; ubi.

Sen.

- aa.* Sententia orthodoxa communicationem agnoscit,
- a.* *Realem*, quicquid Lutherani calumniantur, nos eam negare. Hanc dicimus consistere in eo, quod personæ ab una natura denominatæ adscribantur proprietates ejusdem naturæ; Mat. 20. 28.
- b.* *Verbalem*, quando de persona ab una natura denominata prædicantur proprietates alterius naturæ: Joh. 3. 13. Act. 20. 18.
- bb.* Sententia aberrans Lutheranorum, nata ex defensione doctrinæ consubstantiationis, statuit proprietates divinæ naturæ communicari cum humana natura.
- a.* Rejicimus hanc sententiam
- i.* Ob multas absurditates; manifestum enim est, proprietates esse incommunicabiles, alias non manent proprietates; deinde esse constitutivas essentiae divinæ, ac proinde sine communicatione Deitatis communicari non posse; adde, quod proprietatum divinarum sit intima identitas inter se, ut sine aliis communicari non possint.
- 2.* Si unio personalis naturarum talem communicationem exigat, deberet illa esse reciproca, ac proinde humana natura suas proprietates deberet communicare cum divina.
- 3.* S. S. ipsa negat attributa, de quibus est quæstio, competere humanæ naturæ.
- i.* Omniscientiam non esse cum mente Christi communicatam, patet; quia *crescendo corroborabatur Spiritu; implebaturque sapientia*; Luc. 2. 40. & *ψ. 52.* dicitur *profecisse sapientia & statura*; *Ec.* Marc. 11. 13. Cap. 13. 32. dicitur *nescivisse diem ac horam ultimi judicii.*
- ii.* Nec omnipræsentiam; Matth. 26. 11. *Me non semper habebitis vobiscum*; Joh. 11. 15. *gaudeo---me illic sc.* apud Lazarum *non fuisse; sed eamus ad eum.* Adde Joh. 16. 28. Luc. 24. 51. dicitur *sublatus ab iis celum.* Et Act. 3. 21. dicitur *ibi manere usque ad tempora restitutionis omnium &c.*
- β.* Vindicamus contra objectiones;
- 1.* Ex locis; Col. 2: 9. *plenitudo Deitatis habitat in Christo.* cor-  
pora-

*poraliter. Corporaliter*, ergo in corpore Christi infunt attributa divina. Matth. 28. 20. *ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.*

2. Ex ratione, quia Christus sedet ad dextram Dei, quæ ubique est.

CC. Quo tempore conspicua facta sit?

i. In conceptione; ubi asserimus,

α. Christum carnem non ex cœlo deduxisse, aut ex femine æterno; contra quosdam Anabaptistas, non attendentes Dei immutabilitatem hæc non pati, & ejus spiritualitatem indivisibilem esse. In hunc errorem incidunt ex *παρεμνοια* locorum Matth. 1. 20. *quod in ea*, sc. Maria, *genitum est*, ex S. Spiritu est, Joh. 3. 13. 6: 32, 33, 52.

β. Sed ex matre virgine.

a. Quia *Filius hominis*, Matth. 16. 13. *Mariæ*, Matth. 1. 18. & *Davidis* vocatur. Rom. 1. 3.

b. Quia *fructus ventris* dicitur, Luc. 1. 42. & *lumborum*, Act. 2. 30. nec non *semen mulieris*, Gen. 3. 15.

c. Quia confertur cum reliquis natis, Heb. 2. 14, 17. Nec movet nos ratio desumpta ex doctrina Aristotelis, negantis, mulieres semen habere: aut metus, quod inde peccator nasceretur, qui nullus est.

ii. In nativitate, quam factam credimus;

α. Salva virginitate, Jes. 7. 14. Jer. 31. 22. *creavit Dominus novum in terra נקבה תסובב בבר*, *fœmina circumdabit virum.*

β. Nec tamen propterea utero clauso natum fuisse necesse est: contrarium innuitur, Luc. 2. 23.

γ. *Auctoritas*, ad munus illud mediatorium exequendum requisita, debuit profluere ex voluntate Patris, munus illud obeundum Filio concedentis, & ad id obligantis; hinc dicitur,

αα. *Mediator*, 1 Tim. 2. 5, 6. Heb. 9. 15, 12. 24. cujus est non apud homines, sed apud Deum conciliationem efficere; cum enim Mediator inter partes dissidentes pacem facit, conciliatio mediationis effectum est.

a. Hoc opus conciliationis contra Socin. statuimus, esse conciliationem nostram, apud Deum impetrandam.

(S)

I. Quia



1. Quia Deus concipitur ut iratus, & erga peccatum & peccatores succensus, atque ita conciliandus, Rom. 5. 10. *quum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem Filii ejus, &c.* 2 Cor. 5: 19, 21. Eph. 2. 17. Col. 1. 20, 21.
2. Quia Mediator est ex sponfione ἀντιλύτης, pro peccatoribus solvendi: *nam Filius hominis venit-- ut daret animam suam* λύτρον ἀντὶ πολλῶν, Matth. 20. 28. 1 Tim. 2: 5, 6. Heb. 7. 22.

Exequitur autem idem opus secundum utramque naturam, hinc Mediator agnoscendus est.

1. Secundum naturam divinam contra Stancarum.
2. Secundum naturam humanam contra Osiandrum.
- c. Mediator ille unicus est & solus, contra Pontificios, plures Mediatores statuentes. Π. ψ. ut invocationem Sanctorum tueantur.
- a. Probamus contrarium,
  - i. Ex locis disertis, 1 Tim. 2: 5. *unus Deus & unus Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.* Act. 4. 12. Joh. 14. 6.
  - ii. Ex requisito jure expiationis, soli Christo competente, qua Christus est propitiatio pro peccatis nostris, 1 Joh. 2. 2. Heb. 9. 25.
- β. Defendimus contra objectiones desumptas ex Deut. 5. 5. coll. Gal. 3. 19. ubi Moses dicitur Mediator: & ex Job. 42. 8. ubi Job proponitur ut intercessor, qui oraret pro amicis.
  - bb. Christus, sive Unctus ad tria munera,
- I. PROPHETICUM (Messiæ debitum) juxta Prophetias, Deut. 18. 18. *Prophetam suscitabo eis è medio fratrum ipsorum sicut tu es; & indam verba mea ori ejus, ut eloquatur eis, quidquid præcepero ipsi.* Jes. 42: 1. 55: 4. 61: 1. Joël 2. 23. vocatur המורה לצדקה Doctus ad justitiam. Quod munus Propheticum etiam Christus exercuit, cujus
- XX. Doctrina conspicua fuit;
- AA. Quoad modum docendi, quem exercuit summa auctoritate; Joh. 3. 31, 32. *qui desursum venit supra omnes est. Qui est ex terra, ex terra est, & ex terra loquitur; qui ex caelo venit, supra omnes est, & quod vidit & audivit, hoc testatur.* Et sic Christus docebat.

*docebat ut auctoritatem habens, Matth. 7. 29. & maxima efficacia; ut cor discipulorum arserit, dum loqueretur iis in via, & aperiret iis Scripturas, Luc. 24. 32. Joh. 6. 45.*

**BB.** Quoad contenta doctrinæ, & quidem

**αα.** *Fidei*, ubi annuntiavit speratam salutem ab ipso acquiri, aut acquisitam, Heb. 2. 3. *salus cœpit dici per Dominum.*

**ββ.** *Morum & legis*, ubi

**a.** Agnoscimus, Christum legem moralem vindicasse à corruptelis Phariseorum; legem autem ipsam correxisse & auxisse contra Socinian. negamus; qui, (Π. ψ.) ut Christo vindicent titulum Servatoris sine satisfactione, jus tituli quaerunt in nova legislatione, qua primus viam vitæ accuratius commonstrârit.

**α.** Probamus autem dogma Socinianorum pugnare,

**i.** Contra legis sanctitatem & perfectionem traditam Ps. 19. 8. *Lex Domini est integra, &c.* & ita quidem, ut *nihil addendum, nihilque detrahendum*, Deut 12. 31. quam perfectionem illi abnegant.

**ii.** Contra sanctitatem Dei, cujus delinatio exhibita fuerat in lege, Rom. 2. 18. 20.

**iii.** Contra Dei sinceritatem; coguntur enim accuratiorem legislationem conjungere cum acceptilatione quadam, ut Deus ita pro justitia accipiat, quod normam non exhaurit; quæ pudenda hypocrisis est.

**iv.** Contra ipsum testimonium Christi, Matth. 5. 17, 19. *ne putate me venisse, ut dissolvam legem aut Prophetas: non veni ut dissolvam, sed ut impleam; Amen enim dico vobis, usque dum præterierit cœlum & terra, jota unum aut unus apex nequaquam præterierit ex lege, usque dum omnia facta fuerint, &c.*

**β.** Defendimus contra objectiones.

**i.** Ex locis correctionem indicantibus, ut putant, Matth. 5. 27. & seqq. *audivistis dictum esse Veteribus. Ego vero dico vobis, &c.*

**ii.** Ex novo mandato allegato; Joh. 13. 34. *Mandatum novum do vobis, ut alii alios diligatis, &c.* Præceptisque exhibi-

tis, Matth. 16. 24. *si quis vult, præcipit Christus, post me venire, abneget seipsum, &c.*

b. Agnoscimus etiam, Christum legem cærimoniam ita implevisse, ut in ipso finem acquisiverit: quippe qui in se ipso rem significatam exhibuit, atque adeo intentioni legislationis istius satisfecerit, ut cum ipso abrogari debuerit, quod

a. Probamus contra Judæos, æternitatem legis cærimonialis defendentes:

i. Quia pertinebant præcepta legis cærimonialis ad legem placitorum, seu *præcepta non bona*, Ezech. 20. 25. coll. 11. quæ cum τελείωσει N. T. non consistunt; admittit enim tantum legem, quam Deus inscribit in cordibus, Jer. 31. 33.

ii. Quia præcepta legis sacrificiorum & purificationum non sunt per se Deo grata, Jes. 1. 1--14. *quorsum mihi multitudo sacrificiorum vestrorum? dicit Jehova, satur sum holocaustis arietum, quis quæsit hoc à manu vestra? &c. Non delector sacrificio, sed benignitate, & cognitione Dei magis, quam holocaustis*, Hof. 6. 6.

iii. Quia lex & *קדוש* legislator tantum obtinuit usque in adventum Christi, Gen. 49: 10. & Christus implere debuit, quod lex non poterat, Ps. 40. 7, 8, 9. Unde sacrificia cum ejus adventu cessare debuerent, Dan. 9. 24, 27. *abolebitur sacrificium*, sc. post Messiam excisum, & *munus*. Hab. 2. 3. *ecce clivatur, cujus est anima non recta in ipso*, h. e. qui rectitudine amoris, desiderii & fidei animam suam non recte dirigit ad Præconem & Testem illum, sed ad clivum se recipit, ut eo se muniat ad securitatem (templum sc. in monte ædificatum ceu munimentum apprehendit, & sacrificia sectatur; adeoque his ceremoniis inhærere vult) ille non justus est, adeoque nec vivet, &c.

β. Defendimus contra objectiones Judæorum urgentium,

i. Fœdus Abrahami seu circumcisionis datum fuisse לְעוֹלָם, Gen. 17. 7.

ii. Deum non fuisse mutabilem, ac proinde non mutare legem suam.

γγ. *Prophetiarum*: Christus enim fata Ecclesiæ pluribus locis evidend-

denter explicuit, quibus & eventus responderet: Vide Matth. 24. & 25.

CC. Quoad originem, asserimus Christum hæc omnia tradidisse, & tradere potuisse propter communicationem charismatum; quia erat Filius Dei æternus, conscius cum Patre consilii pacis & confors; ut frustra Sociniani fingant, eum ante auspiciis muneris Prophetici in cælum raptum fuisse, ut ab ipso Deo audiret & doceretur ea, quæ mox mundo annunciaturus esset.

a. Hoc figmentum rejicimus exinde,

a. Quod Christus non nisi *semel intravit in cælum*, Heb. 9. 12.

b. Quod Sacerdos non nisi *cum sanguine debuit intrare*, Heb. 9. 7. itaque nec Christus ante sanguinis effusionem.

c. Quod Christus nullibi mentionem de hoc raptu faciat, neque Christus isto opus habuerit, cum esset ipse *Deus manifestatus in carne*, 1 Tim. 3. 26.

β. Respondemus facile

a. Ad testimonia, quæ dicunt, *Christum descendisse de cælo*, Joh. 3. 13. ante ascensionem illustrem prius fuisse in cælo, Joh. 6. 62. & sua didicisse à Patre, Joh. 8. 38. *Ego loquor*, inquit Christus, *quod vidi apud Patrem meum*, &c.

b. Ad conjecturam ex raptu Mosis & Pauli: unde colligunt non minus Christo evenire debuisse.

CC. Miracula, quibus doctrinæ divinitatem confirmavit: quæ fuerunt maxima, ut Joh. 9. 32. *Ab ævo non est auditum, aliquem aperuisse oculos ejus, qui cæcus natus fuerit*, quemadmodum Christus fecit; hinc laus Christi exprimitur, Luc. 24. 19. *quod fuerit Prophetæ, potens operibus & sermonibus coram Deo & toto populo*. Frequentissima, ut in Euangelio affatim, & quod maximum est, propriæ potestatis opera, Matth. 9. 35. *sanabat quemvis morbum, & quemvis languorem in populo*. Imo Cap. 10. 1. dicitur *dedisse etiam potestatem Discipulis, ut & illi eicerent Spiritus impuros, & sanarent omnem morbum*, vide Joh. 14. 12.

CC. Exemplum vitæ sanctissimæ, quod exhibuit, 1 Pet. 2. 21. *reliquit nobis exemplar, ut insequeremur vestigia ipsius. Et ambulare debemus sicut ille ambulavit*, 1 Joh. 2. 6.

II. SACERDOTALE munus, quod Christo competere debuit secundum

dum vaticinia, Ps. 110. 4. *Juravit Jehova, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in seculum, secundum ordinem Melchisedek.* Zach. 6. 13. *erit Sacerdos in throno ejus, &c.* Hinc offerendo, illinc intercedendo, quod utrumque prædictum est, Jes. 53. 10, 12. *anima ejus posuit lytrum, -- in mortem effudit animam suam, quum ipse peccata multorum ferret, & pro defectoribus intercederet.* Hoc munus Jesum exercuisse secundum utramque muneris partem explicat Script. N. T.

*A. Oblatio Sacerdotalis memoratur, Heb. 9. 14. Sanguis Christi, qui per Spiritum æternum se ipsum obtulit immaculatum Deo, purificabit conscientiam &c. ubi*

i. Sacerdos est ipse Christus.

ii. Victima idem, secundum humanam naturam, *per oblationem corporis Christi, Heb. 10. 10. 1 Pet. 2. 24. expians unica oblatione, Heb. 9. 26. Nunc semel circa consummationem seculorum ad abolitionem peccati cum sacrificio suo manifestatus est.*

iii. Locus oblationis in terra, imo in cruce; quod contra Socinianos notandum, qui Christum non in terra, sed demum in cœlo Sacerdotem factum fuisse, ut doctrinam satisfactionis elevent, statuunt.

*a. Refutamus eorum sententiam,*

*a. Quod omnis Sacerdos, ejusque oblatio restringatur ad terram, Heb. 5. 1. ita ut & Christus comprehendatur.*

*b. Quia oblatio Christi in terra facta dicitur, cum se ipsum tradidit pro nobis oblationem ac victimam Deo, in odorem bonæ fragrantie, Eph. 5. 2. Qua una oblatione consummarvit in perpetuum, qui sanctificantur, Heb. 10. 14.*

*c. Quia sacrificium supponitur absolutum ante ejus ascensionem in cœlum, quippe demum facta purgatione per seipsum, consedit ad dextram Majestatis in altis, Heb. 1. 3. Cap. 9. 12. eterna redemptione inventa--intravit in sanctum, Adde Heb. 10. 12.*

*d. Quia oblatio Christi ponitur ut una vice semel peracta, ac proinde ab intercessione in cœlis peragenda discernitur, ut aliquod præmissum. Heb. 9. 25, 28. Christus semel oblatus ad multorum peccata ferenda, &c. Cap. 10. 12. Christus, una pro peccatis oblata hostia, in perpetuum consedit in dextra Dei.*

β. Ob-

- β. Obijciunt Adversarii testimonia, quod *debeamus habere Pontificem, qui pertransiit cœlos*, Heb. 4. 14. *Siquidem enim esset in terra, ne quidem esset Sacerdos*, Heb. 8. 4. vide Heb. 7. 26.
- B. *Intercessio* est secundus actus muneris Sacerdotalis, quâ perpetuo repræsentans valorem sacrificii sui, repetit operæ pretium, electos nempe in peculium, & omnia dona illis necessaria; Rom. 8. 34. *ad dextram Dei sedens intercedit pro nobis*. Heb. 9. 24. *in cœlum introiit Christus, ut nunc appareat coram facie Dei pro nobis*. Quod omnino prodest, quippe prius *ἱλασμός* factus, jure jam *noster est advocatus*, 1 Joh. 2. 1, 2.
- III. REGIUM munus Christo competens juxta vaticinium, Ps. 2. 6. *Unxi Regem meum in Sionem, Montem sanctum meum. Super ejus humero est principatus*, &c. Jes. 9. 5, 6. Hof. 3. 5. etiam Jesu asseritur in Euangelio: ubi simul notantur,
1. Regni qualitas, nempe quod sit spirituale, non mundanum, Joh. 18. 36. *Regnum meum non est ex hoc mundo. Sed regnum Dei est justitia, & pax, & gaudium in S. Spiritu*, Rom. 14. 17.
  2. Eiusdem amplitudo, qua *Ipsi data est omnis potestas in cœlo & in terra*, Matth. 28. 11. Nam *Pater omnia subjecit pedibus ejus, eumque constituit Caput super omnia ipsi Ecclesiæ*, Eph. 1. 22.
  3. Muneris partes, quæ sunt,
    - i. Gubernatio cum omni dispensatione gratiæ; Ps. 45. 7. *Solum tuum, ô Deus, in seculum & perpetuum, sceptrum rectitudinis est sceptrum regni tui*; in quo notatur jus & possessio regni cum administratione regni, sive judicio. Ps. 110. 2. *Virgam roboris tuam mittit Dominus è Sione: Dominare in medio inimicorum tuorum*, h. e. collige Ecclesiam tuam inter hostes, sive illi repugnent, sive non &c. *populus tuus ut Regi suo dicatus voluntariæ oblationes sunt--in ornamentis sanctitatis*, h. e. ornati & induti charismatibus S. Spiritus, & fructibus gratiæ tuæ, &c.
    - ii. Defensio, Rom. 8. 31. &c. *Si Deus pro nobis, quis contra nos? --quis intentabit crimina adversus electos Dei? --quis condemnabit? --quis nos separabit à charitate Christi? -- In his omnibus plus quam Victores sumus per eum, qui dilexit nos*. Nam *virtute ejus custodimur per fidem ad salutem*, &c. 1 Pet. 1. 5.

1. *Fidelitas* Sponsoris, in munerum istorum executione exhibita, conspicitur in vitæ genere secundum duplicem statum, humiliationis nempe & exaltationis, Phil. 2. 7--11.
- a. *Humiliationis status* hos agnoscit gradus,
- a. Quod passus sit Jesus, 1 Pet. 2: 21. Act. 26. 23. cujus passionis subiectum est tota Christi persona, quo est humana natura secundum carnem & mentem, 1 Pet. 4: 1. Matth. 26. 38. Luc. 22. 44. Gravitas pellucet exinde, quod tentatus fuit à Diabolo, Luc. 22. 53. *hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Et aliquo usque desertus à Patre, Matth. 27. 46. *Deus mi! Deus mi! Quare me dereliquisti?*
- b. Mortuus est, id est, extinctâ vita animali in corpore, Spiritus rediit ad Deum, ut vera separatio mentis à corpore in eo locum habuerit, docente historiâ passionis, & Heb. 2. 9.
- c. Sepultus est, Matth. 27. 59, 60.
- d. Descendit ad inferos. Act. 2. 27. de cujus articuli sensu multum litigatur inter Doctores. *Pontificii* descendisse ad Limbum Patrum volunt à morte, non attendentes, quod ille Limbus *ἀγέρο* sit, (ut cap. præc. à nobis refutatatus est) & quod Christus à morte illico abierit in Paradisum secundum animam, Luc. 23. 43. *Lutherani* ad ipsum infernum animam Christi abiisse, ut ostentaret Christus triumphum suum, volunt, non considerantes hunc articulum non ad exaltationem pertinere, sed ad humiliationem. Ex *Reformatis* de statu Christi in passionibus q. gehennali explicant *bi*, *alii* de ipsa sepulturâ; de quo ad Catechetica.
- β. *Exaltationis status*, quæ tertio mortis die primordium accipit, sequentes agnoscit gradus:
- a. *Resurrectionis*, Matth. 28. 6. 1 Cor. 15. 3. quæ est animæ cum corpore reunio, Joh. 10. 18. unâ cum gloriæ majoris assumptione, Phil. 3. 21.
1. Causa ejus efficiens ponitur,
- i. Tota Deitas, Act. 2. 32. *Hunc Jesum excitavit Deus.* Et Pater, Eph. 1. 20. per Spiritum, Rom. 8. 11. *Spiritus ejus excitavit Jesum à mortuis, &c.*
- ii. Ipse Christus Deitatis suæ viribus sibi ipsi hoc præstitit. Chri-

Christum enim ex mortuis suâ resurrexisse potentia,

- a. Probamus contra Socinianos, hoc argumentum pro Deitate Christi nobis eripere conantes.
  - a. Quia Christus id ipsum de se promisit & prædixit, Joh. 2. 19. *destruite templum hoc, & tribus diebus erigam illud.*
  - b. Quia hanc amplissimam potestatem sibi ipsi asseruit, Joh. 10: 17, 18. *Pater me diligit, quia pono animam meam, ut rursus eam assumam -- potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo rursus eam assumendi: Hoc mandatum accepi à Patre meo.*
  - c. Quia ipse robur mortis habentem cum hoc triumpho dicitur devicisse, Heb. 2: 14. 1 Cor. 15: 55-57.
- β. Defendimus contra objectiones desumptas,
  - a. Ex ratione, quod nemo se ipsum possit suscitare.
  - b. Quod Act. 2: 24. dicitur à Patre suscitatus.
  2. Circumstantia temporis est, quod id factum fuerit tertio die; Act: 10: 40. 1 Cor. 15: 4.
  - b. *Ascensionis*, Act. 1: 11. Eph. 4: 10. in quo statu notare oportet,
    1. Localem translationem corporis redivivi in sedem beatorum, contra Lutheranos, illam loci mutationem rejicientes. Π. Ψ. ut corporis glorificati ἀνοίαν defenderent, atque ita omnipræsentiam corporis Christi cum doctrina de consubstantiatione conjungerent.
- α. Probamus nos hanc localem translationem.
  - a. Quia Christus dicitur *terram dereliquisse*, Joh. 16: 28. Matt. 26: 11.
  - b. Quia cœlum ingressus dicitur cum contradictione ad terrestrem præsentiam, Eph. 4: 10. *qui descendit, ipse est, qui etiam ascendit longe supra omnes cœlos*, Heb. 10: 12.
  - c. Quia Christus inter dogmata Pseudoprophetarum refert, docere, quod adhuc in terris esset, Matth. 24: 24, 26, 27. *surgent Pseudoprophete, -- si dixerint vobis, ecce, in deserto est, ne egredimini; ecce, in conclavibus, ne credite &c.*
- β. Defendimus contra objectiones, quas pro omnipræsentia corporis adducunt, antea allegatas.

(7)

2. Veri



2. Veri & proprii corporis glorificationem, contra Socinianos, statuentes Christum inter ascensionem aliud corpus accepisse priori absorpto. Π. ψ. est, ut defenderent hæc ipsa corpora in die resurrectionis non excitanda esse: sed alia substituenda. Contrarium tamen evidenter docet S. S.
- i. Quod caro Christi non debuit corrumpi, Pf. 16: 10.
  - ii. Quod idem corpus Christi conspicietur in iudicio, Apoc. 1: 7. *ecce venit cum nubibus; & videbit eum omnis oculus, etiam qui eum transfixerunt, &c.*
  - iii. Quod ascenderit id ipsum, quod resurrexit, Act. 1. 11. coll. Luc. 24: 39.
- c. *Sessiois ad dextram Patris*, Eph. 1: 20. *collocavit Eum ad dextram suam in cælis. Heb. 1: 3. sedit ad dextram Majestatis.* Quæ non notat omnipræsentiam carnis cum gloria assumptæ, ut Lutherani volunt, jam satis refutati, ubi de communicatione idiomatum actum; sed notat
1. Supremam gloriam & honorem, Eph. 1: 20, 21. Heb. 2: 7, 8. *gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ipsius. In eo enim, quod subjecit omnia, nihil omisit, quod ipsi non subjiceretur, h. e. summa ipsi est gloria & honor, quod eum assumpsit in cælos, ut esset Rex & Caput Ecclesiæ, ad quem respiciant fideles, dedit ei potestatem in cælo & in terra, subjecit Ei Ecclesiam ut Capiti, & alia omnia ad bonum Ecclesiæ, &c.*
  2. Et regnum, Rom. 14: 9. *ad hoc enim Christus & mortuus est, & resurrexit & revixit, ut & mortuis & viventibus dominetur.* Quorsum spectat exercitium regii muneris.

## C A P U T VII.

*De Impetratione Salutis.*

**C**Hristus in hoc duplici statu sua obiens mûnera is est, per quem Deus executus est præparationem salutis, quam in statu

tu exaltationis præcipue applicat. Prima executio fit extra nos; Altera in & cum nobis. Hic itaque locus est agendi de *Impetratione salutis*, quam appellamus acquisitionem immunitatis ab omni malo peccati, & juris ad vitam sanctam & gloriosam, justitiæ & constitutioni Dei consentaneam, Christi satisfactione & merito partam, ad salutem eorum, quos Pater illi dederat. Oportet ut hic attendamus

*AA.* Ad partes hujus impetrationis; quæ sunt,

*NN.* *Satisfactio seu præstatio* eorum, quæ à lege pœnam statuente peccatis exigebantur; hujus

*a.* Natura conspicienda;

*a.* Genus non est acceptilatio, quippe pugnans cum justitia Dei; nec legis abrogatio, quam non admittit S. S. Matth. 5: 18. Rom. 3: 25. 26, 31. Sed vera debiti solutio, in quantum quis dici potest debitor pœnarum.

*b.* Causa satisfactionis,

1. Exigens est Deus Pater, ut custos juris Deitatis, & vindex legis, Joh. 3: 16. 2 Cor. 5: 18. *Hæc omnia sunt ex Deo, qui reconciliavit nos sibi per Jesum Christum.* Misericordiam cum justitia ita attemperans, ut neutri quicquam detrahatur, confer Rom. 1: 32. cum cap. 8: 32.

2. Solvens & faciens satis est ipse Filius Dei, consideratus ut Sponsor & Mediator, Joh. 15: 13. Gal. 2: 20.

*c.* Finis est,

1. Demonstratio justitiæ Dei, Rom. 3: 25. simul cum ostensione misericordiæ, Eph. 1: 7. *in quo sc. dilecto Dei Filio habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum ex divite ipsius gratia.*

2. Electorum immunitas ab ira & omnibus sequelis peccati; Tit. 2: 14. *Christus dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, &c.*

*β.* Præstatio seu exercitium; asserimus autem talem satisfactionem fuisse,

*aa.* *Necessariam*, ut peccator posset cum Deo redire in gratiam.

*a.* Hanc necessitatem probamus contra Socinianos,

(T 2)

i. Ex

- i. Ex iustitia Dei vindicativa, alibi asserta & vindicata,  
 ii. Ex postulato legis operum, quam abrogari non posse, supra probavimus,  
 iii. Ex veritate Dei, poenarum exactioem,  
 α. Comminantis, Gen. 2: 17. Deut. 27: 26.  
 β. Præfigurantis in omnibus sacrificiis, Heb. 9: 9.  
 γ. Prædicentis, Jes. 53: 3, 4.  
 iv. A posteriori, quoniam Christus dicitur ad ostensionem iustitiæ divinæ morti traditus, & secundum decentias Dei, Rom. 3: 25, 26. Heb. 2: 10.
- β. Defendimus contra objectiones Socinianorum, qui animadvertentes, ab hoc dogmate pendere reliqua, quæ mysteria fidei appellantur, potius hanc doctrinam enervare voluere, quam ut mysteria Theologiam naturalem excedentia admittant. Nos autem,  
 α. Hanc doctrinam evidenter asserimus ex titulis, sub quibus Christus commendatur:
- A. *Sponsoris*, qui titulus infert substitutionem Christi loco redimendorum. Hæc substitutio fit manifestior  
 α. Ex voculis seu præpositionibus, ὑπὲρ & ἀντὶ, Matth. 20: 28. Rom. 5: 7, 8. 2 Cor. 5: 15, 21. 1 Tim. 2: 6.  
 β. Ex phrasi, gestare peccata & excipere in eum incurrentia, Jes. 53: 2--7, 11. 1 Pet. 2: 24.  
 γ. Ex denominationibus, quibus Christus ipse dicitur factus ἀμαρτία, 2 Cor. 5: 19, 21. καθ' ἕω, Gal. 3: 10, 13.
- B. *Redemptoris*, cujus est veri & sufficientis pretii solutione, Judici factâ, redimendis promereri dimissionem ex regno peccati, atque adeo & immunitatem ab omnibus malis peccati. Huc pertinent voces λύτρω, ἀντιλύτρω, ἀπολυτρώσεως, &c. Pf. 69. 5. Matth. 20: 28. Act. 20. 28. Rom. 3: 24. 1 Cor. 6. 20. *Emti eslis pretio*: Gal. 3. 13. *Christus nos redemit ab exetratione legis, dum pro nobis factus est execratio*, &c. cap. 4. 4, 5. Eph. 1. 7. coll. 1. 14. 1 Tim. 2. 5, 6. 1 Pet. 1: 18, 19.
- C. *Sacerdotis* seu Pontificis, cujus est oblata victima redimendos ita purificare & expiare, ut salvis decentiis Dei cum Deo reuniri, & ad communionem admitti possint. Hinc Christi victimæ attribuitur,

αα.

Cap. VII. DE IMPETRATIONE SALUTIS. 149

aa. Ἰλασμός, Eph. 5: 2. Heb. 9. 12, 13, 14, 22, 23, 28. Cap. 10.

14. 1 Joh. 2. 2. *Christus est ἰλασμός ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, propriatio pro peccatis nostris.*

bb. Purificatio ab omni reatu, Heb. 1: 3. *per se ipsum purgatione facta peccatorum nostrorum, sedit ad dextram.* 1 Joh. 1. 7. *sanguis Jesu Christi Filii Dei purificat nos ob omni peccato.*

D. *Mediatoris*, cujus est partem offensam conciliare, ut cum parte offendente redeat in gratiam; cui includitur ira Dei, sanguine placanda, Rom. 5. 10. *quum inimici eramus reconciliati fuimus Deo per mortem Filii ejus.* 2 Cor. 5. 19, 21. Eph. 2. 17. Col. 1. 19, 22.

β. Vindicamus hanc sententiam contra objectiones, quibus urgent,

i. Satisfactionis dogma excludere omnem gratiam, ab Apostolo tamen tantopere commendatam, Col. 2. 13. *condonavit vobis omnia peccata.* Adde Cap. 3: 13.

ii. Rationem passionum Christi fuisse exemplum dare, cum tamen satisfactio sit inimitabilis, 1 Pet. 2: 21. *Christus passus est pro vobis, relinquens vobis exemplar, ut insequeremini vestigia ipsius.*

iii. Injustum, ut insons puniatur pro fontibus.

bb. *Plenarium* fuisse pro omnibus peccatis tam post, quam ante baptismum commissis, contra Pontificios quosdam, constat,

1. Ex universalibus assertionibus nullam exceptionem relinquentibus, Rom. 8. 1. *Nulla est condemnatio iis, qui sunt in Christo Jesu,* 1 Joh. 1. 7.

2. Ex applicatione, quæ fit peccatis post primam gratiam commissis, 1 Joh. 2. 2.

3. Ex effectu τελειώσεως, quæ Christi sacrificio adscribitur: Heb. 10. 14. *unā oblatione consummarvit in perpetuum, qui sanctificantur,* h. e. vi sacrificii exhibiti contulit electis plenariam peccati remissionem, plenissimum ad vitam jus, &c. Adde Col. 2. 9, 14.

cc. *Absolutam & Actualement*, non autem hypotheticam seu suspensam à conditione humana, contra Remonstrantes. Hoc enim S. S. exigit, ut satisfactio Christi certum obtineat effectum;

(T 3)

Rom.

Rom. 3. 24. 5: 10. Cap. 8. 34. *Quis est, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est, &c.* Coll. 1: 14, 20. *pace per sanguinem crucis Christi facta, per eum reconciliavit omnia sibi, 1 Joh. 2. 2.*

1. Quia conditionata satisfactio absurda est, confer Jes. 53. 5. 2 Cor. 5: 15. *judicamus, si unas pro omnibus mortuus est, ideo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt, non amplius sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.*

2. Quia conditionata incertitudinem faciat decretorum & Testamenti, ac pactum Patris & Filii tollit.

ב. *Meritum Christi*, seu plenariæ legis obedientiæ, tanquam δικαιώμα vitæ exigentis, pro redimendis præstatio, qua suis jus vitæ & gratiæ impetravit,

I. *Natura* hujus meriti ut intelligatur, attendendum,

a. *Ad genus*, quod est præstatio legis plenaria, seu impletio omnis δικαιώματ & νόμος, Rom. 8. 4. Lex enim vitam non adjudicat, nisi illi, qui fecerit ea, &c. quod clementia Dei interpretatur obtinere quoque, ubi sponsor q. procuratorio nomine hoc præstat pro aliis.

b. *Ad causas.*

1. *Exigentem*, quæ est Pater legi subjiciens Filium, Gal. 4: 4, 5. *misit Deus Filium suum, natum ex muliere, factum sub legem, ut eos, qui legi erant obnoxii, redimeret, &c.*

2. *Efficientem*, quæ est Filius subjectus legi, & obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, Phil. 2. 8. *cujus fuit plenaria sanctitas, quippe ἀνακ & ἀμίαντ, segregatus à peccatoribus, Heb. 7: 26. & obedientia non tantum meritoria sibi, sed & nobis, quia nos reconciliati Deo sumus per eum, &c.* Rom. 5: 10, 11.

c. *Finem*, qui est, ut jus gratiæ & vitæ nobis acquireret, Gal. 4: 5.

II. *Veritas*, quam iidem Sociniani alii que in controversiam vocant: hæc jubet nos credere, non tantum obedientiam Christi passivam, sed & activam, nostro nomine à Christo præstitam, atque adeo meritoriam fuisse,

•. Hoc probamus,

1. Ex

Cap. VII. DE IMPETRATIONE SALUTIS. 151

1. Ex postulato legis, Lev. 18: 5. *qui fecerit ea, vivet in iis;* à Christo impleto in nobis, Rom. 8: 4. *quum legi esset impossibile--Deus misit Filium--pro peccato--ut dix αλωμα & νόμος impleatur in nobis*
  2. Ex munere Christi per Prophetas prædefinito, qui debuit *eternam justitiam adducere*, Dan. 9: 24. Jes. 45: 21. Jer. 23: 6. *fieri Jehovah justitia nostra.*
  3. Ex testimoniis N. T., justitiam nostram ex Christo derivantibus, & in ejus obedientia fundantibus, Rom. 5: 18-21. I Cor. 1: 30. *Christus nobis factus est à Deo sapientia, justitia, sanctificatio, redemptio.* Adde Phil. 3: 8, 9.
- β. Defendimus contra objectiones ex testimoniis, Phil. 2: 8. 9. Heb. 12. 2. *Christus pro gaudio sibi proposito sustinuit crucem, ignominiam contemnens, &c.*
- BB. *Ad amplitudinem hujus gratiæ*: ubi asserimus, hanc salutis impetrationem non factam esse pro omnibus & singulis hominibus, sed solummodo pro electis, æterno Testamento Christo in peculium destinatis, contra Pelagianizantes, Jesuitas, Remonstrantes, nec non Orthodoxos quosdam aliter hæc interpretantes.
- a. Probamus sententiam orthodoxam,
    - a. Ex restrictionibus in S. S. occurrentibus, quibus hoc beneficium adjudicatur tantummodo *vocatis*: Heb. 9. 15. *sanctificatis*, Heb. 10. 15. *Ecclesiæ*, Act. 20. 28. Eph. 5. 26. *ovibus*, Joh. 10. 14, 16, 18.
    - b. Quia Pater in concilio pacis non dedit Christo omnes redimendos, sed tantum quosdam, exclusis aliis, sc. *non mundum, sed non nullos ex mundo*, Joh. 17: 11, 14, 24. &c.
    - c. Quia hinc Christus nequidem pro omnibus & singulis intercedit, Joh. 17: 9. *non pro mundo rogo sed pro iis, quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Imo Ps. 69: 28, 29. *imprecatur hostibus: da peccatum ad peccatum illorum, & non veniant ad justitiam tuam, deleantur ex libro viventium, & cum justis non scribantur.*
    - d. Quia impetratio & applicatio salutis debent esse ejusdem latitudinis propter naturam sponsonis, 2 Cor. 5. 15. *statuimus; si*  

unus

*unus pro omnibus mortuus est, utique omnes fuerunt mortui, & pro omnibus mortuus est, &c. Matth. 26. 29. Hoc est sanguis meus N. T. qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Cumque à posteriori sit manifestum, ne omnibus quidem & singulis salutem applicari; de priori dubium manere non debet.*

- e. Quia impetrata salus ne quidem omnibus & singulis externe proponitur; Ergo universalis gratia omnibus & singulis non est promerita; prius constat ex Pl. 147. 19, 20. Indicat verba sua Jacobo, statuta sua & judicia sua Israël: Non fecit sic ulli genti, & judicia non agnoverunt; Hallelujah. 1 Tim. 2. 6.*
- β. Objectiones adversariorum ad has classes revocamus, ad*
- a. Testimonia, ubi Christus dicitur pro omnibus mortuus, Rom. 11. 32. conclusit Deus omnes in contumacia, ut omnium misereretur, 2 Cor. 5. 15. 1 Tim. 2. 6. Christus semetipsum dedit ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων. Heb. 2. 9. dicitur gustasse mortem ὑπὲρ πάντων.*
- b. Testimonia, ubi mortuus dicitur pro mundo, 2 Cor. 5: 19. Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, &c. Imo ita dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, &c. Joh. 3: 16. 1 Joh. 2: 2. Christus est propitiatio pro peccatis, nec pro nostris solum, sed etiam pro totius mundi peccatis.*
- c. Testimonia, quibus dicitur mortuus pro perituris ex eorum sententia, Rom. 14. 5. ut pro fratre, quem esca tua perdis, Christus dicitur mortuus, 1 Cor. 8. 11. tua ista sententia frater infirmus, propter quem Christus mortuus est, peribit? 2 Petr. 2: 1. Dominus dicitur mercatus esse Pseudopphetas, ipsum abnegantes; &c.*
- d. Ex communi bonitate Dei, qua velit omnes homines salvari, 1 Tim. 2. 4.*
- e. Ex mandato credendi, quo omnes & singuli obligantur credere, Christum pro se mortuum esse, oportere igitur, ut id verum sit, quod credere jubentur.*

CAPUT VIII.

*De Applicatione Salutis.*

**V**idimus hactenus executionem foederis à parte Sponforis, qui datus *λυτρωτῆς* salutem plenario impetravit, nunc restat, ut videamus ejus executionem in hominibus redemptis & jure redemptionis salvandis. Est enim **APPLICATIONE SALUTIS** opus divinæ gratiæ, impetratam salutem per collationem quorundam beneficiorum gratiæ exequens, quæ ad eorum plenariam & omnimodam restitutionem requirebantur. Latet in consideratione hujus applicationis omnis nervus Theologiæ; quia hic demum satisfit quæstioni, quomodo peccator salvus decentiis Dei restituatur? Habet se peccatum ut morbus, cujus tria vidimus *συμπτώματα*, reatum, maculam, & pœnam; habet autem applicatio salutis se instar prudentissimæ methodi medendi, quæ ablati *συμπτώμασι* omnibus sanitate plenario restituit. Itaque peccator à peccato ut liberetur, distincte tenendum, quibus malis beneficia gratiæ sint opposita.

Digestio itaque & ordinatio beneficiorum duplici methodo expendi potest.

**N.** Respicendo beneficiorum relationes ad *συμπτώματα* peccati; ita

*α. A reatu* liberamur in foro Dei per justificationem fidei; in foro conscientiæ per obsignationem Spiritus,

*β. A macula* liberamur per regenerationem, eripientem nos ex dominio peccati. Per sanctificationem, gradatim reliquias corruptionis sanantem. Per conservationem autem liberamur à periculis tentationum, mediantibus concupiscentiis carnis spiritum oppugnantium; quæ efficit, ut aut non peccemus tentati, aut resurgamus lapsi.

*γ. A pœna* liberamur per glorificationem primordiale, quando anima separata à corpore, transfertur in sedem Beatorum. Et abhinc per eandem glorificationem consummatam, quando corpus resuscitatur cum gloria, & cum mente reunitum in æternum vitæ beatæ erit particeps.

(V)

2. Re-



2. Respicendo beneficiorum consequutionem in tempore, ut sequamur vestigia viarum Dei, & tunc beneficia referuntur;
- a. Ad statum gratiæ opus Dei inchoantis, atque consideratur,
    - a. Regeneratio ex vocatione efficaci.
    - b. Justificatio ex fide.
  - β. Ad statum gratiæ progredientis; & ibi attendimus,
    - a. Ad sanctificationem, quæ regenerationem consequitur, vitamque illam nuper natam perficit.
    - b. Ad conservationem, quæ est sanctificationis contra tentationes defensio & munimentum.
    - c. Ad oblationem, quæ est justificationis fructus, paritque certitudinem salutis, atque habet rationem justificationis in foro conscientiæ.
  - γ. Ad statum gratiæ consummandæ, quæ consummatio obtinet in ipsa glorificatione: atque adeo est beneficium non hujus, sed futuri seculi.

## CAPUT IX.

*De Vocatione & Regeneratione.*

**B**eneficium gratiæ, promovens transitum peccatoris electi & redempti ex statu peccati in statum gratiæ: quod plus quam unam recipit denominationem.

**V**OCATIO appellatur, quatenus peccator antecedenter ad hanc gratiam concipitur in via aberrante tendere ad perniciem, qui nunc venit revocandus, & in viam ad communicationem Dei reducendus, ita ut se convertat per resipiscentiam à tenebris ad lucem, & à peccato ad Deum virtutisque studium. Ut proinde VOCATIO sit primum applicationis salutis beneficium, quo homo electus, & per Christum redemptus, verbo Dei & Spiritus officacia persuadetur, ut ex statu peccati transeat in statum gratiæ: seu viam erroneam relinquens, redeat ad Deum.

**H**omonymia vocis hic removenda est. Est enim alia vocatio ad ministerium, ut *Aaron fuit vocatus à Deo*, Heb. 5. 4, alia ad gratiam.

Cap. IX. DE VOCATIONE ET REGNERATIONE. 155

tiam & salutem, quæ iterum distinguitur in *externam*, quæ solo verbi fit præconio, quo *multi sunt vocati, pauci vero electi*; Matth. 20: 16. 22: 14. & *internam*, quando præconio verbi accedit efficax S. Spiritus operatio cum dono resipiscentiæ & conversionis; quæ est *vocatio secundum propositum Dei*, Rom. 8: 28.

2. *Res ipsa*, ubi nota

α. *Terminos à quo, & ad quem*, à peccato ad Deum, à tenebris ad lucem; 1 Pet. 2: 9.

β. *Actiones geminas.*

a. *Externam verbi*, cujus efficacia solummodo moralis est, qua *est potentia Dei ad salutem cuiusvis credenti*, Rom. 1. 16.

10: 14. *fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei.*

b. *Internam Spiritus*, quæ animi sententiam mutat, nam *non est ejus qui velit, neque ejus qui currat, sed miserentis Dei*, Rom. 9: 11, 16.

γ. *Effectus*, qui sunt

a. *Resipiscentia, seu conversio.* Thren. 5. 21. *converte nos Jehova ad te, & convertemur.*

b. *Fides.* Joh. 6: 44, 45. *nemo potest venire ad me, sc. justitiæ & vitæ quærendæ gratiâ, quod est credere, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum; &c.* Phil. 3. 12. Rom. 10: 14, 17.

δ. *Attributa*, secundum quæ vocatio hæc est,

aa. *Particularis Electorum.* *Qua credunt, quotquot sunt ordinati ad vitam*, Act. 13: 48. Rom. 8: 30. *quos prædestinavit, eos etiam vocavit, &c.* Apoc. 17: 14.

bb. *Efficax & victrix*, quam efficaciam defendimus contra Pelagianos & Semi-Pelagianos, qui nil præter persuasionem moralem agnoscunt, aut gratiam aliquam communem, cui arbitrium humanum facile resistat; putantes, efficacem operationem Spiritus cum libertate humana consistere non posse. Nos

α. *Probamus efficaciam gratiæ semper victricem esse;*

i. *Ex magnitudine potentiæ, hoc opus semper superantis & superare valentis, est enim excellens magnitudo potentiæ ipse in nobis, qui credimus, secundum efficacitatem præpollentiæ virtutum ejus, Ephes. 1: 19. Phil. 1. 6. Cap. 2: 13. efficit in vobis Deus*

(V 2)

⊗

Et ut velitis, Et ut efficiatis, pro gratuita sua benevolentia. Quod patet exemplo Lydiæ, cujus cor aperuit Dominus, ut attenderet ea, quæ dicebantur à Paulo: h. e. dedit facultatem per attentionem intelligendi & credendi verbum salutis, Act. 16: 14. adde Joh. 6: 63.

ii. Ex variis denominationibus, hominum vires ab operis principio excludentibus. Vocatur enim

a. Mutatio cordis, Ezech. 11: 19. *Indam ipsis cor unum, Et Spiritum novum ponam in medio vestri, amovens, inquam, cor lapideum à carne eorum, indam eis cor carneum.* 36: 25, 27. Jer. 31. 33.

b. Nova creatio, 2 Cor. 5. 17. *si quis in Christo est, nova creatura est, vetera præterierunt, ecce nova facta sunt omnia. Nam ipse opus sumus, conditi in Christo Jesu ad bona opera,* Ephes. 2. 10. Hinc David, optime edoctus propriam impotentiam & victricem Dei efficaciam, orat, Ps. 51. 12. *animum mundum crea mihi Deus, Et Spiritum firmum renova in me.*

c. Resuscitatio spiritualis. Eph. 2. 1, 5, 6. *quum essemus mortui lapsibus, nos vivificavit cum Christo, gratia estis salvati, unâque excitavit, Et unâ collocavit in cælestibus in Christo Jesu.*

d. Regeneratio, ut statim videbimus.

iii. Ex necessitate decreti. Rom. 9. 11. *ut, quod secundum electionem est, Dei propositum maneret, non ex operibus, sed ex vocante.* Et ex necessitate pacti æterni, quo Christo semen destinatum est, ita ut non potuerit non recipere laboris pretium, secundum fœderalem Patris promissionem, Ps. 2. 8. *postula à me Et dabo gentes hereditatem tuam, Et proprietatem tuam extrema terræ.* Adde Jes. 49. 4-6. 53. 10-12.

iv. Quia voluntati Dei nemo resistit, Rom. 9. 19.

ß. Defendimus contra objectiones, desumptas,

i. Ab exemplis eorum, qui dicuntur gratiæ Dei restitisse, ut Pharisei dicuntur *consilium Dei rejecisse adversus semetipsos,* Luc. 7. 30. Matth. 23. 37. Act. 7: 51. dicuntur *S. Spiritui obniti.* Imo Deus conqueritur, se fecisse erga vineam suam, quicquid faciendum fuit, sed omnia frustra esse, quod involvit manifestam gratiæ resistantiam, vide Jes. 5: 3, 4. Ezech. 12: 2.

ii. Ex

Cap. IX. DE VOCATIONE & REGENERATIONE. 157

ii. Ex suasionibus moralibus, per præcepta credendi & conversionis, excludentibus efficaciam irresistibilem, & rem permittentibus hominum arbitrio.

cc. Ἀμεταμέλητος est illa vocatio, Rom. 11: 29. *sine penitentia sunt dona gratiæ & vocatio Dei.*

B. REGENERATIO vocatur, quatenus respicitur hominis corruptio intrinseca, illum reddens ineptum ad actiones legitime obeundas, ita ut facultates renovari debeant. Dicit itaque REGENERATIO ipsam efficaciam gratiæ vocantis, veterem hominem, dominio peccati subiectum, mortificantem, & novum hominem quasi reproducentem, dum eundem è dominio peccati liberat, & novæ vitæ principium illi restituit. Hujus regenerationis fit mentio, Tit. 3. 5. 1 Pet. 1. 3. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui multa sua misericordia nos regeneravit ad spem vivam, &c.* Nota hîc

κ. Συλλαβίαν. Eadem enim gratia, quæ hominem reformat quoad facultates, nunc dicitur *regeneratio*; quatenus autem concipitur homo in peccato mortuus, h. e. omnibus actionibus vitæ Spiritus destitutus, *resuscitatio*; quatenus autem transitum à non esse ad esse notat, dicitur *nova creatio*.

λ. *Subiectum recipiens* est non tantum inferior pars animæ, ut loquuntur Pontif. quasi corrigeret tantum perceptiones concupiscentiarum, sed totus homo; 2 Cor. 4. 16. *internus homo renovatur quotidie.* 1 Pet. 3. 4. *occultus cordis homo, &c.* Rom. 7. 22. ita ut & intellectum & voluntatem æque attingat. Pertinet quoque ad infantes, qui concipiuntur ut hujus gratiæ reformantis etiam capaces, quod patet exemplo Johannis Baptistæ, *S. Spiritu impleti etiam ab utero matris suæ*, Luc. 1. 15, 80. & exemplo Jeremiæ, *quem Deus, quum nondum prodisset è vulva, sanctificavit*; Jer. 1: 5.

μ. *Causas, quarum*

α. Efficiens est Deus & Spiritus S. Joh. 1: 13. *non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Cap. 3: 5. Ezech. 36. 25-27. dicit Deus, *ego dabo cor novum, & Spiritum novum ponam in medio vestri, --quo faciam, ut in statutis meis ambuletis.*

β. Meritoria est ipsa obedientia Christi: *nam ille est, qui venit per aquam*

(V 3)

158 DE VOCATIONE & REGENERATIONE. Cap. IX.

*aquam & sanguinem, Jesus Christus, &c.* 1 Joh. 5. 6. h. e. venit in sanctitate perfecta, verâ legis obedientiâ & pretio perfecto, quo liberemur à reatu, regeneremur & purificemur à peccatis; conf. Cap. 1. 7. *sanguis Jesu Christi Filii Dei purificat nos ab omnibus peccatis.* Conf. Joh. 3: 5.

y. Instrumentalis est verbum Dei, quod concipitur ut semen regenerationis; Jac. 1. 18. *Deus volens genuit nos sermone veritatis.* Et 1 Petr. 1. 23. *regenerati sumus ex semine immortali per verbum Dei vivum, & manens in æternum.*

7. *Effectus* sunt, mortificatio veteris & vivificatio novi hominis, Eph. 4: 22-24. Col. 3. 10. h. e. restauratio hominis ad imaginem Dei, redditis facultatibus sapientiæ & sanctitatis voluntatis ad imaginem Dei requisitiis.

7. *Affectiones* regenerationis sunt,

aa. Quod præparationes humanas nullas admittat: concipitur enim homo antecederet ad regenerationem ut impos facienda aliquid boni. Joh. 3: 6, 7. *quod genitum est ex carne, caro est, h. e. qui ex homine carnali genitus est, ipse quoque carnalis est, & impos ad opus spirituale bonum. Quod autem genitum est ex Spiritu, Spiritus est, h. e. quem Deus, qui est Spiritus, creat & regenerat, est spiritualis; ita ut, quemadmodum ad primam, etiam ad secundam creationem, sive regenerationem, nihil possit homo, sed ut Deus vocet ea, quæ non sunt, tanquam sint; Rom. 4. 17. Imo φρόνημα τῆς σαρκὸς inimicitia est adversus Deum, legi enim non subjicitur, nam ne potest quidem, Rom. 8: 7. 1 Cor. 2: 14. quod etiam contra Scholasticos & Jesuitas tenendum, præviæ dispositionis defensores. Atque distinctius*

aa. Probamus,

1. Ex eo, quod discrimen omne hominum ex prædestinatione & consilio gratiæ derivetur: nam Act. 2. 47. *Dominus addebat quotidie Ecclesiæ, qui salvi fierent.* Cap. 13. 48. *crediderunt, quotquot sunt ordinati ad vitam æternam.* Adde Rom. 8. 30.

2. Quod nil vere boni ab homine irrogenito præstari possit, ut jam probatum est.

3. Quia

3. Quia gratia conversionis sæpe corripuit homines secundum externam speciem pessimos; ut Latronem in cruce, & Saulum in persecutionibus. Confer etiam Matth. 11. 25, 26. Ubi Christus Patrem suum celebrat; *Confiteor tibi, Pater cæli & terræ, quod absconderis hæc à sapientibus & intelligentibus*, h. e. ab iis, qui per eruditionem suam & ingenii sagacitatem sui fiduciam habent, & consilium aliquod carnale, quo quærunt Deo palpum obtrudere, propriisque viribus omnia tribuunt; & *hæc retexeris vñtlois, infantibus*, h. e. rudibus & indoctis, quales fuere Apostoli: (Imo venit Christus, ut vocaret peccatores ad resipiscentiam, hinc conversatus est cum publicanis & peccatoribus; Matth. 9. 10--14.) In quo glorificat Patrem, quod decentissime fecit, hæc enim ratione clarissime cognoscitur Deus ut Salvator, ejusque gratia efficax.
- β. Defendimus contra objectiones ex locis, Matth. 25. 28. ubi illi, qui *unum habuit talentum* non adhibitum, fuit *tollendum illud, & dandum alteri, qui decem habet talenta*. Deinde Marc. 12: 34. dicit Christus Juveni, legem servanti: *Non longe abes à regno Dei*. Allegant etiam exemplum Cornelii, *cujus preces & eleemosynæ ascenderunt ad memoriam coram Deo*, Act. 10. 4, 31.
- bb. Quod in primo momento ratio se habeat mere passive; quod ipsum vocabulum *regenerationis* innuit. Confer 2 Cor. 4: 6. *Deus, qui dixit, ut è tenebris lux splenderet, splendet in cordibus nostris ad lumen cognitionis gloriæ Dei in facie Jesu Christi*.
- cc. Quod fiat simul & semel; est enim nova creatio, & luminis gratiæ receptio prima.

## C A P U T X.

### De Justificatione.

Sicut homo cum dono fidei in regeneratione accipit immutationem status, ita quoque novam subit relationem, qua relatus

tus ad amorem Dei concipitur ut conciliatus, amicus, idque summo jure propter ejus communicationem cum Christo. Beneficium hanc novam relationem conferens, vocatur JUSTIFICATIO, quæ est secundum applicationis salutis beneficium, concipiendum, ut judicium fori divini, quo à reatu absolvitur redemptus fidelis propter satisfactionem Christi præstitam; & jus vitæ seu justitiæ imputatur propter meritum Christi, dum censetur per fidem arctissimam habere communionem cum Christo.

*A. Vocabulum Justificationis asserimus contra Pontificios habere significationem forensem, adeoque non respicere justitiam inhærentem. Qui enim ita statuunt, justificationem cum sanctificatione confundunt, contra ac Paulus exigit; 1 Cor. 1. 30. qua Christus distincte dicitur factus nobis à Deo justitia & sanctificatio. Cap. 6. 11. sanctificati estis, justificati estis. Significationis forensis ratio manifesta est in locis. Deut. 25. 1. Prov. 17. 15. qui justificat (מצדיק) improbum & condemnat (עושה) justum, abominatio uterque Jehovæ est, Rom. 8: 33, 34. Nec quicquam contra statuunt loca, Jes. 53. 11. cognitione sui justificabit justus servus meus multos; ubi forensem significationem non admittunt, sed realem mutationem, ad quam cognitio hominem disponat, intelligi falso putant. Dan. 12. 3. Doctores splendebunt--& justificantes multos, ut stella, &c.*

*B. Rem ipsam ut teneamus, oportet consideremus,*

*8. Causas, & quidem,*

*α. Efficientem, quæ est Deus, consideratus ut justus Judex, cujus est sententiam ferre, Rom. 8: 33. quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus est δικαιο, justificans, 2 Cor. 5: 19.*

*β. Promoventem, ut sententia sit absolutoria: hæc est advocatus, seu intercessor Christus, peculium suum sibi de jure exigens, nam suscitatus est propter justificationem nostri; Rom. 4: 25. Aut quis est, qui condemnet? Christus est mortuus--intercedit pro nobis, Rom. 8: 34, 35. 1 Joh. 2: 1. est Paracletus noster &c.*

*2. Actiones, quæ duæ sunt,*

*αα. Absolutoria, quæ vocatur remissio peccatorum, qua Deus non imputat pravitatem, Ps. 32: 2. Luc. 1. 77. Ubi nota;*  
*a. Be-*

a. Beneficium hoc consistere in ablatione reatus & condemnationis, quia *nulla est condemnatio iis, qui sunt in Christo Jesu, Rom. 8. 1. 34.*

b. Causas, & quidem

1. Proëgumenam, quæ est mera Dei gratia sine operibus legis, Rom. 3. 24. 4. 6. *David beatum prædicat eum hominem, cui Deus imputat justitiam absque operibus.*

2. Procatartëticam, quæ est ipsa satisfactio Christi in rationes credentis transcribenda. Matth. 26. 28. Ephes. 1. 7. *habemus remissionem peccatorum per sanguinem ipsius.* Utramque causam proëgumenam & procatartëticam distincte ponit Paulus, Rom. 3. 24. *Justificantur gratis ipsius gratiâ per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.*

c. Consequens, seu effectum remissionis peccatorum est status relativus pacis, amicitie, & reconciliationis cum Deo, Rom. 5. 1. *justificati ex fide, pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum.* Unde nascitur,

1. Translatio ex statu inimicitie in statum amicitie, Rom. 5. 8-10. Col. 1. 20. *pacem faciens per sanguinem crucis Jesu, per eum omnia reconciliavit sibi.*

2. Pax ipsa cum Deo, Phil. 4. 7. Joh. 14. 27. *pacem relinquo vobis, dicit Christus, pacem illam meam do vobis.* Pax cum conscientia, qua gloriamur in spe glorie Dei, Rom. 5. 2. Pax cum creaturis: Job. 5. 23, 24. *cum lapidibus agri erit fœdus tuum, & bestie agri erunt pacatæ tibi; & experieris pacem in tentorio tuo, &c.*

ββ. *Adjudicatoria*, quæ est ipsa imputatio justitiæ, dum judex statuit, accusato credenti competere jus a Christo impetratum, ad omnem gratiam ulteriorem & vitam.

A. Beneficium itaque est donum juris vitæ, Rom. 5. 17-19.

B. Cause sunt

I. Προηγυμένη, sola gratia Dei, Rom. 3. 24.

II. Προκαταρτική, justitia Christi, non nostra propria; itaque dicimus;

i. Καθ' ἑσῆν, justitiam propriam unâ cum meritis bonorum operum excludi; quod

(X)

a. Pro-



- a. Probamus contra Pontificios, jus vitæ ex merito bonorum operum derivantes;
- a. Per testimonia expressa, justitiam propriam damnantia: Rom. 9. 30. 32. *Gentes non sectantes justitiam, apprehenderunt justitiam, sc. eam, quæ est ex fide; Israël vero, --- ad legem justitiæ non pervenit. Quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus legis, sc. justitiæ sectatus est.* Phil. 3. 9. Probamus etiam per testimonia, opera a justificatione excludentia; *Ex operibus legis nulla caro justificabitur coram Deo,* Rom. 2. 20. Quod postquam patheticè evicit Paulus, addit versu 28. *Concludimus igitur, fide justificari hominem absque operibus legis.* Adde Gal. 2. 16. Imo & ipsa opera regeneratorum excluduntur; Tit. 3. 5. *Non ex operibus justis, quæ fecerimus nos, sed ex sua misericordia servavit nos per lavacrum regenerationis, & renovationem S. Spiritus.*
- b. Ex discrimine legis operum & fidei; Rom. 4. 4, 5. *Judæi enim ignorantes Dei justitiam, & propriam justitiam studentes constituere, justitiæ Dei non fuerunt subiecti.* Adde Rom. 4. 11, 16.
- c. Ex statu justificandorum; qui sunt peccatores. Rom. 3. 9, 10. *omnes & Judæi & Græci sunt sub peccato, sicut scriptum est: Non est justus, ne unus quidem. & 19. totus mundus Deo est obnoxius.* Vide & 24, 25. Rom. 4. 5. Ps. 130. 3, 4. Ps. 143. 2. Prov. 20. 9.
- d. Ex fine justificationis, qui est exclusio omnis gloriationis. Rom. 3. 27, 28. *ubi gloriatio? exclusa est. Per quam legem? operum? non: imo per legem fidei, &c.* 1 Cor. 1. 29, 30. *ut ne gloriatur ulla caro coram eo, &c.* Adde Eph. 2. 9, 10.
- β. Defendimus contra objectiones;
- a. Ex loco, Jac. 2. 21, 24. *quod homo non ex fide tantum, sed ex operibus etiam justificetur,* quod Jacobus probat exemplo Abrahami.
- b. Ex titulo mercedis, quæ bonis operibus adjudicatur. Gen. 15. 1. 2 Chron. 15. 7. *Vos confirmamini, neque sint remissæ manus vestræ; est enim merces operi vestro.* Jes. 40. 10. Matth. 5. 11. 1 Cor.

- 1 Cor. 3. 14. Apoc. 22. 12. *Ecce venio cito: & merces mea mecum est, ut reddam unicuique, prout opus ipsius erit.* Imo Pontificii ipsam vocem *meriti* adjiciunt, allegantes, Syrach. 16: 15. *omni elemosynæ da locum, nam unusquisque secundum opera sua inveniet.* Heb. 13. 16. *talibus sacrificiis promeretur Deus, nota Græcum ἐναρτήται.*
- c. Ex eo, quod obedientia bonorum operum vocetur justitia nostra: Deut. 6. 25. *Justitia sit nobis, si observantes fecerimus omnia hæc præcepta coram Jehovah Deo nostro &c.* Deut. 24. 13. quodque obedientiæ bonorum operum remuneratio ex justitia adituatur: 2 Theff. 1. 4--7. *ut digni habeamini Regno Dei -- siquidem justum est apud Deum ἀνταποδῶναι, reddere affligentibus vos afflictionem, vobis vero, qui affligimini, relaxationem nobiscum, &c.* Vide etiam 1 Cor. 9. 27. 2 Tim. 1. 12. 2 Tim. 4. 7, 8. Heb. 6. 10. Jac. 1. 12. Apoc. 2. 10. Ita ut Deus dicatur justus Judex & Non-Acceptor personarum in judicio retributivo. Rom. 2. 11. *Non est personarum acceptio apud Deum, Gal. 2. 6. Act. 10. 34.*
- d. Ex remuneratione, quæ fore dicitur juxta proportionem operum; qua Deus reddet unicuique secundum opera, Pf. 62. 13. Matth. 16. 27. Rom. 2. 5, 6, 7. 1 Cor. 3. 8. *unusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem.* Gal. 6. 7, 8. Apoc. 22. 12. & quidem fore dicitur remuneratio secundum dignitatem operum, Luc. 20. 35. 2 Theff. 1. 5. Apoc. 3. 4. *qui non inquinaverunt vestimenta sua, ideo incedent mecum albati: digni enim sunt.*
- e. Ex nexu inter vitam & opera, ut opera sint conditio prioris; Matth. 19. 17. & seqq. *si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* vide 1 Tim. 4. 8. Imo opera sunt vitæ causa, quod probant particulæ causales, *Nam, quia, ideo.* vide Matth. 25. 34, 35. Et bona opera dicuntur salutem ipsam efficere; 2 Cor. 4. 17. Gal. 6. 8. Apoc. 7. 14, 15. Hocque derivant Pontif. ex nova quasi lege operum; Jac. 1. 25. *qui introspexerit in perfectam illam legem libertatis, & permanserit, quia non fuerit auditor obliviosus, sed effector operis, beatus erit in opere suo.*

ii. Κατὰ θεῶν asserimus, causam meritoriam juris ad vitam esse ipsam obedientiam Christi. Quod

- a. Probamus contra Pontificios aliosque, qui statuunt, Christum obedientiam legis suo nomine debuisse, sibi que tantum promeruisse.
- a. Ex locis expressis; Jes. 45. 24, 25. *tantum in Jehovah (de me dixit) justitia & robur, -- in Jehova justificabuntur & glorificabuntur omne semen Israelis.* Jes. 54. 17. Hinc vocatur *Jehova justitia nostra*, Jer. 23. 6. Et nobis à Deo dicitur factus justitia, 1 Cor. 1. 30. 2 Cor. 5. 21. Phil. 3. 8, 9.
- b. Ex exemplo Abrahami, Rom. 4. 3. coll. Gen. 15. 6.
- c. Ex Christi merito, ad titulum de impetratione salutis asserito.

β. Defendimus contra objectiones,

- a. Quod Christus sibi meruit, nam *propterea*, quia se humiliavit Christus, *ipsum Deus summopere exaltavit, ac donavit ei nomen supra omne nomen.* Quod enim quis suo nomine debet, id alterius loco mereri non potest.
- b. Quia æque absurdum est, ab alterius justitia justum dici, ac Æthyops alterius albedine dici possit albus.

III. *Instrumentalis*, est fides, non considerata ut opus nostrum, sed ut instrumentum unionis & conjunctionis cum Christo: Unde justificatio dicitur *ex fide*, Rom. 3. 21, 28. Gal. 2. 16. unde ex fide derivatur jus vitæ, quatenus est in fide nostra unio cum Christo; Ephes. 3. 17. *Christus inhabitat per fidem in cordibus nostris*, Joh. 1. 12. cap. 6. 35. Ut proinde totum fundamentum justitiæ judicii divini in justificatione fundetur in credentis conjunctione cum Christo. Secundum quam veritatem omnia, quæ Christi sunt, jure censentur nostra; & nostra justificatio collocatur in Christo: *nam efficiamur justitia Dei in eo*, 2 Cor. 5. 21. Rom. 8. 1, 2, 3. Phil. 3. 8, 9. Proinde notandi sunt errores Remonstrantium & Socinianorum, qui volunt, fidem ut obedientiam imperfectam censeri pro perfecta, & pro ipsa causa juris.

α. Hanc sententiam rejicimus,

a. Quia fides opponitur operibus; ut antea vidimus,

b. Quia

Cap. X. DE JUSTIFICATIONE. 169

- b. Quia objectum justificationis ponitur *improbus*, h. e. homo omni jure destitutus, Rom. 4. 5. *Ei qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat improbum, imputatur fides sua ad justitiam.*
- c. Quia dicimur *ex fide* & *per fidem* justificari, non propter fidem, adeoque non potest aliam rationem habere, quam instrumentalem, Rom. 3. 30. *Siquidem. unus Deus est, qui justificabit circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.*
- β. Frigida est objectio ex Rom. 4: 3, 5. ubi *fides* dicitur *imputari ad justitiam.*
- C. *Consequens seu effectus* imputatæ justitiæ est gratia ADOPTIONIS; de qua Joh. 1. 12. *quotquot acceperant eum*, h. e. quibus donatus est, *iis dedit potestatem, ut Filii Dei fierent*, h. e. jus dedit, ut se gererent pro Filiis Dei, nempe *credentibus in nomen ejus.* vide Rom. 8. 5. Eph. 1. 15.
1. *Beneficium Adoptionis* spectat ad gratiam justificationis, 1 Joh. 3. 1. & connotat solummodo, jus vitæ donatum fluere ex Testamento, constituyente nos hæredes, & aperiente œconomiam gratiæ amplissimam & liberrimam,
2. *Causa donans & conferens* hanc dignitatem est PATER, Eph. 1. 5. 1 Joh. 3. 1. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei vocemur, &c.* Est etiam CHRISTUS, ut Filius Dei, nos recipiens ad conjunctionem sui, nec non cum Patre Testator Testamenti, Joh. 1. 12. Heb. 2: 10--13. obsignans est S. SPIRITUS, Rom. 8. 15, 16. *accepimus Spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba Pater; qui ipse Spiritus testatur unà cum Spiritu nostro, nos esse Filios Dei.*
3. *Effectus* sunt nonnulla privilegia,
- a. Cuius œconomix communia; qualia sunt
- α. Jus hæreditatis: Rom. 8. 17. *si Filii sumus, etiam hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Gal. 4. 1.
- β. Dignitas ex conformitate cum Deo profluens, juxtaquam tenerrime amamur.
- δ. Particularia œconomix N. T. qualia sunt

(X 3)

a. Li-

- α. Libertas Christiana: nam 2 Cor. 3. 17. *ubi Spiritus ille Domini est, illic libertas.* Gal. 4. 26.  
 β. Fiducia singularis apud Deum; qua in Christo habemus libertatem, & aditum cum fiducia per fidem ipsius, Eph. 3. 12. Heb. 4. 16.

## CAPUT XI.

## De Sanctificatione.

**P**riora duo beneficia gratiæ respiciebant statum gratiæ primordiale; Nunc sequuntur, quæ respiciunt progressum: ubi indaganda est gratia *sanctificationis, conservationis, & oblationis.* SANCTIFICATIO est tertium gratiæ applicationis salutis beneficium, quo primordium vitæ spiritualis, in regeneratione acceptæ, ope verbi & S. Spiritus, ita suscitatur & promovetur in operibus pietatis, ut caro quotidie magis magisque reprimatur, & actus novæ vitæ nobiliores eliciantur.

**A. NOMEN** ab *επινομία* liberandum est. Est enim sanctificatio aliqua externa. 2 Pet. 2. 20. Hæc nostra vero est interna; Eph. 5. 27. *sicut Christus Ecclesiam sibi--ut esset sancta & inculpata.* Nomenque hoc aliquando latius sumitur, ut ipsam regenerationem includat; aliquando strictius, ut primam abluionem seu regenerationem consequatur; 1 Cor. 6. 11. *abluti estis, sanctificati estis, &c.* atque hæc primâ significatione hæc accipitur.

**B. CAUSÆ** sanctificationis sunt

**N. Efficiens,** Pater & Filius per S. Spiritum. Pater; *sanctifica eos in tua veritate,* Joh. 17. 17. & Thess. 5. 23. Filius; 1 Cor. 1. 20. *qui nobis factus est à Deo sanctificatio.* Adde 2 Cor. 5. 17. Ephes. 5. 26. S. Spiritus; Titum. 3. 5. *ex misericordia servavit nos per lavacrum regenerationis, & renovationem Spiritus sancti.*

**I. Instrumentalis,** est verbum Dei, continens non solum regulam sanctitatis, sed & incitamenta seu rationes obligatorias, propositum vitæ purioris magis excitantes; Joh. 17. 17. *Pater; sanctifica nos in veritate tua, Verbum enim tuum est veritas*

1. Exem-

Cap. XI. DE SANCTIFICATIONE. 167

1. *Exemplaris*, in genere est imago Dei in lege delineata, quæ per peccatum amissa iterum restituitur; Col. 3. 10. *induite novum illum hominem, qui renovatur in agnitionem ad imaginem condentis eum.* Ephes. 4. 23, 24. in specie est Deus ipse; Lev. 19. 2. *sancti estote, quia ego sanctus sum, Jehova Deus vester*; vide Matth. 5. 48. Nec non Christus, *qui peccatum non fecerat, nec inventus est dolus in ore ejus*, 1 Pet. 2. 22. adde, 1 Joh. 2. 6. Et exempla sanctorum; *Imitatores mei estote*, inquit Paulus, *sicut ego Christi*, 1 Cor. 11. 1.

C. EFFECTA sanctificationis;

1. Amplior mutatio per depositionem gradualem maculæ peccati; *qua nos ipsos purgamus ab omni inquinamento carnis ac Spiritus, perficientes sanctificationem cum timore Dei*, 2 Cor. 7. 1.

2. Exercitium bonorum operum; quorum conditiones sunt,

a. Respectu principii, ut oriantur ex fide: Rom. 14. 23. *quicquid ex fide non est, peccatum est.* Gal. 2. 20. 1 Tim. 1. 5. Heb. 11. 6.

β. Respectu finis, ut fiant ad gloriam Dei. Matth. 5. 16. *splendeat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, glorificentque Patrem vestrum, qui in cælis est.* 1 Cor. 10. 31. *quicquid facitis, facite ad gloriam Dei.*

γ. Respectu normæ;

a. Καθ' ἀρετήν, ut non sint opus ἰδιωτιστικῆς; Matth. 15. 9. *frustrà me colunt docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum* Col. 2. 23.

b. Κατὰ θεῖον, sed juxta legem Dei; *attende ad præcepta & judicia illa, quæ ego doceo vos facere, ut vivatis, &c.* Deut. 4. 1, 2.

D. ADJUNCTA sanctificationis, quæ sunt

1. *Necessitas* non tantùm præcepti; 1 Thess. 4. 4. *hec est voluntas Dei, sc. sanctificatio vestra*; sed etiam necessitas mediï; Hebr. 12. 14. *secliamini sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Hinc bona opera, quamvis non sint causâ regni, tamen sunt via regni, & per consequens, licet non admittamus esse meritoria, nihilominus nosmet agnoscimus obligatos ad ea præstanda.

2. *Utilitas*, dum studium sanctificationis facit,

a. Ad

- a. Ad electionis confirmationem; ut 2 Pet. 1. 10. per sanctificationem & studium virtutum jubemur, *studere vocationem & electionem nostram firmam efficere.*
- β. Ad proximi ædificationem: quemadmodum viri dicuntur *per uxorum conversationem absque sermone lucriferi*, 1 Pet. 3. 1.
- γ. Ad Dei gloriam promovendam: *In hoc glorificatur Pater meus, ut multum fructum feratis*, Joh. 15. 8.
1. Imperfectio: licet enim sanctificatio in dies accrescat, nihilominus, propter reliquias carnis & concupiscentiarum spiritum impugnantium, nunquam tam absoluta est, ut non etiam in sanctissimis remaneant defectus. Quod contra Pontificios, merita bonorum operum etiam supererogatoria procudentes, nec non contra alios defendimus.
- a. Probamus sententiam orthodoxam;
- a. Ex locis evidentibus: Prov. 20. 9. *quis dicere possit, purificavi animum meum, mundus sum à peccato meo*, Eccles. 7. 20. Jac. 3. 2. 2 Joh. 1. 8. *si dixerimus, nos peccatum non habere, nosmet ipsos fallimus, & veritas in nobis non est.*
- b. Ex confessionibus sanctissimorum, carnis imperfectionem deplorantium: ut Pauli, qui postquam Rom. 7. 18-23. multis suam conquestus est imperfectionem, ἀδυναμίαν, legemque membrorum rebellantem legi mentis, vers. 24. exclamat: *Miser ego homo: quis me eripiet ex isto corpore mortis?* Adde Phil. 3. 12. ubi Paulus fatetur, *se nondum apprehendisse, aut perfectum esse, sed se prosequi, an quoque apprehendat, &c.*
- β. Defendimus contra adducta testimonia; ut Luc. 1. 6. Zacharias & Elisabeta ambo dicuntur *justi in conspectu Dei, incedentes in omnibus mandatis & constitutionibus Domini inculpati.* 1 Reg. 15. 5. David itidem laudatur. 1 Joh. 3. 9. *quisquis natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet: nec potest peccare, ed quod ex Deo natus est.*

## CAPUT. XII.

*De Conservatione.*

CONSERVATIO est quartum applicationis salutis beneficium, qua homo sanctificatus, in tentationibus constitutus, à periculo totalis & finalis *ἀποστασίας* immunis redditur, & perseverantiæ donum recipit, Spiritu eum ad masculam resistentiam corroborante, aut ex lapsu ad novam resipiscentiam erigente.

*A. Vox conservationis non tantum obtinet in doctrina providentiæ, quando res naturales in suo statu conservantur, sed & in doctrina gratiæ, quando divina ope opus gratiæ in homine perpetuatur, & factum tectum redditur. Joh. 17. 5. 1 Pet. 1. 5. virtute Dei custodimur per fidem ad salutem, que parata est patesteri tempore ultimo.*

*B. Causa est tota S. S. Trinitas, Deus PATER, peculium Christi conservans, secundum preces Christi, Joh. 17. 15. rogo--ut serveseos à malo. Adde Phil. 1. 6. FILIUS, peculium suum repetens & curans: qui dicit: *Hæc est voluntas Patris me mittentis, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, --- & ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ut ego suscitatem illum ultimo die, Joh. 6. 39, 40. S. SPIRITUS peculiariter, ut sanctificationis opus in æternum in corde perpetuans, Joh. 14. 16. Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.**

*C. Effectus & quidem,*

*N. In genere consideratus, est ipsa perseverantia sanctorum totalis & finalis; quam defendimus contra patronos liberi arbitrii, putantes, Π. ψ. libertatem voluntatis cum tali efficaci operatione conservationis non posse consistere.*

*α. Nos asserimus doctrinam orthodoxam,*

*a. Ex promissionibus fœderalibus, hanc gratiam addicentibus: Ps. 112. 6, 4. Jer. 54: 10. *quamvis montes recedent & colles dimovebuntur, attamen benignitas mea à te non recedet, & fœdus pacis meæ non dimovebitur, ait miserator tuus Jehovab. Jer. 32. 29,**



40. Joh. 10. 27-29. *Oves meæ, ---dicit Christus, habebunt vitam æternam; nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam à manu meâ; Pater meus, qui dedit eas mihi, major est omnibus, neque quisquam potest eas rapere à manu Patris mei.* Adde Joh. 4. 14.
- b. Ex electionis firmitate, qua non pote est, seducere electos, Matth. 24. 24. Vide modo citatum locum, Joh. 6. 39, 40. *Hæc est voluntas Patris, &c.* id est: Hoc est Testamentum Patris firmum, ejusque, quod ex Testamento sequitur, approbatio, &c.
- c. Ex gratiæ Christi efficacia; quippe qui hanc perseverantiam:
1. Promeruit, Rom. 5. 9; 10. Heb. 9. 14, 15.
  2. Intercessione sua rogat, & non frustra rogat. Luc. 22. 31. 32. Joh. 17. 10. 11. *Pater sancte, serva eos per nomen tuum, quos dedisti mihi, &c.* Rom. 8. 33, 34. &c.
  3. Potenti regni sui defensione ipse applicat. vide Joh. 10. 27, 28.
- d. Ex gratia S. Spiritus obsignante: Rom. 8. 16, 17. Ephes. 1. 13. Cap. 4. 30. *obsignati estis S. Spiritu Dei ad diem redemptionis.*
- β. Defendimus contra objectiones ex locis, quæ videntur
- a. Deletionem ex libro vitæ indicare: ut Moſis, Exod. 32. 32. impiorum, Pf. 69. 29. *Deleantur ex libro viventium, &c.* Adde Apoc. 22. 19.
  - b. Possibilitatem Apostasiæ supponere: qua Heb. 6. 4, 6. *semel illuminati, & gustantes donum illud cæleste, & participes facti S. Spiritus, bonum gustantes Dei verbum, ac virtute futuri seculi, dicuntur etiam cadere.* Ezech. 18. 26. *justus dicitur etiam se avertere à justitia sua, & facere iniquitatem.* Exemplo sit Paulus, Rom. 9. 3. *qui optavit anathema esse à Christo, &c.* Adde Cap. 14. 15.
  - c. Exempla adducere eorum, qui post fidem perierunt; ut exempla Salomonis, Judæ, Phyleti & Hymenæi, &c. probare videntur.
1. *In specie, secundum varios operandi modos, ut conservatio efficiat,*

a. Con-

Cap. XII. DE CONSERVATIONE. 171

- a. Constantiam per corroborationem. Phil. 1. 6. 2 Theff. 3: 3. *fidelis est Dominus, qui corroborabit vos, & tuebitur à malo.*  
b. Renovatam resipiscentiam per erectionem ex lapsibus; Ps. 37. 24. *si justus cadet, non prosternetur, quia Dominus tenet manum ejus.*

C A P U T. XIII.

*De Obsignatione Interna.*

**O**BSIGNATIO est quintum applicationis salutis beneficium, quæ mediante certis quibusdam gratiæ pignoribus, tum internis, tum externis, conscientia reatus aufertur, & certitudo salutis cum gaudio communicatur.

A. *Nomen extat, 2 Cor. 1. 22. Eph. 1. 13. Cap. 4. 30. sciendum tamen, quod hæc gratia propter varietatem relationum pluribus aliis denominationibus veniat in sacris: aliquando vocatur *Justificatio justi ex operibus*, quatenus tranquillatio conscientiæ fit quasi per actum forensem, in quo conscientia agit vice Dei: dum S. Spiritus ut Παιδεία & sententiam gratiæ defert ad conscientiam, illaque nomine Dei nos absolvit: hinc dicitur & *Contestificatio Spiritus cum Spiritu nostro*: & propter effectum tranquillationis vocatur *Consolatio*.*

B. *Causæ sunt, & quidem,*

1. *Efficiens S. Spiritus, Eph. 4. 30. obsignati estis S. Spiritu.*

2. *Instrumentalis Sacramenta, seu verbum consolationis Sacramentis confirmatum: ut ex Abrahamo patet, Rom. 4. 11. qui signum accepit circumcisionis, quod obsignaret justitiam fidei, quæ fuerat in præputio, ut esset Pater omnium credentium in præputio, ut imputetur etiam ipsis justitia.*

C. *Effectus est certitudo salutis, quam asserimus contra Pontificios negantes, quemquam in hac vita certitudine fidei de salute futura persuasum esse posse.*

a. *Asserimus nos hanc certitudinem salutis,*

a. *Ex gratia S. Spiritus obsignantis & attestantis (ut in titulo;)*

*Rom. 8. 16, 17. Spiritus adoptionis testatur unà cum Spiritu nostro,*

(12)

stro,

*stro, nos esse Filios Dei, quod si Filii etiam hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi &c. Hinc S. Spiritus etiam vocatur Arrhæbo.*

- b. Ex fidei natura; 1 Joh. 5. 10. *qui credit in Filium Dei, habet testimonium in seipso--quia credidit testimonio, quod testificatus est Deus de Filio suo* 2 Tim. 1. 12. *novi, dicit Paulus, cui crediderim, & mihi persuasum est, cum posse depositum meum in illum diem servare. Quæ fides proficit ad παρρησίαν & πληροφροειαν; Heb. 6. 11. Cap. 10. 22. qua ad Deum accedimus cum vero corde ἐν πληροφροειᾷ, plenitudine fidei, & Eph. 3. 12. habemus παρρησίαν, libertatem, & aditum cum fiducia per fidem Jesu Christi.*
- c. Ex natura spei: Rom. 5. 2. *per Jesum etiam fide habuimus hunc aditum in gratiam hanc, per quam stamus, & gloriamur sub spe gloriæ Dei.* Adde 1 Petr. 1. 3.
- d. Ex immutabilitate fœderis cum Deo per fidem initi; ut Rom. 8. 29, 30. catena illa salutis aurea clarissime evincit, ut aufit ψ. 38, 39. confidenter asserere Paulus: *mibi persuasum est, neque mortem, neque vitam--posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.*
- e. Ab exemplis; ut Abrahami, qui *adversus promissionem Dei non disceptavit infidelitate, sed corroboratus est fide, dans gloriam Deo, ac plene persuasum habens, quod promiserat Deus posse etiam facere* Rom. 4. 20, 21. Adde exemplum Pauli, 2 Tim. 4. 7, 8.
- β. Defendimus facile contra objectiones ex locis, Eccles. 9. 1. *amorem & odium non internoscit homo, omnes ante se sunt.* 1 Cor. 9. 17. *contundo, & in servitutem redigo corpus meum, ne quo modo, quum aliis prædicârim, ipse reprobus fiam.* Phil. 2. 12. *cum timore ac tremore vestram ipsorum salutem operamini.* Ex quibus S. Scripturæ locis concludere conantur incertitudinem salutis.

## CAPUT. XIV.

*De Obsignatione Externa; sive de Signis & Signaculis Novi Testamenti.*

**D**e Sacramentis vidimus ad titulum de foedere gratiæ, hinc autem occurrunt Sacramenta duo; plura enim, quicquid Pontificii de septem Sacramentis nugentur, S. Scriptura non agnoscit, 1 Cor. 12. 13. *per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus---& omnes unâ potatione potati sumus in unum Spiritum*: quo duo N. T. Sacramenta tantum memorantur, Baptismus sc. & Sacra Coena. Fons autem erroris est, quod Sacramenti vox non nunquam latius significet omnia mysteria & ritus mysteriosos; quum hic quæstio sit de signis foederis & sigillis Novi Testamenti.

**A. BAPTISMUS** est Sacramentum regenerationis, à Deo & Christo institutum, ablutione aquæ elementaris spiritualementem ablutionem à peccatis per sanguinem & Spiritum Christi significans, & obsignans, & simul tesseram Christianismi conficiens.

**N. Externa** administratio requirit,

- a.** Elementum, aquam veram & meram sine mixtura heterogeneorum, quæ Pontificii ad pompam admiscunt, à simplicitate Evangelica recedentes. Sic Christus fuit baptizatus in Jordane, ubi nulla mixtura, Matth. 3. 6, 16. Joh. 1. 33. testatur Johannes Baptista, *se missum esse, ut baptizaret aquâ*. Sic ibidem merâ aquâ baptizavit Philippus eunuchum illum Æthyopem, Act. 8. 36. &c.
- b.** Immerisionem: ut Act. 8. 38. Eunuchus ille *descendit in aquam* cujus loco introducta est aspersio, quia & voce *aspersio* res significata exprimitur, 1 Pet. 1. 2. Alterutrum enim ut fiat, indifferens est.
- c.** Ministros, qui sunt soli Doctores; Matth. 28. 19. Baptismus mulierum *ἄνευ* est & *ἄλογ*.
- d.** Subjecta recipientia non tantum sunt adulti fideles, sed & Christianorum liberi.

(23)

a. De-

a. Defendimus Pædobaptismum contra Anabaptistas hisce argumentis;

a. Quia ad fidelium liberos pertinet promissio, Gen. 17. 7. *Sum Deus tuus & seminis tui post te. &c.* 11. Act. 2. 39. *Vobis facta est promissio & liberis vestris, &c.* Nec non gratia Spiritus adumbrata, sc. *eorum etiam est regnum Dei*, Marc. 10. 14. confer Act. 10. 47. *num quis aquam potest prohibere, quominus baptizentur isti, qui S. Spiritum acceperunt, sicut & nos?* etiam jus cœlestis beatitudinis habent, itemque ex naturali miseria liberati sunt; Spiritum Christi habent, & per eum regeneriti sunt. vide Rom. 8. 8, 9. Joh. 3. 3, 5.

b. Quia præceptum baptismi tantæ latitudinis est, ut nullo indicio infantes excludat, sed potius includat, Matth. 28. 19.

c. Quia baptismus venit loco circumcisionis: Col. 2. 11, 12. ubi Apostolus abrogationem circumcisionis probat ex eo, quod fideles N. T. rem circumcisione olim significatam haberent, sibi succedente obsignatam baptismo.

d. Quia infantes pertinent ad Ecclesiam & regnum Christi: hinc 1 Cor. 7. 14. dicuntur *sancti*: quod autem hæc sanctimonia salutaris sit, liquet ex sententia ipsius Christi, Matth. 19. 14.

β. Vindicamus contra objectiones. Urgent enim;

a. Quod baptizandi in antecessum debeant doceri: Matth. 28. 19. *Profecti ergo μαθητεύσατε, discipulos facite omnes gentes; baptizantes eos in nomen Patris, & Filii & S. Spiritus.* Urgent etiam, quod debeant prius credere & pœnitentiam agere; exigentibus id sæpius Apostolis.

b. Quod rem significatam non intelligant, ac proinde in infantibus baptismus nullius sit usus.

c. Quia Infantes non sint subjecta capacia regenerationis.

γ. Interna operatio consistit,

i. In obsignatione. Atque ita

a. Aqua significat sanguinem & Spiritum Christi, 1 Cor. 6. 11. *abluti estis, sanctificati estis, justificati estis; &c.* Ezech. 36. 25. *aspergam vos aquis mundis, ut mundemini ab omnibus impunitatibus vestris, &c.* quæ aqua est sanguis Jesu Christi Filii Dei,  
qui

Cap. XIV. DE OBSIGNATIONE EXTERNA. 175

*qui purificat nos ab omnibus peccatis, 1 Joh. 1. 7. Adde Pl. 51. 9.*

b. Immersio notat conjunctionem & unionem cum Christo, & exinde profluentem gratiam regenerationis & justificationis; sic *Jobannes baptizabat, & predicabat baptismum resipiscentiæ ad remissionem peccatorum, Marc. 1. 4. Act. 2. 38. resipiscite, inquit Petrus, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum S. Spiritus. Adde Act. 22. 16. Tit. 3. 5. Eph. 5. 26.*

ii. In effectu: hujus respectu

a. Nihil nisi receptionem in foedus efficit; qua *in unum corpus, sc. Ecclesiæ, baptizati sumus, 1 Cor. 12. 13.*

b. Efficaciam ex opere operato statuere, figmentum est Pontificiorum & Lutheranorum.

a. Hanc efficaciam rejicimus.

1. Quia gratiæ efficacia non semper sequitur baptismum, ut patet ex exemplo Simonis baptizati quidem, sed in impietate perdurantis; *Act. 8. 13, 21.*

2. Quia gratia prærequiritur & præsupponitur, non autem natura sequitur baptismum. Sic enim Philippus Eunuchum baptizare volebat, nisi prius *ex toto corde crediderit; cui respondens dixit: Credo Filium Dei esse Jesum Christum, Act. 8. 37. 38. adde Act. 20. 47. Rom. 4. 11.*

3. Quia causæ externæ & internæ ablutionis distinctæ sunt: *Matth. 3. 11. Ego quidem, inquit Johan. Baptista, baptizo vos aquâ ad resipiscentiam; ipse vero, qui pone me venit, Christus--vos baptizabit S. Spiritu & igne. Negaturque, externam ablutionem salvare; 1 Pet. 3. 21.*

4. Si baptismus esset causa gratiæ regenerationis & justificationis, deberet esse causa vel efficiens, vel meritoria, vel instrumentalis: alias enim ab omni causalitate excluditur. Non efficiens, illa enim solus Deus est: *quis potest remittere peccata, nisi solus Deus? Luc. 5. 21.* Non meritoria, quum illa solus sit Christus, *quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius &c. Rom. 3: 25.* Nec instrumentalis, quippe quæ sola fides est.

β. De-

- β. Defendimus contra objectiones ex locis; Act. 22. 16. ubi Paulus jubetur *surgere & baptizari, & abluere peccata sua, invocato nomine Domini.* Eph. 5. 26. Ecclesia dicitur *purgari lavacro aque per verbum.* Adde Tit. 3. 5. Joh. 3: 5. *Amen, Amen dico tibi, nisi quis fuerit regenitus ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum caelorum.* Ubi aquam de baptismo externo intelligunt, regenerationem per hunc produci contendunt, & sic salutem æternam ab eo suspendunt.
- γ. *Affectiones baptismi sunt,*
- I. *Necessitas,*
- i. Καθ' ἄγιν, non absoluta necessitate medii, quo Non-baptizati morientes ab omni salute excludi deberent; ut somniant Pontificii.
- α. Contrarium probamus ex eo, quod
- aa. Ne circumcisio quidem esset tantæ necessitatis. Nam per totum desertum nullus masculus fuit circumcisus; vide Jos. 5. 5, 6.
- bb. Sine baptismo salvatus est latro in cruce Luc. 23. 43.
- cc. Quia baptismus gratiam non confert, sed præsupponit & obsignat; ut supra probatum.
- dd. Quia sola infidelitas excludit à salute; Marc. 16. 16. *qui credit & baptizatur, salvabitur; qui vero non credit, condemnabitur.*
- β. *Nec juvant argumenta,*
- α. Ex locis, Gen. 17. 14. ubi *mas præputiatus, qui non circumciderit carnem præputii sui, utique excindetur à populo suo; nam irritum fecit fœdus Dei.* Quia autem circumcisionem excipit baptismus, eadem ejus cum circumcisione videtur ratio. Joh. 3. 5. *Amen, Amen dico tibi, nisi quis fuerit genitus ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum caelorum.* Ex quo baptismum aquæ ejusdem necessitatis reputant, ac quidem Spiritus, &c.
- β. *Quod naturâ sumus Filii iræ,* Eph. 2. 3.
- ii. Κατὰ θέν, agnoscimus tamen necessitatem præcepti, contra Socinianos, baptismum pro ritu, imo pro jure habentes.

Nos

a. Nos probamus,

- i. Ex mandato Dei & Christi. *Dei*, qui misit Johannem ad baptizandum, Joh. 1. 33. vide Matth. 21. 25. *Christi*, Matth. 28. 19. exigentibus etiam baptismum hoc jure Apostolis, Act. 2. 28. *Petrus ait: Resipiscite & baptizetur unusquisque vestrum &c.* Adde Act. 22: 16.
- ii. Quia ejus usus est perpetuus, quippe sigillum communionis nostræ cum Christo, Gal. 3. 27. *quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* 1 Cor. 12. 13. est etiam *ἰντερωτημα τὸ ἀγαθὸς συνειδήσεως εἰς θεὸν*, interrogatio, sive stipulatio bonæ conscientie erga Deum, 1. Pet. 3. 21.
- iii. Quia à nemine Spiritum habente arceri debet, Act. 8. 36. *quid prohibet, inquit Eunuchus, me baptizari?* adde cap. 10. 47.

β. Defendimus contra objectiones, dum urgent,

- a. Apostolos & 70. Discipulos non fuisse baptizatos.
- b. Quod Paulus dicat, *se non missum fuisse ad baptizandum,* 1 Cor. 1. 17.

II. *Unitas*, juxta quam baptismus non est reiterandus.

a. Quod facile evincimus,

- i. Quia *unus est baptismus*, Eph. 4. 5.
- ii. Quia baptismus successit in locum circumcisionis, quæ semel tantum fiebat.
- iii. Quia est signum initiationis in Ecclesiam Christi, quæ semel tantum fit, 1 Cor. 12. 13. *qua per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus.*

β. Defendimus contra objectiones ex locis Act. 2. 41. ubi suspicantur inter baptizatos fuisse eos, qui à Johanne Baptista baptizati fuerant. Et Act. 19. 4, 5. Ubi tamen Paulus inducitur loquens: *Johannes quidem baptizavit baptismorepiscencie, dicens populo, ut in eum, qui veniebat post ipsum, crederent, ἀνίστατες δὲ (οἱ δὲ ἀνίστατες) qui vero illum audierunt, (Johannem scilicet) baptizati fuerunt in nomine Jesu, nempe ab ipso Johanne.*

III. *Uniformitas*, secundum quam asserimus, baptismum Johannis ejusdem ordinis & dignitatis esse cum baptismo Christi &

(Z)

Apo-



Apostolorum. Quod contra Pontif. & Socinianos,

a. Probamus;

i. Quia Christus eo baptizatus fuit, Matth. 3. 15.

ii. Quia omnia essentialia eadem sunt. Author Deus, Joh. 1.

33. *Deus*, inquit Johannes, *misi me, ut baptizarem a-*

*qua &c.* Formula, *in nomen Christi*, Act. 19. 4, 5. vide

modo dicta. Promissio remissionis peccatorum, & requi-

situm, sc. fides. Luc. 3. 3. *predicavit* sc. Joh. Baptismum

*resipiscentiae in remissionem peccatorum.* Vide etiam vers. 7. 8.

β. Respondemus facile ad objectiones, quibus urgent diffe-

a. *Efficaciae*: qua Johannes *se aqua baptizare dixit, Christum*

*vero baptizatum Spiritu & igne*, Matth. 3. 11.

b. *Formulae*; quia Johannes non legitur baptizasse in nomine

Trinitatis.

c. *Subjectorum*; quia baptismus Johannis ad solos Judaeos,

non ad gentiles pertineat, videaturque derivatus ex ba-

p-tismo Profelytorum

**B** SACRA COENA est alterum N. T. Sacramentum, quod *Nu-*

*tritionis* dicitur, à Christo institutum, quo sub symbolis pa-

nis & vini, in usum cibi & potus transferendi, Testamen-

tum gratiae obsignatur, & communio meritorum Christi con-

firmatur.

✱ Denominaciones variae sunt: appellatur enim *Coena Domini*,

1 Cor. 11. 20. *Mensa Domini*, 1 Cor. 10. 21. *Fractio panis*,

Act. 2. 42. *Eυλογία & ευχαριστια*, Matth. 26. 26; 27.

✱ Doctrina orthodoxa agnoscit.

**A.** *Auctorem* & institutorem Dominum Jesum, 1. Cor. 11. 23. 15.

*Dominus Jesus accepit panem. &c.*

**B.** *Signa aeterna*, seu elementa Sacramenti esse,

**a.** *Panem vulgarem*, Act. 2. 42. 1 Cor. 11. 32. ita nempe,

ut frangi possit, & communicantibus distribui, unde pa-

nis, quem frangimus, *communio Christi* vocatur, 1 Cor.

10. 17.

**b.** *Vinum*, Matth. 26. 27, 29. Vinum aquâ dilutum nullibi

requiritur, Sc. Scripturae.

cap.

C. *Actio-*

C. *Actiones,*

a. *Administrantium,* quorum est,

i. Assumere panem, benedicere, frangere & distribuere; Matth. 26. 26. Luc. 22. 19.

ii. Vinum assumere, benedicere, infundere, tradere; Luc. 22. 20.

b. *Communicantium,* quales sunt omnes fideles, iudicio discerendo pollentes; 1 Cor. 11. 28. quorum est,

i. Panem eundem accipere & comedere; Matth. 26. 26. *accipite, comedite, &c.*

ii. Poculum vini accipere & bibere. Ubi contra Pontificios notandum, Laicos a calice non arcendos.

a. Probamus, hoc fieri à Pontificiis,

a. Contra expressum mandatum Christi, Matth. 26. 27. *Bibite ex eo omnes,* Matth. 26. 27. & Pauli, 1 Cor. 11. 29.

b. Contra privilegium Christianorum, qui sunt hæredes Testamenti, Luc. 22. 19. *hoc est corpus meum, quod frangitur pro vobis,* sc. quibus *per modum Testamenti decerno, ut Pater mihi decrevit, regnum,* vers. 29. vide Gal. 3. 15. quique omnes potati dicuntur, 1 Cor. 12. 13. & quibus res significata sc. *caro & sanguis Christi, quam edunt, & quem bibunt, ad vitam æternam* competit, Joh. 6. 53, 54.

β. Defendimus contra frigida effugia; quando dicunt

a. Christum & Apostolos solum panem administrasse, Luc. 24. 30. Act. 2. 42.

b. Metum esse, ut Laici vinum effundant.

c. Sufficere, si quis panem edat, ut vivat. Joh. 6. 51, *ego sum panis vivificus, --- si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum.* &c.

D. *Circumstantias.*

a. Loci: celebrari enim debet in conventu fidelium ad communem mensam; *quum convenitis in unum* &c. 1 Cor. 11. 20.

b. Temporis: debet sæpius fieri; secundam exemplum Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ, qui, *quotidie perdurantes concorditer in templo, frangebant panem,* &c. Act. 2. 42, 46.

E. *Rem significatam,*

(Z 2)

a. Elc-

180. **DE OBSIGNATIONE EXTERNA. Cap. XIV.**

a. Elementorum. Sic panis fractus & vinum fufum sunt symbola fracti corporis & fusi sanguinis Christi; 1 Cor. 11. 24, 25: *hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. Hoc poculum est Novum illud Testamentum per meum sanguinem, &c.*

b. Actionum,

i. Manducationis & potationis, quæ significant Spiritualem communionem sanguinis & corporis Christi per fidem; 1 Cor. 11. 24, 25.

ii. Celebrationis; cuius est recordari Christi, 1 Cor. 11. 24, 25. *facite hoc ad mei recordationem.* Et annuntiare mortem Christi; *quotiescunque ederitis panem hunc & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate, usque quo venerit, 1 Cor. 11. 26.*

J. Doctrina heterodoxa est præcipue Pontificiorum; quorum hic notandus triplex error.

I. De præsentia corporis Christi in cœna. Quam sententiam refutamus;

a. Quia contraria est S. Scripturæ, statuenti, Christi corpus in cœlis esse, & caventi, ut præsentiam ejus in terris credamus: ut demonstratum est ad articulum de Ascensione Christi; vide pag. 145. 146.; & Matth. 24. 26, 27. coll. Luc. 17. 22.

b. Contraria est rationi, quæ non admittit præsentiam corporis illocalis & non extensi.

c. Quia mysterium seu cœna non exigit aliam præsentiam, quam spiritualem, in quantum facit ad communionem spiritualem.

Objectiones vidimus tam Pontif. quam Lutheranorum supra ad articulum de Ascensione Christi.

II. De transubstantiatione; quam

a. Impugnamus,

i. Ex S. Scriptura, docente, panem & vinum accipi à communicantibus, Matth. 26. 29. Marc. 14. 25. 1 Cor. 10. 16. cap. 11. 23.

ii. Ex analogia fidei, quæ jubet, ut credamus, corpus Christi in cœlis esse, non in terra. Prout etiam ad doctrinam

erro-

erroneam de præsentia Christi probavimus. Confer Heb. 8. 4. *si in terra esset, ne Sacerdos quidem esset.*

iii. Ex natura Sacramentorum, quorum est gratiam significare & obsignare, atque eo modo, nec alio, rem ipsam conferre.

iv. Ex ratione, quæ non admittit, accidentia esse sine subjecto. Aut unum idemque corpus pluribus in locis posse simul esse. Aut corpus posse adesse per modum Spiritus, &c.

v. Ex communi sensu, retinent enim elementa colorem, saporem, & odorem, panis & vini.

§. Defendimus sententiam nostram contra argumenta, desumpta,

1. Ex locis, Matth. 26. 26. ubi Christus dixit: *Hoc est corpus meum*; quo asseruisse contendunt, id quod digitis tenetur, jam esse verum ac proprie dictum corpus suum. Joh. 6. 50---56, quod Christus se & carnem suam dixerit esse vere cibum ac panem.

2. Ex ratione, qua urgent, nos tantum panem & vinum recipere, si corpus & sanguis non adsint.

3. Quod Deus sit omnipotens.

Obf.; eadem fore valere contra Lutheranorum consubstantiationem.

III. De sacrificio Missatico; circa quod Pontificii statuunt, Sacerdotem sub speciebus panis & vini quotidie offerre corpus & sanguinem Christi, in verum sacrificium hilasticum ad remissionem peccatorum, tam viventium, quam mortuorum.

¶. Rejicimus hanc sententiam, quia est contraria,

i. Naturæ Sacramentorum; sacrificium enim hominis, ad Deum ascendentis, cultum; Sacramentum autem Dei, ad homines descendentis, gratiam dicit. Quum autem in S. Cœna Deus hæredibus suis cœleste aliquod donum conferat, patet, illud non sacrificii, sed Sacramenti, donum à Christo iis jam impetratum obsignantis, rationem habere.

ii. Naturæ sacrificiorum, quæ exigunt aliquid visibile, quod destruat, quale quid hic non est.

(Z 3)

iii. Oeco-

iii. Oeconomizæ N. T. quæ sacrificia hilastica non admittit: Heb. 9. 28. cap. 10. 7-- 10. præsertim postquam unicum sacrificium omnia consummavit, Heb. 9. 26. *semel circa consummationem seculorum ad abolitionem peccatorum sacrificio suo manifestatus est.* Et Heb. 10. 14. adde Joh. 19. 30. Gal. 3. 13. Unde nulli quoque hodie sunt Sacerdotes, Heb. 7. 24. Christus enim, *propterea quod manet in æternum, non transiens habet Sacerdotium*, h. e. non tradit officium, & locum alii; quod enim Levitici Leviticis succederent, erat ex morte, quam Christus, Sacerdos in æternum, non subit.

iv. Quia est *ὁχλοκρατία*, ad commemorationem sacrificii hilastici Christi. Jam vero simul hilasticum & eucharisticum esse non potest.

β. Næc causam eorum juvat, quod

1. Promittantur sacrificia sub N. T. ut Jer. 19. 22. *erectum iri Altare Jehovæ in Ægypto, ita ut Jehovam colant sacrificio & munero.* Mal. 1. 11. *ab ortu solis usque ad occasum magnum eris Dei nomen in Gentibus, & in omni loco oblatio munda Nomini ejus offeretur.* Promittuntur etiam Sacerdotes futurorum; Jer. 33. 18. *etiam Sacerdotibus Leviticis non excindetur vir à conspectu meo, offerens holocaustum, & adolens munus, ac faciens sacrificium omnibus diebus.*

2. Quod Apostoli dicuntur fuisse *ἀειψύοντες*, sacrificantes, seu officium Missæ celebrantes.

3. Quod sacrificium Melchisedeci obtulerit panem & vinum, Gen. 14. 18, 29. & sic præfiguratum fuisse sacrificium Missæ.

4. Quod Agnus Paschalis fuerit Sacramentum, & nihilominus continuerit sacrificium.

CAPUT XV.

*De Glorificatione.*

**S**EQUITUR jam ultimum beneficium gratiæ, respiciens statum Consummationis, atque oppositum poenæ per peccatum promeritiæ, nempe GLORIFICATIO, quæ est sextum salutis applicandæ beneficium, hominem vere fidelem, ex hac vita discedentem, ita à poenis immunem sistens, ut primo quoad animam immediate in cœlum, sedem Beatorum, transferatur; deinde intercedente resurrectione corporis, simul cum anima & corpore, æterna gloria beetur.

*A.* Vox hoc sensu occurrit, Rom. 8. 17, 30. *quos justificavit, eos etiam glorificavit.*

*B.* Rem ipsam quod attinet; asserimus hanc glorificationem fieri, *Respectu mentis*, per mortem à corpore separatæ.

I. Quantum ad mentis existentiam, eandem superstitem manere post mortem; non vero interire, aut cognitione & sensu privari, asserimus.

PRIUS controversitur inter nos & Socinianos, extinctionionem mentis post mortem corporis statuentes.

*a.* Refutamus hanc sententiam;

i. Ex immortalitate animæ, quæ cum corpore occidi nequit, Matth. 10. 28. *ne timeate vobis ab iis, qui trucidant corpus, animam autem trucidare non possunt.* Adde cap. 22. 32.

ii. Ab exemplis superstitem, ut *Latromis, qui in die mortis cum Christo, etiam mortuo, fuit in Paradiso*; quod aliter, quam quoad animam adhuc superstitem & viventem, fieri non potuit: Luc. 23. 43. adde exemplum Lazari & Epulonis, Luc. 16. 22, 23. &c.

iii. Ex translatione mentis ad Deum & Christum. Eccles. 12. 7. 2 Cor. 5. 8. *migramus à corpore, & ad Dominum inus habitatum.*

*β.* Nec valde urgent argumenta in contrarium:

I. Ex

1. Ex Eccles. 3. 19. ubi *eventus filiorum hominis similis esse dicitur eventui ipsius bestię, & eventus illis idem, ut moritur hæc, ita mori illum, &c.*
2. Ex ratione, quod anima dependeat à corpore.  
POSTERIUS controvertitur nos inter & Anabaptistas quosdam, volentes, animas a corpore separatas cognitione & sensu esse destitutas, & quasi dormire.
- α. Probamus contrarium.
  - i. Quia mortui in fide dicuntur vivere; Matth. 22. 32. Luc. 20. 38. *Deus non est Deus mortuorum, sed viventium: omnes enim vivunt ei.*
  - ii. Quia dicuntur consolatione frui, impii vero cruciari; ut exemplum Lazari & Epulonis probat, Luc. 16. 23. 1 Pet. 3. 19. *Spiritus, qui sunt in carcere, &c.*
  - iii. Quia dicuntur in statum feliciorum transire, sc. *esse cum Christo, quod longe optimum est*, Phil. 1. 23. Unde beati prædicantur, Apoc. 14. 13.
  - iv. Quia actiones eorum enarrantur, sc. *meminisse*, Luc. 16. 25. *Deum laudare*, Apoc. 7. 9, 10.
  - v. Ex natura mentis, quæ consistit in actuositate cogitandi.
- β. Objiciunt;
  - i. Quod mortui dicuntur nec esse, nec meminisse, Ps. 39. 14. *Desiste a me, ut recreer, antequam abeam, & non sum.* Ps. 6. 6. *in morte non est recordatio tui.*
  - ii. Dicuntur *dormire in pulvere*, Dan. 12. 2.
  - iii. *Quiescere dicuntur à laboribus*, Apoc. 14. 13.
  - iv. Quod anima non magis possit agere sine corpore, quam corpus sine anima.
- II. Quod attinet Animæ statum; glorificatio efficit, ut fideles à morte, ab omni calamitatum genere liberi, illico salutis sint participes. Quod opponimus Pontificiorum purgatorio, qui tertium a cœlo & gehenna locum statuunt, in quo animæ sanctorum tanquam in carcere detinerentur, & igne corporeo expurgarentur, donec justitiæ divinæ satisfecerint.
- α. Nos probamus contrarium, quia sancti,

a. *Requiescere dicuntur, Apoc. 14. 13. Ingredi pacem, requiescere in cubilibus suis, Esaj. 57. 2.*

b. *Dicuntur immediate ire in vitam, Joh. 5. 24. in sinum Abrahae, Luc. 16. 22. cap. 23. 24. 2 Cor. 5. 1-----8. Rom. 8. 10. Phil. 1. 23.*

c. *Quia justificati ex hac vita discedunt, quippe nulla iis est condemnatio, Rom. 8. 1, 33, 34. Sed sunt consummati in perpetuum, Heb. 10. 14.*

d. *Quia nec justitia, nec misericordia Dei tale quid patitur. Non misericordia, quia ne quidem peccatorum vult recordari, Ezech. 18. 22. Heb. 10. 17. Nec justitia, cui satisfactum est à Christo.*

e. *Quia falsis nititur hypothesis de discrimine peccatorum venialium & mortalium; reatus culpæ & pœnæ; satisfactio- nis Christi plenæ & semiplenæ.*

ß. *Objectiones defumuntur,*

i. *Ex locis Matth. 5. 25, 26. ubi Christus loquitur de carcere, unde qui in eum essent coniecti, non forent liberandi ante persolutum ultimum quadrantem; iste autem ipsis est purgatorium, quia ex inferno nulla sit unquam liberatio futura. Adde Mat. 12. 32. 1 Cor. 3. 12, 15. ipse vero servabitur, ita tamen ut per ignem, quem ignem putant Purgatorium. Phil. 2. 10. In nomine Jesu flectentur etiam genua subterraneorum, h. e. in Purgatorio laborantium.*

ii. *Ex apparitionibus eorum, qui à morte resuscitati sunt, quidum ex coelo redire non potuère, oportet, ut ex tertio aliquo loco redierint.*

2. **RESPECTU CORPORIS**, de cujus resurrectione spes nobis facta est. Cujus consideramus

*A. Veritatem,*

a. *Ex testimoniis,*

i. *Tum ex V. T. Deut. 32. 39. Ego morte afficio, & vitæ restituo, h. e. ego, cui competit jus vitæ & necis, jure efficio, ut homines ad meum arbitrium moriantur, atque etiam efficiam, ut mortui aliquando vitæ restituantur. Job. 19. 26, 27, Dan. 12. 2. Hof. 13. 14. è potestate sepul-*

(Aa)

cri



*eri redimam eos, à morte vindicabo eos, &c.*

ii. Tum ex N. T. Joh. 5. 21, 28, 29. *veniet hora, qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, sc. Filii hominis; & prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem condemnationis.* Exemplo esto Lazarus, Joh. 11. 34---44. 1 Cor. 15. per integrum caput.

b. Ex rationibus,

i. Primæ promissionis; Gen. 3. 15. *conteret Caput Serpentis; quod etiam explicatur per abolitionem mortis, Heb. 2. 14. ut per mortem aboleret Christus eum, qui imperium habebat mortis; hoc est, Diabolum.* adde 1 Cor. 15. 26.

ii. Promissionis fœderalis; Matth. 22. 32. *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus non est Deus mortuorum, sed viventium.*

iii. Efficaciæ redemptionis Christi, Rom. 8. 23. *quâ Nos, qui primitias Spiritus habemus, apud nos ipsos suspiramus adoptionem, expectantes redemptionem corporis nostri.*

iv. Justitiæ Dei retributivæ, qua *justum est retribuere unicuique---quum patefiet Dominus Jesus de cælo cum Angelis potentia suâ, &c.* 2 Thess. 1. 6, 7.

B. Subjectum,

aa. *Quod, sunt omnes homines, infideles ad judicium condemnationis, fideles ad judicium vitæ. Quod defendimus contra Socinianos quosdam, universalem illam resurrectionem negantes.*

a. Probamus ex locis evidentibus, Matth. 25: 32. *congregabuntur coram eo omnes gentes, &c.* Vide supra Joh. 5. 28. Act. 24. 15. *expectant resurrectionem mortuorum, cum justorum, tum injustorum.* 2 Cor. 5. 10.

β. Defendimus contra objectiones,

a. Ex loco Esaj. 26. 14. *Mortui non reviviscunt, expertes vitæ non resurgent.*

b. Ex restrictione ad multos, Dan. 12. 2. *Multi ex dormientibus pulverulenta terra expergiscentur.*

c. Ex eo, quod resurrectio dicitur privilegium justorum, Luc. 14. 14. bb. *Quod,*

Cap. XV. DE GLORIFICATIONE. 187

*bb. Quod, est hoc ipsum corpus, non aliud: contra Socinianos statuentes, corpus hoc commutatum iri cum alio corpore, ita ut idem numero corpus non resurgat in posterum.*

*a. Probamus contra ex locis evidentibus; Job. 19. 26, 27. postquam vermes confoderint istud, sc. corpus, evigilante me, ex carne mea videbo Deum, & ego videbo mihi, oculi mei videbunt & non alius. 1 Cor. 15. 42, 53, 54. Rom. 8. 11. 2 Cor. 5. 10. Phil. 3. 21.*

*β. Objectiones sunt ex locis, Luc. 20. 36. ubi ἰσχυροὶ dicuntur futuri. 1 Cor. 6. 15. Deus dicitur & escas & ventrem abolere. cap. 15. 50. caro & sanguis non possunt regni Dei hereditatem consequi. Ergo videtur necessario futura commutatio hujus corporis cum alio.*

*C. Beneficium. Superaddit enim illud resurrectioni corporis fidelium gloriam, 1 Cor. 15. 40---44. quæ corruptibile excitatur incorruptibile, ignominiosum excitatur gloriosum, &c. Totique personæ superaddit vitam æternam; quæ consistet,*

*a. In perfecta sapientia: atque tunc etiam vocatur Visio Dei, Ps. 16. 11. Ps. 17. 15. Ego in justitia videbo vultum tuum, satiabor, quum evigilavero, specie tua. Matth. 5. 8. videbunt Deum. 1 Cor. 13. 12. 1 Joh. 3. 2.*

*b. In perfecta sanctitate; quæ secundum imaginem Domini transformamur, ex gloria in gloriam, sicut à Spiritu Domini, 2 Cor. 3. 18. & Deum purissime amabimus, nam Charitas nunquam excidit, &c. 1 Cor. 13. 8.*

*c. In consummato gaudio ex fruitione Dei, Ps. 16: 11. satietas letitiarum est cum vultu tuo, jucunditates sunt in dextra tua in seculum. adde Matth. 25. 21, 23.*

*D. Circumstantias,*

*a. Loci, qui Paradisus est, seu Coelum Beatorum; 2 Cor. 12. 2--4. 2 Cor. 5. 1. domicilium ἀχειροποίητον æternum in caelis vocatur. 1 Theff. 4. 17.*

*b. Temporis; adscribitur enim salutis æternitas, 2 Cor. 4. 17. 18. æternum pondus gloriæ, &c. 2 Cor. 5. 1. Cap. 15. 26. Matth. 25. 46. Heb. 5. 9.*

(A a 2)

CAP.

## CAPUT XVI.

*De Ecclesia.*

**B**ENEFICIORUM gratiæ Hæredes ad se invicem relati conjunguntur in unam societatem, quæ ECCLESIA vocatur. Cujus spectanda,

*A. Denominatio*

α. Secundum ἔτυμον: dicitur enim ab ἐκκαλεῖν *evocare*, quod ex usu τῶν LXX. respondet Hebræo קָרָא. Ἐκκλησία vi præpositionis ἐκ designat separationem, vi vero verbi καλέω notat collectionem & congregationem. Ut sit societas hominum evocatorum ex aliquo loco aut statu, & congregatorum in cœtum aliquem. Transfertur itaque ab usu politico in usum sacrum, ut concio populi, ad regnum Christi spectantis, tanquam populus *Ecclesia* vocetur.

β. Secundum συνονομίαν; vocatur Ecclesia etiam Πανήγυεις, Heb. 12. 23. Συναγωγή, Jac. 2. 2. & Ἐπισυναγωγή, Heb. 10. 21. & secundum alias relationes *Populus Christi*, & *Grex*.

γ. Secundum ὁμονομίαν; aliquando latius significat omnes regni Christi subditos inclusis Ministris, 2 Thess. 1. 1. aliquando exclusis Ministris, Act. 15. 4. cap. 20. 28.

B. *Res ipsa*. Ita Ecclesia est cœtus hominum à Deo ex reliquo mundo evocatorum, & in unum corpus societatis conjuncture, ad communem spem cœlestis gloriæ, & ad demonstrationem gloriosæ misericordiæ suæ. Itaque

α. *Causa efficiens* seu colligens est Deus, Heb. 3. 4. hinc Ecclesia vocatur *Domus Dei viventis*, 1 Tim. 3. 15.

β. *Partes* totum constituentes sunt homines *vocati sancti*, & *fideles*: Rom. 1. 7. 1 Cor. 1. 2. quotquot itaque per gratiam participes sunt corporis & Capitis; sive sint infantes fidei, sive Catechumeni, jam modo credentes; sive juste excommunicati, & post justam excommunicationem pœnitentes; sive etiam ex imbecillitate quadam peculiari à particulari Ecclesia separati: Hos omnes ad Ecclesiam pertine-

re,

re, negandum non est, dum supponuntur, ejusdem Spiritus esse participes.

1. *Forma* Ecclesiæ consistit in participatione Spiritus, fidem ingenerantis, aut quovis modo sanctificantis ad communionem sanctorum: ut licet *multa* sint *membra*, *unum tamen sit corpus*; 1 Cor. 12. 13, 14, 20, 25, 27.

C. *Divisio* Ecclesiæ varia est;

1. Dividitur

a. *In Militantem* in terris, constantem ex hominibus in hoc stadio adhuc luctantibus. Vide 1 Tim. 6. 12. *decerta præclarum illud certamen fidei*. 2 Tim. 4. 7, 8. Rom. 8. 37. Eph. 6. 12.

b. *In Triumphantem* in cœlis, constantem ex hominibus, luctâ finitâ triumphum in cœlis beatum atque æternum agentibus. Heb. 12. 22, 23. Apoc. 7. 9, 14.

2. Dividitur etiam in Ecclesiam

a. *Invisibilem*, quæ dicit multitudinem electorum ac credentium, spiritualem communionem cum Christo & inter se habentium: quæ invisibilis dicitur, quia interna & essentialis ejus forma (sc. vera fides & sanctitas) ab hominibus videri non potest; secundum quem statum proprie *Ecclesia* dicitur. Cujus notanda sunt attributa sequentia;

i. Invisibilitas ipsa; Ps. 45. 14. *tota gloriosa est filia Regis* (quæ est Ecclesia) *introrsum*. Rom. 2. 29. Apoc. 2. 17.

ii. Puritas simplicissima; Cant. 4. 7. *tota pulchra, Amica mea, & vitium nullum est in te*. cap. 6. 8. Eph. 5. 27. vocatur *Ecclesia gloriosa non habens maculam, aut rugam, aut quiquam ejusmodi, sed sancta & inculpara*.

iii. Perpetuitas, ita ut *ne quidem portæ inferorum Ecclesiam sint superature*, Matth. 16. 18. quippe *Christus cum ea est omnibus diebus usque ad consummationem seculi*, Matth. 28. 20. adde Joh. 14. 16.

iv. Infallibilitas quoad totam viam; *Virtute Dei custodimur per fidem ad salutem*, &c. 1 Petr. 1. 5. adde Matth. 16. 18. & 1 Joh. 3. 5.

3. *Visibilem*, quæ est coetus eorum, qui sub dispensatione verbi,  
(Aa 3) bi.

bi, Sacramentorum, & Disciplinæ Ecclesiasticæ, in unam societatem externam coalescunt: quæ societas per Meton. continentis pro contento Ecclesia vocatur, quoniam vera Christi membra nullibi nisi sub tali dispensatione inveniuntur, & iudicio charitatis obligamur de iis omnibus bene sperare. Verum, quia in hoc cœtu numerus hypocritarum, ad tempus latitantium, aliquando major esse possit numero vere credentium, tenendum hic;

*aa.* Hypocritas istos vera Ecclesiæ membra non esse. Quod probamus contra Pontificios:

i. Ex locis disertis; Gal. 2. 4. Adde 1 Joh. 2. 19.

ii. Ex ratione formali Ecclesiæ, propter quam membra cœferi non possunt, qui Christum non habent caput; Ephes. 5. 23. Nec ad ovile Christi pertinent, qui non sunt oves Christi; Joh. 10. 3--16.

*bb.* Ecclesiam externam in terris posse obscurari, ut nullus ejus cœtus illustris appareat. Quod etiam,

*a.* Probamus contra Pontificios.

i. Ab exemplo Ecclesiæ V. T. ubi Elias conquestus est Deo, quod *Israelitæ dereliquerint fœdus Dei, altaria destruxerint, Prophetas occiderint, quodque solus sit relictus, & querant etiam vitam ejus auferre*, 1 Regum 19. 14. Rom. 11. 3. adeoque nulla Ecclesiæ facies aut cœtus apparuit illustris.

ii. Ex Vaticiniis N. T. talem statum prædicentibus, ut Apoc. 12. 6. *Mulier, h. e. Ecclesia, fugit in solitudinem*, adeoque externe in terris fuit obscurata, idque *diebus mille ducentis sexaginta*. Adde vers. 14. cap. 13. 7. ubi Bestiæ, h. e. Antichristo, *datum fuit bellum gerere cum sanctis & eos vincere, &c.* & vers. 14. dicitur *seduxisse incolas terræ &c.* Adde parabolam de Zizaniis, Matth. 13.

*ß.* Defendimus contra objectiones,

i. Ex testimoniis; Matth. 5. 14. *Vos estis lux mundi: Non potest urbs occultari supra montem posita*. Vide Matth. 18. 17. 1 Tim. 3. 15. *Ecclesia vocatur domus Dei, columna & stabilimentum veritatis*

ii. Ex eo, quod nos ipsos debemus adjungere Ecclesiæ; si

au-

autem visibilis non esset, non appareret, cui nos adungere vellemus? aut possemus?

**D. Nota** Ecclesiæ, per quas dignoscitur Ecclesia particularis & visibilis à falsa, sunt,

**x. Vere,** nempe,

a. Confessio veritatis; qua *simus superstruēti super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, cujus lapis angularis est Jesus Christus*, Eph. 2. 20. Joh. 10. 27. *oves meæ vocem meam audiunt---& sequuntur me*. Veritas enim semen regenerationis est, & facit ad fidem veram ingenerandam. Ut ea demum vera Mater sit, in qua ex hoc semine vera est regeneratio.

b. Legitima Sacramentorum administratio, quæ veræ doctrinæ adhærescit, & veritatem confirmat: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvabitur*, Marc. 16. 16. adde Eph. 5. 26.

**2. Spuriæ** Pontificiorum, qui numerum notarum præter necessitatem multiplicant, & aliena recensent; quibus notarum loco sunt: Nomen *Catholicæ* Ecclesiæ, *antiquitas, duratio, amplitudo, successio, consensus, miracula, felicitas, sanctitas, &c.*

**a. Rejicimus** has notas contra Pontificios.

i. Quia quædam non sunt Ecclesiæ propriæ, ut *antiquitas; amplitudo; felicitas &c.*

ii. Quia quædam non semper Ecclesiæ conveniunt, ut *amplitudo, successio, felicitas, miraculorum patratio.*

iii. Quia non conveniunt Ecclesiæ Romanæ, quæ plurima innovavit, atque ita consensum cum antiqua Ecclesia diffregit, intestino dissensu discutitur, miracula fingit, veram sanctitatem ignorat, &c.

**β. Objectiones** facile solvimus, quæ ex Prophetiis desumuntur, si distinguamus periodos temporum. Perpetua enim eorum fallacia est; id, quod dictum est secundum quid, rapere ad universalialia.

**E. Gubernatio** Ecclesiæ; atque hic considerare oportet,

**aa. PERSONAS** ad ejus gubernationem facientes. Ubi

*AA. CA-*

**AA.** CAPUT regiminis tum externi, tum interni, est CHRIS-  
TUS,

**aa.** Solus, excluso omni homine. Quod defendimus contra Pontificios, statuentes, caput aliud Ecclesiæ ad regimen externum obeundum in Ecclesia requiri.

**a.** Probamus contrarium.

**i.** Ex statu Ecclesiæ N. T. particulari, quæ Monarchiis mundanis non debet assimilari: Matth. 20. 25---27. *Principes gentium dominantur in eas, & Magnates licentiâ utuntur in eas: verum non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos magnus fieri, sit vester minister, & quicumque voluerit inter vos primus esse, sit vester servus.* Vide Luc. 22. 24.

**ii.** Quia Ecclesia propter libertatem N. T. omne dominium humanum respuit, & nihil nisi ministerium sub Christo agnoscit: *Non nos ipsos prædicamus, dicit Paulus, sed Christum Jesum Dominum; nos autem servos vestros propter Jesum,* 2 Cor. 4. 5.

**iii.** Quia in catalogo officiorum Ecclesiasticorum nulla talis capitis fit mentio. 1 Cor. 12. 29. Eph. 4. 11.

**iv.** Quia ἀρχή est, humano arbitrio subjici, & caput verum retinere. Vide coll. 2. 18, 20.

**β.** Objiciunt Adversarii;

**i.** Ecclesiam Judaicam summum Pontificem, ut visibile caput, habuisse.

**ii.** Ecclesiam comparari cum regno, ovili, & domo, ac proinde caput requirere.

**iii.** Sine visibili capite nullum ordinem posse defendi.

**bb.** Nec censendum, quod Petrus constitutus fuerit à Christo Vicarius ejus in terra, & Ecclesiæ Monarcha, contra eodem Pontif.

**a.** Probamus enim contrarium,

**i.** Ex decisione Christi, quum contentio de principatu oborta esset, Luc. 22. 24---27.

**ii.** Ex damnatione Corinthiorum, dum alius dicit: *ego sum Pauli, ego vero Appollo, ego vero Cepha, ego vero Christi,* &c. 1 Cor. 1. 12.

Ex

iii. Ex æquali potestate inter omnes Apostolos, ita ut Paulus illis cedere noluerit, 2 Cor. 11. 5. *puto me nibilo inferiore fuisse summis Apostolis.* Sed ut solum illi *dextram societatis dederint.* Gal. 2. 9.

iv. Quod Petrus missus fuerit ad Ecclesias; Act. 8. 4. & rationem facti reddere coactus fuerit: Act. 11. 3. &c.

β. Objectiones defumunt;

i. Ex locis, Matth. 16: 18, 19. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.* item, *Tibi dabo claves regni cælorum.* Adde Joh. 21. 25.

ii. Ex ordine recensionum, quod ut plurimum primo loco numeretur; ut Matth. 10: 2. ubi diserte *Primus* vocatur.

cc. Multo minus Papæ competit, esse vice Christi, contra Pontificios, qui Papæ primatum vendicant jure Successionis Petrinæ. Nos contra,

α. Probamus,

i. Papam Petri Successorem in Episcopatu Romano dici non posse; quia Petrus nunquam Romæ Episcopus fuit: Munus enim Episcopatus cum Apostolatu non consentit, cum Apostoli nulli Ecclesiæ fuerint adstricti; sed quemadmodum *Paulo concreditum fuit Evangelium præputii*, ita *Petro circumcissionis*, Gal. 2. 7, 8, 9, h. e. ad Judæos, ad quos etiam *iv διασκοπή* conscripsit epistolas; 1 Pet. 1: 1. Nec chronologia patitur eum unquam Romæ sedisse, cum nullibi in Epistolis Pauli, Romæ conscriptis, Petri fiat mentio.

ii. Quia Petri Successor non debuisset esse Episcopus Romanus, sed Johannes post fata Petri adhuc superstes: aliàs enim Apostolus subjici debuisset Episcopo Romano, quod absurdum.

iii. Quod si jura successionis in primatu essent agnoscenda, pertinerent ad Antiochenum potius, quam ad Romanum; cum Petrum Antiochiæ diu commoratum fuisse, quando Ecclesias Asiaticas curavit, in confesso sit.

β. Objectiones frigidæ sunt,

i. Ex 1 Pet. 5: 13. *Ecclesia, quæ Babylone est, vos salutat; unde*  
(B b) de



de, quia per Babylonem intelligunt Romam, colligunt eum Romæ fuisse.

ii. Ex traditione Patrum quorundam, asserentium, Romæ sedisse & occisum fuisse.

dd. Quo ipso asserimus; Pontif. Rom. Antichristum esse.

a. Probamus,

i. Ex caractere arrogantiae, qua superioritatem sibi vendicat; 2 Theff. 2. 4. *se se opponens, & efferens adversus quicquid dicitur Deus aut cetera numen; adeo ut in templo Dei tanquam Deus sedeat, præ se ferens, se esse Deum.* Dan. 11. 36, 37. Huc faciunt cornua agni, Apoc. 13. 11. & successio in throno regni Romani; Apoc. 13. 12. Cap. 17. 11.

ii. Ex caractere doctrinae Apostaticæ, quæ est *defectio & arrogantia*, 2 Theff. 2. 3, 4. *Multiplicatio iniquitatis, refrigeratio charitatis multorum*, Matth. 24. 12. *Apostasia à fide, hypocrisis falsiloquorum, prohibitio matrimonii, abstinentia à cibis, quos Deus creavit, quæ doctrina vocatur Dæmoniorum*, 1 Tim. 4: 1-3.

iii. Ex modo propagandi, quo excrevit & prodiit in publicum: collato cum tempore & loco; 2 Theff. 2. 4---10. Apoc. 17. 3, 4.

β. Opponent Adversarii, Vaticinia de Antichristo minus convenire Papæ.

i. Quod Antichristus sit una persona: uti 2 Theff. 2. 4. vocatur *homo sceleratus, filius perditionis*. Apoc. 13. *Bestia*: Papatus vero sit successio personarum.

ii. Quod solum per tres annos cum dimidio dominatus Antichristi constituatur, Apoc. 12. 14. Papa autem per multa secula Ecclesiam rexit.

iii. Quod Antichristus venire non possit imperio Romano permanente. Papa autem sub imperio Romano dominetur.

iv. Quod locus non conveniat; Antichristum enim Hierosolymis in templo debere sedere; Apoc. 11. 8. 2 Theff. 2. 2.

BB. MINISTRI, Capiti Christo subordinati sequuntur. Estque MINISTERIUM functio Ecclesiastica, quæ homo donis specialibus instructus, & ad eorum impendium singula-

ri

ri vocatione obligatus, jure mysteria Spiritus dispensat: Sic de nobis reputet quis ut de Ministris, & Dispensatoribus mysteriorum Dei, 1 Cor. 4. 1. 2 Cor. 4. 1. Omnis autem iis, quæ de Ministris extraordinariis adducuntur, quales sunt Prophetæ & Apostoli. Nostræ considerationis sunt Ministri ordinarii, qui sunt,

I. PASTORES, Ephes. 4. 11, 12. quorum munus est curare, ut cœtus Ecclesiæ puro Dei verbo pascatur, & sub disciplina retineatur. Horum consideranda,

A. *Vocatio*, quæ nobis nihil aliud est, quam divina gubernatio, quâ homini, donis specialibus instructo, & amore Ecclesiæ incitato, ad curam pastorem obeundam porta aperitur, ut desideretur, & admittatur ad peculiarem aliquem gregem gubernandum. Requisita autem hujus vocationis sunt,

i. Futuri pastoris qualitates, explorandæ donec inculpatus inveniat: 1 Tim. 3. 10. *probentur prius, deinde ministrent, si sint inculpati.* Cœlibatum, quem Pontificii ita urgent, jure à requisitis excludimus, quia ipsa S. Scriptura excludit; 1 Tim. 3. 2. *Episcopus sit unius uxoris Vir.* 1 Cor. 9. 5. Tit. 1. 6.

ii. Consensus populi, pastorem desiderantis, aut saltem propositum approbantis. Tit. 1. 5. Act. 14. 23. *per suffragia creaverunt per singulas Ecclesias Presbyteros, &c.* De jure patronatus non est litigandum, parum enim refert, à quo persona grata & habilis proponatur, modo absit *περὸν πολιψία*, Jac. 2. 1. *fratres, ne cum respectu personarum habete fidem Domini nostri Jesu Christi gloriosi.* Est modo Ecclesia habitudinem Pastoris propositi agnoscat.

B. *Ordinatio*, quæ ritus inaugurationis & quasi confœderationis est inter Ecclesiam & Pastorem, sit *χειροθεσία*, quâ mediante Ecclesia personam designatam agnoscit, ac dona S. Spiritus precibus super eum rogat. Hæc *χειροθεσία* est

a. Eorum, qui in Ecclesia præsunt, sive Presbyterii, 1 Tim. 4. 14. 2 Tim. 1. 6,

b. Recipit vocatum cum obligatione ad omne boni Pastoris munus.

(Bb 2)

Q. Quæ-

Q. Quæritur, an legitima sit Reformatorum Vocatio, qui legitimam ex hypothesi *χειροθεσίαν* non acceperunt:

β. α. *Χειροθεσίαν* fieri nomine populi, & spectare tantum ad confœderationem, adeoque ad eam quemcunque delegari posse, quotiescunque est casus extraordinarius, quum Deus sua charismata personis non alliget.

β. *Χειροθεσίαν* receptam in communionem Ecclesiæ Pontificiæ non supponi à nobis illegitimam fuisse, licet manus imponentes munere suo non legitime fungerentur, cum facta fuerit cum obligatione docendi veritatem Evangelicam.

C. *Sustentatio*: quæ est stipendii assignatio, quod cum in finem solvendum, ut ministri in Ecclesiæ usum vacare possint, & honeste vivere. Hic quæstio nata est cum Anabaptistis, qui stipendium accipere ab Ecclesia illegitimum censent.

α. Contrarium probamus,

1. Ex lege & instituto Christi ac Apostolorum Matth. 10.

10. 1 Cor. 9. 7, 13. 1 Tim. 5. 17, 18.

2. Ab exemplis Apostolorum, qui stipendia receperunt.  
2 Cor. 11: 8. Phil. 4. 16.

3. Quia ut debitum extenditur à Paulo ad omnes docentes,  
Gal. 6: 6.

β. Defendimus facilè contra objectiones desumptas

1. A præcepto Christi, Matth. 10. 8.

2. Ab exemplo Pauli, 2 Cor. 11: 12, 13.

II. PRESBYTERI in verbo Dei non laborantes: de quibus statuum, non quidem esse distinctum munus à munere pastoris, sed esse distinctum exercitium peculiaris charismatis, nempe prudentiæ in gubernanda Ecclesia; quatenus Deus voluit, ut secundum varietatem charismatum unusquisque munus suum exercent. Controversia nobiscum intercedit cum Remonstr. & Pontificiis, qui negant, Seniores Regentes, non vero docentes, ex instituto divino in Ecclesia esse admittendos.

α. Probamus nos eorum institutum esse divinum;

1. Quia clare Seniores Regentes à docentibus distinguuntur

1 Tim. 5. 17. *qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore, digni*

*digni habentur: maxime qui laborant in sermone & doctrina.*

1 Cor. 12. 28. Rom. 12. 8.

2. Quia ex illis & ex docentibus constituuntur Synedria & conventus Ecclesiastici, quales fuerunt Hierosolymis, ubi Apostoli, quippe docentes, & Presbyteri Synedrium faciebant; Act. 15. 2, 6, 22.

β. Defendimus contra objectiones: urgentes;

1. Quod Illi sint Laici.

2. Quod omnes Ministri Ecclesiæ debeant esse *διδασκoi*, & apti ad invigilandum Ecclesiæ; Act. 20. 28.

III. DIACONI & DIACONISSÆ, quibus incumbit cura pauperum & necessitatum Ecclesiæ.

a. De Diaconis; vide Act. 6: 2--4. ubi *septem viros, idoneo testimonio ornatos, plenos S. Spiritu & sapientia, præfecerunt Apostoli ministerio mensæ, curæ pauperum, aliisque Ecclesiæ necessitatibus.* Adde Rom. 12: 7, 8. 1 Tim. 3. 8.

b. De Diaconissis, vide 1 Tim. 5: 9, 10. ut *Phœbe fuit Diaconissa Ecclesiæ Cenchrœensis*, Rom. 16: 1. Præter hos nullos in Ecclesia externa agnoscimus Ministros, ac proinde rejicimus Hierarchiam Pontificiam; Episcopos & Archiepiscopos. Hic nascitur quæstio cum Pontif. & aliis; an Episcopi sint juris divini? & an in præfectura Ecclesiæ Ministri sint potestate inæquales, ut quibusdam privatis competat jurisdictionis in alios?

α. Negativam sententiam probamus,

a. Ex identitate muneris Episcopi, Pastoris & Presbyteri, ita ut Presbyter etiam Episcopus vocetur, ut Petrus, se vocans etiam *Presbyterum*, *æque ac reliquos, quos jubet pascere Dei gregem*, 1 Pet. 5. 1, 2. adde Act. 20. 28. 1 Tim. 5. 17. Tit. 1: 5, 7.

b. Quia Oeconomia N. T. nullum in Ecclesia admittit dominium, sed *pascere gregem, & curam ejus habere*, 1 Pet. 5. 2. adde Luc. 22. 25, 26. 1 Cor. 3. 5.

c. Quia in una eademque Ecclesia plures erant Episcopi, quod cum natura Episcopatus hodierni non convenit; ut patet ex Phil. 1. 1. ubi *Episcopis & Diaconis* ejusdem Ecclesiæ,

(Bb 3)

quæ

quæ Philippis est gratiam & pacem precatur. Adde Act. 20. 17, 18.

- β. Defendimus contra objectiones,
- a. Quod Apostoli fuerint superioris potestatis quam tantum Discipuli; ac proinde omnes Ministros non esse æqualis potestatis.
  - b. Quia potestas constituendi Presbyteros in Creta uni Tito fuerit commendata: *constitue oppidatim Presbyteros, sicut ego tibi mandavi*, Tit. 1. 5. ut & Timotheo. 1 Tim. 5. 22.
  - c. Quia in Ecclesiis Asiaticis, licet singulis Ecclesiis plures præessent Pastores, unus tamen designetur nomine Angeli. Apoc. 1. 20. 2. 1, 12, 18 &c.
  - d. Quia in Ecclesia primæ antiquitatis tales fuerunt, ac proinde verisimiliter ex institutione Apostolorum.

γγ. Actus in gubernatione Ecclesiæ observandi spectant;

- A. *Ad Evangelii dispensationem*; quales sunt,
- a. Docere Verbum Dei. Ubi quæritur, num ex æquo omnibus competat in Ecclesia Verbum Dei prædicare, num vero solis Pastoribus? prius volunt quidam Libertini, alterum vero nos, qui
  - a. Probamus hoc opus competere solis Pastoribus ex locis evidentibus, quæ expresse in Episcopis & Pastoribus requirunt docendi donum. *Oportet igitur Episcopum esse --- διδασκαλὸν docendi peritum*, 1 Tim. 3. 2. *Affixum sermonei fideli, secundum doctrinam, ut valeat & adhortari in doctrina sana, & contradicentes redarguere*, Tit. 1. 9. adde 1 Timoth. 5. 17. *Eum ergo in finem dedit Christus alios Apostolos ----- alios Pastores & Doctores, ad concinnationem sanctorum, ad opus ministerii, &c.* Ephes. 4. 11, 12.
- β. Defendimus contra objectiones desumptas;
- a. Ex praxi Apostolica, qua jubet Apostolus, ut, *si quis doctrinam habeat, linguam habeat, revelationem habeat, interpretationem habeat, omnia ad ædificationem fiant, &c.* 1 Cor. 14. 26. unde, verbum Dei publice docere, concludunt, esse promiscue omnium.
  - b. Ex praxi Synagogæ, ubi in imo subsellio sedenti surgendi,

di, & publice bonum verbum proloquendi facultas fuerit, Aët. 13. 14, 15, 16. ut etiam pateat exemplo Christi, *docentis in Synagoga Judæorum*; Luc. 4. 15.

c. Ex obligatione doni acquirendi quibusvis commendata; Col. 3. 16. *sermo Christi habitet in vobis copiose in omni sapientia, docentes & monentes vos invicem.* Eph. 5. 18. quod donum acquisitum etiam impendere jubentur omnes: 1 Pet. 4. 10. *ut quisque accepit donum, ita alius in alium illud ministrantes, ut boni dispensatores variae Dei gratiæ. Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei.* 1 Theff. 5. 11. *adhortamini alii alios, & ædificate singulos, sicut facitis.*

b. Sacramenta administrare. Ubi iterum quæritur, an id sit promiscue omnium, num vero Pastorum tantum? nos

i. Excludimus ante omnia mulieres, quæ *in conventibus jubentur filere, &c.* 1 Cor. 14. 34. *mulieri docere non permitto.* 1 Tim. 2. 12.

ii. Assignamus solis verbi divini Doctoribus & Ministris: quia baptismus tantum connectitur cum officio discipulos faciendi, Matth. 28. 19. & dicuntur *Dispensatores Mysteriorum Dei*, 1 Cor. 4. 1.

iii. Defendimus contra objectiones:

a. Ex baptismo Philippi, Aët. 8. 38. qui solummodo Diaconus erat.

b. Ab usu Paschatis, ubi Patresfamilias erant Sacramenti dispensatores.

c. Ex circumcissione Zipporæ.

b. *Ad ordinem*

I. *Constituendum*, ubi notandum;

1. Quædam expresse mandata, ordinem spectantia, in S. Scriptura definiri, Tit. 2. 1---10, 15, 3. 9---11.

2. Quædam generali canoni de ordine servando includi, 1 Cor. 14. 40. *omnia decenter & ordine fiant.* Heb. 13. 17. in quibus speciatim definiendis Ecclesia præbet consilium, dubia dirimit per illationem ex S. Scriptura, indifferentia definit ad usum; ita tamen, ut nullo præcepto possint fieri necessaria,

saria, quin aliis Ecclesiis maneat libertas aliud sequendi: non licet enim definire contra libertatem Christianam; 1 Cor. 6. 12. *Ego, inquit Paulus, non redigar sub ullius potestatem; hinc monet, Cap. 7. 23. pretio emti estis, ne estote servi hominum.* Nec licet mandata hominum cum obligatione divina suscipere; ut severe interdicit Paulus, Col. 2. 18-23. *Ne quis vos sibi subjiciat ut βεβηλευση, vel vos obnoxios constituat, volens in humilitate & cultu Angelorum, ea quæ non vidit invadens, vel occupans, temere inflatus à mente carnis sue: Et non tenens caput-----quid ut viventes in mundo dogmata suscipitis? Ne tangas, neque gustes, neque contrectes: quæ omnia sunt ad corruptionem usu, secundum mandata & doctrinas hominum. &c.* Quibus ita definitis,

- α. Quæritur, an Ecclesia habeat potestatem instituendi ritus significativos? negant Orthodoxi, affirmant Pontificii & Episcopales in Anglia.
- α. Negativam sententiam tuemur,
- a. Ex libertate Ecclesiæ Christianæ ab umbris & potestate humana, qua Christus exuens principatus & potestates eas traduxit publice, triumphans de ipsis in se ipso. *Ne quis igitur vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte festi, aut novilunii aut Sabbathorum, quæ sunt umbra futurorum; corpus autem est Christi, Col. 2. 15-17.*
- b. Quia tunc nullus foret in ritibus multiplicandis terminus & modus: atque ita onus & jugum populo Christiano imponi possent.
- c. Quia nemo in Ecclesia audiri debet præter Deum & Spiritum Christi; cujus δὴλωσις requiritur; Heb. 9. 8.
- β. Defendimus contra objectiones.
- a. Quod cultum faciant venerabilem.
- b. Quod sint tantum ordinis, versantis circa subsidia devotionis.
- γ. Quæritur, an Ecclesia possit facere leges conscientiam obligantes? quod statuunt Pontificii.
- α. Negamus;
- a. Quia unus Legislator in Ecclesia est agnoscendus, a quo

libertas à Legislatoribus Mosaicis est introducta, *Jes. 33. 22. Jehovah Judex noster, Jehovah Legislator noster, Jehovah Rex noster.*

*b. Quia in Regno Christi non obtinent mandata hominum, Mat. 15. 9. nec doctrinae hominum, quæ rationem quidem habent sapientiæ ἐν ἰδελοθρησκείᾳ, in voluntario cultu, & humilitate, & corporis vexatione, &c. Col. 2. 20--23.*

*c. Quia omnis dominatus negatur Ministris, Mat. 20: 25, 26. 1 Pet. 5: 2, 3. pascite Dei gregem, --- non ut dominantes cleris &c. 1 Cor. 7. 23. 2 Cor 5. 14.*

II. *Conservandum per disciplinam Ecclesiasticam. Cujus notare oportet*

(1. *Veritatem*: ubi inquiritur, an Ecclesia habeat potestatem scandalos censuris Ecclesiasticis notandi, & removendi?

*α. Probamus hanc potestatem Ecclesiæ concessam,*

*a. Ex natura coetus, à maculis liberandi & pure conservandi, quia, quod sanctum est, non dandum canibus, &c. Mat. 7. 6.*

*b. Ex institutione Christi: Mat. 18. 17. si frater peccans neglexerit te cum testibus audire, dic Ecclesiæ, quod si Ecclesiam neglexerit audire, sit tibi ut Ethnicus & Publicanus; quæ potestatem Ecclesiæ utique probant.*

*c. Ex praxi Apostolica, Rom. 16. 17. Declinate vos ab iis, qui sunt auctores dissidiorum & scandalorum. 1 Cor. 5. 11. ne commisceamini, si quis frater, adeoque membrum Ecclesiæ, nominetur, si sit scortator, aut avarus, aut idololatra, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi ne edatis quidem. Gal. 5. 12. 2 Thess. 3: 14, 15. Tit. 3: 10. 2 Joh. vers. 10.*

*β. Defendimus contra objectiones;*

*a. Quod Christus Judam non expulerit.*

*b. Quod Christianorum status sine speciali revelatione S. Spiritus, quæ Ecclesia destituitur, cognosci non possit.*

(2. *Administrantes*: ubi notandum, Ecclesiæ quidem datam esse illam potestatem, Mat. 18. 17, 18. Sed ita tamen, ut præcant Presbyteri, quorum hic prior cura est, non autem illud jus pertinere ad Magistratum, ut Erastus voluit.

*α. Probamus,*

(C.c)

*α. Quia*



- a. Quia nullibi ad Magistratum delata est illa potestas: horum enim est tantum nutrire Ecclesiam.
- b. Quia insigne discrimen est inter potestatem civilem & Ecclesiasticam; prioris est punire transgressores; posterioris est pudefacere, atque ita conservare; 2 Cor. 10. 4.
- c. Quia *Regnum Christi non est de hoc mundo*, Joh. 18. 36. quod tamen esset, si Ecclesiastica potestas Magistratui esset concessa.

**β. Defendimus contra objectiones.**

- a. Quod *omnis anima Magistratui debeat esse subjecta*, Rom. 13. 1.
- b. Quod ita introducatur imperium in imperio.

**(3. Objectum, quod**

a. *Personale*. Hic versatur disciplina Ecclesiastica circa *fratrem peccantem*, Mat. 18: 14. Nam *mea nihil interest*, inquit Paulus, *de extraneis judicare, nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis?* 1 Cor. 5. 10.

b. *Reale*: versatur enim circa casum cum vitæ, tum doctrinæ. *Vitæ*, ut fuit sceleratus ille, quem tolli jussit Paulus ex medio fratrum. 1 Cor. 5. 13. *doctrinæ*, quâ jussit Paulus, *hereticum hominem post unam & alteram admonitionem rejicere*, &c. Tit. 3. 11. Rom. 16. 17. 1 Tim. 1. 20. 2 Joh. vers. 10.

**(4. Actus, qui sunt,**

a. *Corruptio fraterna*, 2 Cor. 2: 6, 7. *sufficit istiusmodi homini ista objurgatio à pluribus: è contrario potius ei condonate & confolemini, ne quo modo redundante tristitia absorbeat talis*. Tit. 3: 10. Mat. 18: 15.

b. *Excommunicatio non auscultantium*, quæ est eorum remotio à Symbolis obsequantibus, 1 Cor. 5. 13. *Tollite hunc scelcratum ex vobis ipsis*. 2 Theff. 3. 15. idque ut non communemur cum peccato eorum. Rom. 16. 17. 1 Cor. 5. 11. Tit. 3. 10. 2 Joh. vers. 10.

a. *Studium reducendi excommunicatos*, quod consistit in revocatione ad pœnitentiam, & consequente receptione ad communionem symbolorum; qua quidem cum tali *non habemus commercium, ut eum pudeat: non tamen ut inimicus est habendus, sed admonendus ut frater*, 2 Theff. 3. 14. 15. &c.

F I N I S.

# A P P E N D I X I N U S U M C U R I O S I L E C T O R I S

exhibens Πρώτα ψευδή sive primam errorum, pedentim in Ecclesia succrescentium, originem. Et primo quidem

## *De Erroribus Papatus.*



UÆ jure merito in papatu criminamur, ad tria errorum Capita generalia commodissime revocantur. Quorum Alii respiciunt *fidem*, ac introducunt HÆRESIN. Alii *Cultum Divinum* & introducunt IDOLOLATRIAM ac SUPERSTITI-  
NEM. Alii tandem pertinent ad *Regimen Ecclesiasticum*, ac per factum hierarchicum, nec non intolerabilem in conscientias Christianorum tyrannidem, ipsum invehunt AN-  
TICHRISTIANISMUM.

## C A P U T I.

### §. 1.

Q UUM HÆRESEOS natura sit fidem corrumpere, hominemque à justitia fidei abducere, probe considerandum est, primum errorum caput circa fidem spectare doctrinam de BONORUM OPERUM MERITIS, quibus mediantibus Pontificii in studium propriam erigendi justitiam incidunt.

§. 2. Hunc errorem peperit antiquæ disciplinæ, quæ in Ecclesia primitiva obtinuit, sequens ignorantia; cum enim primævæ Ecclesiæ Doctores, sævientibus adhuc persecutionibus, nec non infidelium adversus innocuam Christianorum conversationem calumniis, quasi necessitate aliqua ad severiorem disciplinam adigerentur; rigidas introduxerunt excommunicationes: præsertim

(Cc 2)

quum

quum animadvertēbant in ista vitiorum genera, quæ in Christianæ Religionis dedecus à calumniantibus spargebantur, quibus minime parcere decreverunt, ut isto ipso actu convincerentur veritatis hostes, Christianos ab istis sceleribus alienos esse.

§. 3. Proinde, pro vitiorum indole & scandali gravitate, delinquentes excommunicabant, non tantum ad tempus resipiscentiæ usque, verum & tempus istius excommunicationis nonnunquam certo annorum definiebant numero, nonnunquam toto vitæ curriculo; eos non nisi in hora mortis, datis resipiscentiæ signis, absolvendo.

§. 4. Verum quum aliquando factum fuerit, ut excommunicati sibi male conscii, & Dei gratiâ poenitentes, justitiæ signis ac sigillis, non nisi magno cum animi mœrore diu carere potuerint: præsertim quando incidebant in summas Diaboli tentationes, eos ad desperationem sollicitantis; nonnunquam coacti sunt Ecclesiæ Antistites ab illo rigore abstinere, ac decretam illam excommunicationem immutare, vinctos ab illo rigore laxando.

§. 5. Ast ne illud nimis leviter fieret à temerario aliquo, excommunicatos ante tempus non admittebant, nisi post probatam poenitentiam, datamque satisfactionem, quas tunc sequebatur INDULGENTIA.

§. 6. Pro Moderatorum Ecclesiæ prudentia aliquando exactum fuit à poenitentibus, ut certis quibusdam operibus testatam darent animi veram tristitiam & mutatam sententiam; sic. e. g. à *Thurificationis* postulabant publicas supra sepulcra Martyrum preces, quibus à Deo flagitarent majorem in tolerandis persecutionibus constantiam, & ut publice thurificationem revocarent, imo testarentur animum subeundo Martyrio magis præparatum, ad exemplum istius Martyris, designato loco reconditi: ac nota, quod innocua hæc consuetudo peperit hodiernas PEREGRINATIONES, ad loca sacra institutas, adorandi causâ.

§. 7. Præstitis illis & similibus poenitentiae operibus, deliberatum est, an sufficienter dato scandalo fuerit satisfactum? & exploratum penes Ecclesiam, num omnes ex æquo excommunicatum admitterent, ac pro eo intercederent? quod postquam Ecclesiæ Moderatoribus constaret, absolutus fuit secundus actus,

ha:

habitaque illa opera fuerunt pro *satisfactoriis* respectu Ecclesiæ, disciplinæque Ecclesiasticæ.

§. 8. Ac proinde secuta est ABSOLUTIO, quæ nihil aliud erat, quam rigoris statuti remissio; qua mediante excommunicatus, jam pœnitens, citius admitteretur ad commune fidelium solatium, quam quidem antea decretum fuerat.

§. 9. Tota hæc disciplina remansit etiam post tempora Constantini M.; quia hæc omnia in consuetudinem abierant. Attamen ob seculi luxuriam abhinc tam temerariò, tam facilè & inconsultò illa absolutio concessa, & ea disciplina in omni casu lapsus ac peccati applicata fuit, ut tandem legibus cavere necessum fuerit, absolutionem non esse concedendam, nisi ex consensu Episcopi.

§. 10. Hæc omnia seculis ignorantix ruebant in pejora. Opera pœnitentiæ fingebantur plurima; eorum satisfactio non accepta fuit amplius tanquam ad disciplinam spectans Ecclesiasticam in foro Ecclesiæ, quatenus ex iis iudicatum fuit scandalum ablatum, & scandalizatis satisfactum esse: verum habita est tanquam vera peccatorum expiatio, qua in foro divino iustitiæ divinæ satisfactum volunt: quo posito illata fuerunt BONORUM OPERUM MERITA & per consequens *justificari hominem per iustitiam inherentem*. Quumque antiquitus aliqui excommunicati ob intercessionem captivorum, qui pro fide multa passi fuerant, in gremium Ecclesiæ recepti fuissent, hinc factum, ut bene meriti de Ecclesia aliquando admissi fuerint ad impetrandam illam absolutionem pro amicis suis. Imo ut aliquando eorum vicem subierint, præstito aliquo opere pœnitentiæ: quod quum forsân in disciplina Ecclesiastica admitti potuerit, tamen post corruptam satisfactionis significationem errorem intulit de OPERIBUS SUPEREROGATORIIS, quibus in aliorum rationes relatis, illos remissionem peccatorum acquirere posse quam absurdissime statuunt Pontificii.

§. 11. Relata satisfactione ad forum iudicii divini, corruptaque fuit notio ABSOLUTIONIS, ac novum & inauditum accepit significatum, ut sc. significaret absolutionem peccatoris à reatu in foro Dei per remissionem peccatorum. Inde etiam secutus est & alius error, sc. remissionem illam neminem acquire-

te, nisi per pronunciationem absolutionis ex ore sacerdotis, ac proinde requirebat CONFSSIONEM AURICULAREM tanquam ad salutem absolute necessariam.

§. 12. Hanc doctrinam (excitatis circa hoc argumentum disputationibus) tueri, ac cum satisfactione Christi conciliare non potuere, nisi partiendo opus salutis inter Christum & hominem, ac statuendo, Christum quidem perfolvisse pro omnibus peccatis *λύτρον* sufficiens, verum Deum non ultra velle ejus applicationem nisi *pro peccatis ante baptismum commissis, ac mortalibus*; peccata ergo *venialia*, ut vocant, *et post baptismum commissa* propria satisfactione expianda statuunt.

§. 13. Ad hanc scenam adornandam facile accessit & aliud dogma de EFFICACIA SACRAMENTORUM, eorum sc. Usurpatorem per illa tanquam ex opere operato justificari, & mereri applicationem meritorum Christi. Hoc ergo de uno Sacramento statuentes sc. de baptismo, de reliquis quoque statuere debuerunt ob communem Sacramentorum naturam & usum.

§. 14. Huic errori accommodarunt quoddam dogma Platonium de PURGATORIO, quod Patres ignorarunt, & ante tempora Augustini, (qui primus circa illud hæsit, ejusque per transennam, tanquam aliud agendo, solummodo obiter mentionem iniecit) plane cum silentio præterierunt.

§. 15. Reliqua fidei internos & Pontificios controversa ut plurimum spectant Pelagianos, quæ tamen, postquam Dominicani & Jansenistæ se Jesuitarum *παραιολογία* opposuerunt, universæ Ecclesiæ Pontificiæ adscribenda non esse existimamus; quorum recensionem & originem ad historiam controversiarum inter nos & Remonstrantes rejicimus.

## C A P U T II.

### §. I.

**A**CCEDAMUS igitur ad secundum Errorum Caput, spectans **A**CULTUM DEI A PONTIFICIS DEPRAVATUM. Huic deformationi *εἰσφορμὴ* dedit, quorundam temporibus Constan-

stantini & sequentibus, intempestivum desiderium conciliandi Gentes cum Ecclesia, quod quidem in Arrianis peperit omnem illum errorem circa personam Christi, in Orthodoxis plurimarum SUPERSTITIONUM admixtionem, quæ tandem degeneravit ad fœdam IDOLOLATRIAM.

§. 2. Perpetuâ constat experienciâ, difficillimum esse, hominem abstrahere à consuetis & dudum inolitibus ritibus; quando igitur temporibus Constantini Gentiles ejiciebantur urbibus, & eorum templa sacrique reditus donarentur Ecclesiæ, factum est, ut plurimi Religionem Christianam profiterentur animo minus Christiano; qui, quum adhuc dediti essent ritibus & consuetudinibus Gentilium, otiosi sunt diebus festis, amarunt audire gesta Divorum, &c. id quum nonnulli animadvertissent, consultum judicaverunt, aliquid concedi hominum genio, ut illos à Bacchicis ludis & exercitiis abstraherent; hinc iisdem illis diebus, qui Diis gentium consecrati erant, templa aperuerunt, cœtus convocarunt, & loco narrationum de Deorum Dearumque gestis, Martyrum quorundam enarrarunt constantiam; quorum memoriæ tandem dedicarunt dies, templa & similia: Et sic eos assimilarunt Gentium Heroibus, per *ἀποθέωσιν* consecratis.

§. 3. Quia gentilis illa indoles admodum etiam gratum habuit templorum ornatum, altaria, imagines, ac Sacerdotum munditiam, ornatioremque vestitum, in illis etiam gratificandum aliquid populo existimarunt; mensam donorum, cum quibus Eucharistia celebranda erat, vocantes Altare, vestes assumendo etiam albas cum stolis, quia ille Ornatus Gentilium Sacerdotum non abludebat ab ornatu Levitarum & Sacerdotum Legalium.

§. 4. Imagines quoque pictæ alicubi (quamvis primo admodum difficulter) clam admixtæ sunt, neque hisce multum contradicendum fuisset, nisi tandem observassent pii, illas nimia cum veneratione à plebe honorari: quæ res in nervum erupit Seculo VIII. donec tandem Iconolatræ, armis & favore Principum superiores facti, adversarios suos oppresserunt.

§. 5. Ad imitationem Gentilium, tandem quoque ex sanctis fecere Divos Divasque, quibus nonnulla particularia curanda à Deo commissa esse voluere; hinc morborum, negotiorum, regionum

numque particulares patroni & præfides. Quarum rerum particularem instituire collationem, & convenientiam ostendere, quamvis apprime esset ad scopum, tamen non est hujus operis, & ab aliis id abunde præstitum est.

## C A P. III.

## §. I.

**Q**UOD attinet hoc Caput, illud considerat Originem ANTI-CHRISTI, cujus plus quam unus est gradus. Primus gradus fuit constitutæ Hierarchiæ, occasionemque præbuit Concilium Nicænum; potestatem Episcoporum pro dignitate & territorio urbis extendens. Unde dissidia inter Romam antiquam & novam.

§. 2. Alteram occasionem tantæ superbiæ & elationis, quam videmus in Pontifice Romano, præbuit imperium Constantini Magni, qui Episcopos non solum ditavit bonis Ecclesiasticorum Gentilium, (unde fastus auctus) sed & adeo favit Cathedræ Romanæ, ut omnem ei subjugarit Occidentem, cujus ergo Cathedræ authoritas, Ecclesiâ licet Orientali Papæ subesse renitente, crevit ad Occidentem.

§. 3. At quum postea Imperatores sero poeniteret potestatis collatæ in Pontificem, altercando & disputando tantum amiserunt, ut ipse Pontifex in formidabilem evaserit Monarcham, acquirens sibi donationibus, & nonnunquam armis, propriis & alienis, (hinc bella, queis implicarunt Imperatores, Sacra) jus in peculiare provincias, & multarum regionum redditus, nec non feudorum collationes, &c. Hinc perpetuum fuit Romanæ curiæ studium, inter omnes Occidentis Reges & Respublicas tenere æquilibrium, (apprime eo juvantibus, Gothorum, Vandalorum, Saracenorum, Longobardorum aliorumque populorum ferorum irruptionibus, queis durantibus fræna laxare Papis Imperatores coacti fuerunt.) Clerum universi Occidentis non tantum habere in subjectione, verum etiam obligare ad tributa status Ecclesiastici, in eum finem eisdem eximere ab onere politico, per eos  
ple-

plebem retinere in obedientia Ecclesiæ, & ipsos Reges tandem tenere constrictos, ne quicquam impune auderent contra Ecclesiam; atque ita tyrannica illa potestas acquisivit vires eundo.

§. 4. Verum quum (Seculo XI. & sequentibus) plurimi inciperent Ecclesiæ Romanæ dogmatibus obloqui, inceptum est disputare *de principio fidei*. Prætendit Cathedra Romana, se à nemine judicari, sed omnes judicare, ejusque suscipiendum esse judicium ab omnibus cum reverentia, eo quod infallibilem acceperit Spiritum, quo Mediante ipse sit Interpres S. Scripturæ, solus fidei traditionumque arbiter & fons.

§. 5. Ad hanc autoritatem Cathedræ tenendam, plurimis usus est Pontifex argumentis, quæ postea in tot controversias abiierunt: *se solum statuit controversiarum Judicem*, neminemque præter eum esse capace: quia S. Scriptura (quæ sola erat omnibus communis) ipso judice non erat perspicua, nec sufficiens norma fidei; ad quam accedere debebant *traditiones*, quas solas vult credi in Pontificis pectore reservatas: ac etiam si utrumque medium tam verbi scripti quam non scripti in omnium versaretur manibus, negabat tamen homini suo judicio fidendum, verum requiri judicium aliquod infallibile, illudque solum pronounciari ex Cathedra Romana.

§. 6. Hinc tandem omnes illæ proscriptiones & anathematum fulmina in eos, qui de fide nihil statuendum rati sunt, quam quod ex solis sacris literis demonstrari possit; qui proinde experti sunt omne persecutionum genus, dum eos considerarunt tanquam Cathedræ illius perniciosissimos subverfores, jus Pontificiæ Majestatis convellentes, ac proinde sub ditionibus Pontificiis non tolerandos, verum omni persecutionum genere delendos; quæ stupenda est in conscientias hominum tyrannis, & regni Christi, quod spirituale est, pestifera subversio.



## De Origine & Connexione Errorum Pelagianorum, prout eos revocarunt Remonstrantes.

### §. I.



PELAGIANI dicti à Pelagio, professione Monacho, natione Scoto: qui disseminare cœpit, in Occidente Seculo V. hæreses suas; à plurimis postea Conciliis, Patribus aliisque damnatas; donec eas recoxerunt ARMINIANI, ira dicti à Jacobo Arminio, Professore Leidensi; Francisci Junii Successore, & Vorstii, Leidam quidem vocati, sed ob hæreses non admissi, prædecessore; A. 1609. demortuo. Dicuntur alias REMONSTRANTES, imo se ipsos vocant in inscriptione Catechesis suæ REMONSTRANDO-REFORMATOS, quod nomen à libello supplici, Ordinibus Hollandiæ & Westfrisiæ post mortem Arminii exhibito, quem appellarunt Remonstrantiam, acceperunt. Contra quos, Authore Jacobo I. Rege Britanniæ, Synodus Dordraci fuit habita, Anno 1618. & 1619.

§. 2. Quantæ necessitatis sit mentem habere purioribus Philosophiæ dogmatibus imbutam, probant errores ex Pseudophilosophia in Theologiam introducti: Unde non præter rationem Gentium Apostolus monuit Christianos, Col. 2. 8. *Ne quis vos præde instar abripiat per vanam Philosophiam.* Ex hoc enim fonte promanasse perniciosissimos Pelagianorum errores, hac dissertatiuncula manifestabimus.

§. 3. Ex puriori Philosophia meridiano sole manifestior est *Dei Independentia*, omniumque creaturarum in esse & operari à Deo *dependentia*; quam si quis infringat, ideam Dei omnium mentibus insitam pudendum in modum corrumpi necesse est. Per intimam quoque hominis conscientiam constat, voluntatem humanam liberrime tamen velle, quæcunque vult: quâ libertate si quis hominem exuat, menti quoque naturam destruit, omnesque ejus ope-

operationes facit automaticas. Negari tamen non potest difficile esse hominis à Dei providentia dependentiam (quæ necessitatem quandam infert) cum hominis libertate conciliare. Hoc quum perpenderent *Pelagiani*, ac nostro seculo *Remonstrantes*, libertatem hominis volentes conservare sartam & rectam, negarunt ita à concursu divino dependentem, ut inde necessitas aliqua eventus circa voluntatem humanam inferatur; existimantes, nullam futuritionis certitudinem cum libera voluntatis determinatione (quam propter indifferentiam incertam esse statuebant) consistere posse; quod *περίτρον ψεύδος* necessaria quadam illatione s. *Articulos Remonstrantium* peperisse, nunc demonstrandum sumimus.

### *Classis Errorum I.*

**E**X hac hypothefi expendebant primo doctrinam de GRATIA DEI EFFICACI, quam Orthodoxi agnoscunt in primo regenerationis momento; quum enim negari non posset hominem in sua regeneratione fieri novum per conversionem & fidem, essentque illæ operationes voluntatis liberrimæ, quæ sine libertate ne quidem laudabiles essent virtutes; admittendam quidem gratiam quandam operantem, ob manifestissima S. Scripturæ loca, statuerunt; verum non ita *efficacem*, ut indubitato hominis ad salutem vocandi inferret regenerationem: indifferentiam enim (quam erroneè rationem formalem libertatis constituerè satagunt) cum certo regenerationis eventu repugnare, arbitrantes; hinc gratiam non semper & certo efficere, ad quod destinata erat, inferunt: quia voluntas ex illorum sententia se necessario indifferenter habere debet, ad gratiæ resistendum, aut non resistendum.

### *Classis Errorum II.*

**E**ADEM erat ratio doctrinæ de PERSEVERANTIA SANCTORUM; quæ, quum nihil aliud sit, quam conversionis & fidei perpetuitas, ac continuum exercitium, eadem quoque cum libertate exerceri debuit: quia ad singulos actus voluntatis requiritur no-

(Dd 2)

va

va libertas. Accedebat quoque, quod pii aliquando incidissent in lapsus (i. e. errores aut actus peccaminosos) qui nova quadam conversione quasi corrigendi erant: cumque in eo ergo statu peccati perseverare, aut non perseverare, dependeat etiam à nova voluntatis deliberatione, novoque consilio; ad quod consilium excitandum etiam gratiam quandam requiri, S. Scripturæ testimonia negari non sinunt: iterum illam gratiæ operationem non esse tantæ efficaciz dicendum fuit, ut connexum habeat infallibilem perseverantiæ eventum: ejus enim summam efficaciam hic ob eandem rationes admittere non potuere, ob quas præcedentem necessitatis cum libertate repugnantiam statuerant.

### *Classis Errorum III.*

**Q**uo secundo errore admisso (homines sc. vere & sincere credentes per apostasiam posse fieri vere infideles, & in æternum perire) necessarium fuit dogma tertium: CHRISTUM QUOQUE MORTUUM ESSE PRO PERITURIS: Si enim mortuus est pro omnibus vere fidelibus, imo pro omnibus, qui potuissent credere, eorumque numerus sit incertus, qui credituri sint nec ne, ex eorum numero plurimi essent perituri, sequitur indubitato Christum mortuum esse etiam pro perituris, ejusque satisfactionem nihil aliud effecisse, quam quod omnes & singuli homines possint redire cum Deo in gratiam, si velint; quumque illud vellet dependeat, ex eorum sententia, à sola indifferentis voluntatis determinatione; UNIVERSALIS GRATIA erat statuenda, sive Christum pro omnibus & singulis hominibus mortuum fuisse: negandumque erat, Christo in Consilio pacis certos quosdam homines absolute datos esse, pro quibus *λυτρον* sponderet.

### *Classis Errorum IV. & V.*

**P**ROUT res sunt in executione, ita quoque sunt in intentione, Pac proinde Deus non aliter egit, quam agere decreverat: quoniam ergo omnis gratiæ effectus suspenderetur à conditione incerta, nec non conversio & fides essent operationes mentis, à  
sola

sola hominis libertate cum indifferentia dependentes, DECRE-  
TUM CONDITIONATUM quoque inferendum erat, quod nihil ali-  
ud est, quam propositum aliquod generale salvandi, qui credere,  
& reprobandi, qui non credere vellent; unde quoque Jesuitarum  
*Scientia Media.*

Eadem quoque erat ratio *Reprobationis*, quæ etiam à prævisa  
hominum incredulitate aut apostasia suspendenda erat, ne decre-  
tum illud generale conditionatum infringeret.

§. 4. Verum quum ratio formalis libertatis non consistat in in-  
differentia, sed in ejus allubescencia: & homo eo liberius velit,  
quo ejus voluntas per rationes claras & efficaces magis est deter-  
minata; Deusque per infinitam suam potentiam in voluntatem a-  
gat salva illa libertate, mentem humanam illuminando: duo ex-  
trema negari non debebant ob difficilem utriusque connexionem,  
quia ea est intellectus humani limitata conditio, ut non habeat sibi  
perspectas omnes Dei vias, in quibus Infinitus ille infinito agit  
modo: à quæstionibus enim de infinito abstinendum esse, sana  
docet Philosophia.

§. 5. Negari non potest Angelos beatasque Mentis in statu  
consummato liberrime agere, neque tamen indifferentes esse ad  
peccandum, aut non peccandum: quia in veritate sunt confirma-  
ti, h. e. acceperunt intellectum latiore, qui sufficiens esset ad  
clare & distincte percipienda illa omnia, quæ ad officia beatitudi-  
nis pertinent. Et quum sanctificatio sit magnus gradus glorifica-  
tionis; quidni cum S. Scriptura possumus dicere, quod in Vocan-  
dorum animis per gratiam Dei efficacem majus excitetur lumen,  
accipiantque apertos mentis oculos, ut perspiciant vitiorum tur-  
pitudinem, virtutum decus ac decentiam, amicitia cum Deo ju-  
cunditatem & satietatem, & iræ divinæ horrorem.

§. 6. Negari quoque non potest, eam voluntatis & liberta-  
tis esse indolem, ut nemini non allubescant bona, sub eo for-  
mali clare & distincte percepta; juxta canonem ethices: *Bonum,*  
*qua bonum, nemo reprobat; Et malum, qua malum, nemo appetit.*  
Quis non videt, Deum, convenienter naturæ voluntatis, eam  
salva libertate posse determinare, concedendo menti latiore in-  
tellectum, quo mediante rerum approbandarum perspectam ha-

(Dd 3.)

beat

214 DE ERRORIBUS ANABAPTISTARUM.  
beat bonitatem, h. e. honestatem & jucunditatem, utilitatemque.  
Quibus animadversis horum omnium destruitur hypothesis. Hoc-  
que fundamento subruto totum ædificium mole ruit sua.

## De Origine Errorum Anabaptistarum.

### §. 1.



NABAPTISTÆ cœperunt circa Annum 1521, adeoque circa Reformationem: habentque hoc nomen, tum quod ipsi rebaptizentur, tum quod rebaptizent alios, adultos sc. seu eos, qui extra coetum illorum in prima ætate baptizati fuerunt. Ab Authore hujus Sectæ principe Thoma Munzero vocantur *Munzeriani*: à Mennone, qui anno 1536, deserto papismo rebaptizatus fuit, *Mennonite*. A professione ob ecstasies & raptus, quos multos cum divinis inspirationibus erepabant, dicebantur nonnulli *Enthusiastæ & Fanatici*. Ab aliis alii vocabantur *Apostolici, Separati, Cathari, Silentarii, Euchite, Adiaphoristæ, Libertini, &c.*

§. 2. Postquam Ecclesia Pontificia Apostasiæ esset convicta, & palam esset factum, eos errorum non invenire patrocinium, nisi mutato fidei principio, adjectis ad S. Scripturam traditionibus Ecclesiæque Decretis, omnes facile viderunt, sola S. Scripturæ sententia standum esse: non tamen omnes idem sentiebant circa veram S. Scripturæ Interpretationem & usum, ac proinde non eadem erat omnium sententia, quænam dogmata rejicienda forent, quænam vero retinenda: cum enim Ecclesia reformanda esset, deliberandum erat de Dogmatibus fidei per scripturam traditis, ut illa distinguerentur à commentis humanis.

§. 3. Anabaptistæ nihil admittendum rati, nisi quod totidem literis in scriptura explicite comprehenderetur, *omnes consequentias & earum usum rejecerunt.*

Clas-

*Classis Errorum I.*

## §. 1.

**H**INC primum fuere scrupulosi circa doctrinam de *Trinitate*, non admittentes phrasas illas Ecclesiæ, quas olim Arrianis opposuit, effurcillantes ex Theologia notiones *essentia*, *personarum* & similium.

§. 2. Hinc quoque fovent errores circa *unionem duarum naturarum in Christo*; negantes, terminum illum *unionis* & *assumptionis* esse Scripturarium; imo statuentes, verbum carnem esse factum, sicut aqua vinum, inferentes mutationem verbi in carnem.

§. 3. Quo dato errore, statuerunt *Deum mutabilem*, h. e. visibilem, passibilem & mortalem, dum admittunt, Christum non mansisse quod erat, sc. Deum, & factum esse, quod non erat.

§. 4. Hinc quoque quorundam Error de *Origine Carnis Christi*, quam ex Verbo Dei tanquam semine, non vero ex substantia Mariæ Virginis progenitam esse arbitrabantur.

*Classis Errorum II.*

## §. 1.

**A**LTER error primarius, ex prima hypothese de non admittendis consequentiis profluens, erat de *Pædobaptismo*; negabant enim, ullibi expressis verbis præceptum datum esse de baptisandis infantibus; cumque illud dogma per consequentias adstrui viderent, illud tanquam commentum humanum rejecerunt.

§. 2. Cum tamen argumentis urgerentur, desumptis a *peccato Originali*, quidam eorum illud quoque non admiserunt, omnemque peccati consuetudinem deduxere ab imitationis studio, & exemplis malis.

§. 2. Cum alii eos urgerent argumento, desumpto à natura Sacramentorum, quod sc. essent signacula gratiæ foederalis; quidam eorum negabant, *Sacramenta esse signa & sigilla gratiæ*, sed solummodo esse *signa nostræ confessionis*; quibus infantes ob fidei defectum non indigerent.

Clas-

*Classis Errorum III.*

## §. I.

**T**ERTIUS Error capitalis est pravus intellectus Sermonis Christi in monte, qui illis visus est (si verba accipiantur secundum litteram & in maxima simplicitate) *prohibere juramentum.*

§. 2. Eundemque existimarunt in eodem sermone prohibuisse omnem malorum factorum retributionem; quod extendunt quoque ad usum gladii *tam* in bellis gerendis, quam in malis puniendis.

§. 3. Cumque urgerentur argumentis, desumptis ex V. T. statuerunt, *Vetus Testamentum spectare ad Judæos, Christumque aliud fœdus, novis promissionibus, & legibus ornatum,* introduxisse.

§. 4. Ad novas leges referabant ergo præcepta illa, de *non admittendo jurejurando, & de non inferenda retaliationione.*

§. 5. Quoad promissiones, existimarunt se observasse; Vetus Testamentum, si secundum litteram accipiat, illas non extendere se ultra promissiones hujus vitæ, sed solum promisisse fortunatam in terra Israel politiam.

*Classis Errorum IV.*

## §. I.

**Q**UARTUS Error capitalis est, quod prementes litteram Pauli, I Cor. 5. male acceperint doctrinam de *Excommunicatione*, existimantes, eam dirimere omne vinculum societatis, tam naturalis, quam civilis, & omnem communionem spiritualem.

§. 2. Ac proinde in nulla communione reperiri *aptos* prædicationis verbi, & administrationis Sacramentorum *Ministros*, nisi in sua.

§. 3. Inde profluxit dogma de *Anabaptismo*; administrationem enim baptismi per *Ministros* idoneos pro nihilo habuere; neque magis existimandam esse, ac si quis præter rationem ab aliquo alieno aquæ immerfus, aut à Sacerdote Gentili aquâ lustrali conspersus fuisset.

De

## De Origine Errorum Socinianorum.

## §. I.



SOCINIANI dicti à Lælio Socino Senense, qui blasphemias Serveti (propterea Genevæ combustæ) amplexus est, aliaque plura contra Orthodoxiam dogmata introduxit. Obiit hic Lælius Socinus Anno 1562. Tiguri, scriptaque sua cum hæreditate reliquit Nepoti Fausto Socino juveni 23. annorum, de quo Patruus sæpe gloriatus est; *quod is post se omnia esset felicius mundo explanaturus & perfecturus.* Cum quo Thesauro Faustus Socinus in Italiam abit, ubi hæsit duodecim annos; inde Basileam concessit, ubi mansit triennium; post in Poloniam; Ubi id unice dedit operam, ut Theologiam Patruï sui, nempe Lælii Socini, plenissime imbiberet & excoleret. Unde libros scribere cœpit circa annum 1570, quos varios variis in locis, Italia, Germania, Transsylvania & Polonia edidit. Obiit anno 1634, ætatis 65.

§. 2. Præcipuum corruptæ naturæ vitium, quum sit φιλαυτία, multos quoque peperit hoc monstrum errores in Theologia; ejusque præcipuum fuit studium, omnes Dei vias humanis accommodare cupiditatibus; Hinc nonnullorum conamina fabricandi *Communem Religionem*, quæ hominibus, etiam si peccatoribus, præscribit viam perveniendi ad Dei communionem naturâ notam, & cuilibet hominum ex æquo patentem. In quo conceptu, amorem Dei erga omnes & singulos magis commendari, imaginati sunt.

§. 3. Quum autem communis illa religio admitti nequeat, quin auferantur omnia fidei Mysteria, quæ naturâ cognita non sunt, & à sola revelatione dependent, toti in eo fuere & sunt Sociniani, ut illa ex Theologia effurcillarent.



*Classis Errorum I.*

## §. I.

QUOD quum fieri non posset, salva S. Scripturæ autoritate, nisi ejus effata elevando, & qualicunque interpretatione enerando; duo falsa admiserunt Adversarii principia; primum est: *solam rationem humanam esse interpretem S. Scripturæ*, nullumque sensum in S. Scriptura admittendum esse, nisi quem ratio probet: unde horrendum illud Smalcii effatum: *Etiamsi S. Scriptura bis, terve, aut etiam pluries clare dixisset, Christum esse Deum, se tamen id non crediturum*; quia ratio illi contradicat, & omne illud, quod rationi impervium est, pro absurdo & rationi contradicente habendum.

§. 2. Alterum autem principium est: *S. Scripturæ satisfieri, etiamsi verba ejus in levissimo accipiantur sensu*. Quasi Viri θεόπνευστοι perpetuam adhibuissent hyperbolen, & verbis usu fuissent turgidioribus, plus externo cortice repræsentantibus, quam quidem ex scopo docere, & dogmatizare, intendissent.

§. 3. Ex hac hypothesi rejiciendum erat dogma *de Trinitate*, quia rationi impervium erat, in unica Dei essentia tres agnoscere Personas.

§. 4. Et per consequens Christus non credendus erat *verus Deus*, negandaque fuit ea *unio hypostatica*, & tota illa doctrina de Persona Mediatoris inde fere perpetuo corrupta fuit.

*Classis Errorum II.*

## §. I.

CUM etiam doctrina de *satisfactione Christi* pro unico ac solo fundamento agnoscat considerationem dignitatis Personæ, spondentis pro tot hominum myriadibus; & naturâ notum sit, unum hominem non sufficere plurimis redimendis, nisi illi aliunde accederet infinitus valor: etiam ille articulus delendus & expungendus fuit. In cujus erroris patrocinium etiam *Justitia Dei*

vizi.

*vindicativa* neganda fuit, ut Deus posset remittere peccatum citra ejusdem expiationem aut satisfactionem.

§. 2. Subversa autem doctrina de impetratione salutis, necessario quoque subvertenda fuit fides circa applicationem salutis, homoque justificandus erat non per justitiam Sponsoris imputatam, neque etiam per justitiam inhærentem perfectam, quæ in peccatorem non cadit, verum *ex placito, sive ex conditione aliqua sine qua non*, quam gratia Dei ex arbitrio definire potuit, uti statuunt: quum autem S. Scriptura dicat, *Hominem justificari ex fide*, hanc fidem definiunt consistere in imperfecta quidem, sed tamen sincera, & pro viribus adhibita præceptorum Christi obedientia, quam ipsam *gratiosè reputari pro Justitia*, h. e. jure vitæ, erroneè assumunt.

§. 3. Hinc sequebatur, omnem *Sacramentorum usum* quoque esse invertendum, utpote in quibus nulla sint repræsentamina impetratæ salutis, & per consequens nihil solatii à parte Dei: verum esse solummodo *tefferas & notas externæ professionis*, cum quibus Christianismus sulcipimus.

### Classis Errorum III.

#### §. I.

RATIONI corruptæ se totos tradentes, omnes quoque errores *Pelagianorum* admiserunt, imo ita incrustarunt, ut ipsam futurarum actionum tam liberarum, quam contingentium infallibilem in Deo præscientiam abnegaverint, statuentes, hanc certitudinem, quæ ex illa præscientia profluit, cum causarum secundarum libertate, & rerum contingentia consistere non posse.

§. 2. Neque etiam metuunt, concipere *Decreta Dei per modum accidentis*, seu actus divinæ voluntatis ab ipsa essentia divina distincti, eundemque actum non æternum & immutabilem esse, verum à rebus, quæ in tempore fiunt, mutabilibus suspensum.

§. 3. Ut necessitatem gratiæ facilius excluderent, *peccatum originale* negant, viresque arbitrii humani, ad præstandum spirituale & vere salutare bonum, acriter propugnant, ac præter prædicationem  
(E e 2) catio-

cationem officii, promissionum, & communicationum nihil ultra requirunt.

§. 4. Considerantes circulationem sanguinis, & continuam alimentorum indigentiam, vix concipi posse sine virium attritu, mortem *sequelam naturæ* statuebant:

### *Classis Errorum IV.*

#### §. I.

QUARTA Classis Errorum spectat nonnulla *dogmata operationum divinarum*, quarum ratio non penetrat; Ita negant materiam primam creatam, quam volunt Creatori coexistisse.

§. 2. Sic quoque abnegant *ejusdem carnis resurrectionem, animarumque in statu separato existentiam vitalem*, nullam aliam ob causam, quam quia modus illarum rerum, quo hæc fierent, difficulter concipitur.

§. 3. Et quia juxta eorum Pseudophilosophiam non datur proportio inter peccatum temporale & pœnam æternam, quidam *impiorum resurrectionem* abnegant: Alii vero eos in die novissimo post resurrectionem concremandos & annihilandos esse, audacter affirmant.

### *Classis Errorum V.*

#### §. I.

QUINTA Errorum Classis est, quæ oritur ex *παρερρησία* locorum, pro orthodoxa sententia militantium: quum enim explicandum esset, quo sensu ergo Christus diceretur Salvator? eum fecere *Novum Legislatorem, & vitæ degendæ in cælo primum Promissorem*; ut Illi aliquid supra Moysen relinquerent privilegium.

§. 2. Hinc totum systema de Oeconomia gratiæ ante Christi adventum immutandum fuit; negandumque, *Patres de vita futura quicquam scivisse*, aut quicquam præter terrestres benedictiones

nes.

nes cum fiducia quæsiuissent; quod quum admitti non potest, nisi etiam statueretur; primum hominem in statu integritatis præter voluptates paradisiacas nihil quicquam expectasse: Etiam tota conditio primi hominis immutanda fuit, sc. in illo fuisse *appetitus*, pugnantem aliquando contra se invicem, *ad bonum & ad sibi bonum*: Hinc negarunt, imaginem Dei consistere in tanta rectitudine intellectus, ac promptitudine voluntatis; sed solummodo, ut tamen aliquid dicerent, *in dominio*, quod illi concessum erat in animalia & reliquos terræ fractus.

§. 3. Ne tamen tanta Christianæ fidei destructio omnibus ingrata existeret, larvam pietatis assumendam esse statuunt, quam quum egregiam viderent in *Anabaptistarum Secta*, quæ à juramenti abstinet, gladium Majestatis rejicit, insignem moderantiam & temperantiam spirat, eorum hominum praxin quoque adoptarunt, omnemque religionem in pietatis exercitio consistere: Curiosas autem disputationes, & prætenfa Fidei Mysteria ne à millesimo quidem concipi; simplices autem in sua pietate tantum Deo placere, pluribus deblaterant: ut inde mutuarentur, quo Sectam suam commendarent, prædicantes se homines moderatos, tolerantes, & judicio charitatis habentes omnium sectarum pios & probos pro fratribus; Articulos enim Religionis fundamentales in omnibus Religionibus (si modo attendant homines) manere salvos; imo nihil admittendum esse, nisi in quo omnes Christiani convenerunt: licere enim putant sine dispendio salutis omnia seponere, de quibus unquam disputatum fuit. Hæc sunt verborum lenocinia & illectamenta, quibus simpliciores, ac profunditates Satanæ ignorantes, inescantur.

§. 4. Verum hisce omnibus opponimus, fidem divinam non coarctandam esse intra capacitatem humani intellectus; quum vel ipsa ratio dicter, Deum infinitum esse, nos autem finitos, eumque posse plura de se revelare, quam quorum modum penetrare posset humana perspicacia; credendumque esse, Illum (cui amor suæ gloriæ, & maximus Zelus infinitæ Majestatis non permittunt, alia de se revelare, quam quæ vera sunt, Deumque decetia) nihil unquam humano generi proposuisse credendum, cui, si modo enunciations claræ sint, & nullam veram contradic-

(Ee 3) ncm.

222 DE ERRORIBUS SOCINIANORUM.  
 nem implicent, assensus præbendus non sit, etiamsi modum non percipiamus; cum extremorum *ὄρι* demonstratum aut revelatum negari non debeat ex eo, quod τὸ δῖόντι mentis nostræ imbecillitas aut concipere, aut explicare, nequeat.

# INDEX

## LOCORUM S. SCRIPTURÆ,

Quibus sententia Orthodoxa confirmatur.

### EX VETERI TESTAMENTO.

| GENESIS.          |              |             | <i>Cap.</i> | <i>Vers.</i> | <i>Pag.</i>    |
|-------------------|--------------|-------------|-------------|--------------|----------------|
| <i>Cap.</i><br>I. | <i>Vers.</i> | <i>Pag.</i> |             | 16, 17.      | 83. 92-93      |
|                   | 1.           | 26, 65, 66  |             | 17.          | 86. 148        |
|                   | 1, 2.        | 63          |             | 23, 24.      | 83             |
|                   | 2.           | 51. 68      | III.        | ----         | 108            |
|                   | 3-5.         | 68          |             | 1.           | 96             |
|                   | 6-8.         | ibid.       |             | 2. 3.        | 90             |
|                   | 9. 10.       | ibid.       |             | 3.           | 92. ibid.      |
|                   | 11-13.       | ibid.       |             | 5.           | 97             |
|                   | 14-19.       | ibid.       |             | 6.           | 97. ibid.      |
|                   | 20-23.       | ibid.       |             | 7.           | 98. ibid.      |
|                   | 24-31.       | ibid.       |             | 8.           | 98. ibid.      |
|                   | 26, 27.      | 44. 88      |             | 12, 13.      | ibid.          |
|                   | 28.          | 83. 92      |             | 13.          | 137            |
|                   | 28-30.       | 82. 94      |             | 15.          | 124, 132, 186  |
|                   | 31.          | 89          |             | 16-19.       | 93. 98         |
| II.               | 1.           | 65          |             | 17-24.       | 99             |
|                   | 2.           | 69          |             | 19.          | 86             |
|                   | 3.           | 63. 94      |             | 20.          | 125            |
|                   | 7.           | 67          |             | 22.          | 44. 85. ib. 93 |
|                   | 8-15.        | 92          |             | 23, 24.      | 98             |
|                   | 9.           | 85. 93      | IV.         | 1.           | 125            |
|                   |              |             |             |              | V. 24.         |

INDEX LOCORUM S. SCRIPTURÆ.

| Cap.    | Verf.    | Pag.          | Cap.             | Verf.    | Pag.          |
|---------|----------|---------------|------------------|----------|---------------|
| V.      | 24.      | 128           | IV.              | 14.      | 30. 32. ibid. |
| VI.     | 5.       | 102           | VI.              | 16.      | 80            |
| VIII.   | 21.      | 100. 102      | VI.              | 2.       | 30. 27        |
| IX.     | 27.      | 126           | XII.             | 13.      | 122           |
| XII.    | 2, 3.    | 124           | XIII.            | 9.       | ibid.         |
| XIV.    | 13.      | 80            | XIV.             | 18.      | 72            |
| XV.     | 1.       | 25            | XV.              | 2.       | 28            |
|         | 6.       | 164           | XV.              | 18.      | 72            |
|         | 13.      | 35            | XVII.            | 14.      | 10            |
| XVII.   | 1.       | 25. 27. 31    | XVII.            | 16       | 28            |
|         | 6.       | 26            | XXI.             | 6.       | 26            |
|         | 7.       | 79. 125       |                  | 13.      | 74            |
|         | 7, 11.   | 174           | XXIII.           | 20---23. | 29            |
|         | 10.      | 122           | XXXII.           | 32.      | 60            |
|         | 11.      | ibid.         | XXXIII.          | 20, 21.  | 32            |
| XVIII.  | 15, 16.  | 133           | XXXIV.           | 6.       | 41. ibid.     |
| XIX.    | 24.      | 44            |                  | 7.       | 39            |
|         | 33, 35.  | 104           |                  | 10.      | 79            |
| XX.     | 6.       | 75            |                  | 27.      | 10            |
| XXI.    | 13.      | 33            |                  | 28.      | 79            |
| XXII.   | 13.      | 19. 70. 74    | LEVITICUS.       |          |               |
|         | 14.      | 70            | V.               | 2---5.   | 106           |
|         | 18.      | 124           | XVIII.           | 5.       | 85. ibid. 151 |
| XXVI.   | 3. 4.    | 124           | XIX.             | 2.       | 167           |
| XXXVII. | 5---15.  | 4             | LIBER NUMERORUM. |          |               |
| XLV.    | 8.       | 76            | XII.             | 8.       | 4             |
| XLVIII. | 15, 16.  | 125           | XIV.             | 8.       | 41            |
|         | 16.      | 47. 126. 132. |                  | 27.      | 51            |
| XLIX.   | 10.      | 131. 140      | XVI.             | 22.      | 67            |
|         | 10---12. | 125           |                  | 30.      | 63            |
|         | 18.      | 126           | DEUTERONOMIUM.   |          |               |
| L.      | 20.      | 76            | IV.              | 1, 2.    | 167           |
| EXODUS. |          |               |                  | 7.       | 44            |
| III.    | 2.       | 4             |                  | 15, 16.  | 32            |
|         | 2, 23,   | 47            | VI.              | 6.       | 17            |
|         |          |               |                  |          | XII. 32.      |

# I N D E X

| <i>Cap.</i>     | <i>Vers.</i> | <i>Pag.</i> | <i>Cap.</i>      | <i>Vers.</i> | <i>Pag.</i>    |
|-----------------|--------------|-------------|------------------|--------------|----------------|
| XII.            | 32.          | 139         | LIBER II. REGUM. |              |                |
| XVII.           | 19.          | 17          | II.              | 11.          | 128            |
| XVIII.          | 15.          | 132         | LIBER SECUNDUS   |              |                |
|                 | 18.          | 138         | CHRONICORUM.     |              |                |
| XIX.            | 45.          | 74          | XX.              | 6.           | 42             |
| XXV.            | 1.           | 160         | XXXVI.           | 22, 23.      | 75             |
|                 | 16.          | 40          | E Z R A.         |              |                |
| XXVI.           | 17, 18.      | 118         | VI.              | 1, 22.       | 75             |
| XXVII.          | 26.          | 85, 148     | NEHEMIA.         |              |                |
| XXIX.           | 14, 19.      | 26          | IX.              | 6.           | 71             |
|                 | 29.          | 38          |                  | 33.          | 39             |
|                 | 14, 15.      | ibid.       | LIBER JOBI.      |              |                |
| XXXI.           | 26----29.    | 10          | I.               | 6.           | 66             |
| XXXII.          | 4.           | 40, 75      |                  | 12.          | 76             |
|                 | 39.          | 185         | II.              | 6.           | ibid.          |
|                 | 40.          | 34          | IV.              | 17.          | 28             |
| J O S U A.      |              |             | V.               | 6.           | 86             |
| V.              | 5, 6.        | 176         |                  | 23, 24.      | 161            |
|                 | 14.          | 47          | IX.              | 8.           | 64             |
| XXIV.           | 19.          | 39, 44      | XI.              | 7.           | 31             |
| LIBER PRIMUS    |              |             |                  | 7--9.        | ibid.          |
| SAMUELIS.       |              |             | XII.             | 4.           | 26             |
| H.              | 3.           | 34          | XIV.             | 5.           | 71, 100, ibid. |
| X.              | 26.          | 75          | XIX.             | 25.          | 126, ib. 132   |
| XIV.            | 6.           | 42          |                  | 26, 27.      | 185, 187       |
| XV.             | 29.          | 33          | XXII.            | 2, 3.        | 31             |
| XXIII.          | 12, 13.      | 37          | XXIII.           | 4, 7.        | 80             |
| LIBER SECUNDUS  |              |             | XXIV.            | 19.          | 105            |
| SAMUELIS.       |              |             | XXIX.            | 4.           | 79, 98         |
| XII.            | 11, 17, 19.  | 108         | XXXI.            | 33.          | 81             |
| LIBER I. REGUM. |              |             | XXXIII.          | 4.           | 51             |
| VIII.           | 27.          | 33, 65      |                  | 23, 24.      | 126            |
| XIII.           | 9, 11.       | 103         |                  | 24.          | 114            |
| XIX.            | 14.          | 190         | XXXIV.           | 10--12.      | 75             |
| XXII.           | 21.          | 65          |                  | 19.          | 88             |
|                 |              |             | XXXV.            |              |                |

LOCORUM S. SCRIPTURÆ.

| Cap.             | Verf.      | Pag.          | Cap.     | Verf.   | Pag.        |
|------------------|------------|---------------|----------|---------|-------------|
| XXXV.            | 10.        | 26            | XXXVI.   | 10.     | 125         |
| XXXVIII.         | 4--8.      | 68            | XXXVII.  | 24.     | 171         |
|                  | 6.         | 66            | XXXIX.   | 6.      | 71          |
|                  | 12.        | 72            | XL.      | 7,8,9.  | 140         |
|                  | 31.        | 73            |          | 8.9.    | 114         |
|                  | 33.        | 64            |          | 9.      | 132         |
| XLII.            | 6.         | 115           | XLV.     | 7       | 143         |
| LIBER PSALMORUM. |            |               |          | 7,8.    | 133         |
| II.              | 6.         | 143           |          | 8.      | 44          |
|                  | 7.         | 45, 49, 54    |          | 14.     | 189         |
|                  | 8.         | 112, 114, 156 | XLVIII.  | 15.     | 125         |
|                  | 12.        | 48            | XLIX.    | 8.      | 133         |
| VIII.            | 5.         | 132           |          | 21.     | 89          |
|                  | 6.         | 26            | L.       | 1.      | 27          |
| IX.              | 5.         | 39            |          | 5.      | 119         |
| XI.              | 7.         | ibid.         |          | 21.     | 40, 94.     |
| XVI.             | 10.        | 132, 146      |          | 23.     | 111         |
|                  | 11.        | 125, 187.     | LI.      | 6.      | 103         |
| XVII.            | 15.        | 125, 187      |          | 7.      | 100         |
| XIX.             | 8.         | 14 & 16, 139  |          | 9.      | 175         |
|                  | 9.         | 15            |          | 12.     | 156         |
| XXII.            | 2.         | 27            |          | 19.     | 115         |
|                  | 17.        | 131           | LXVIII.  | 20, 21. | 125         |
